3 1761 07974423 1



3/6

Cat 176.

W. W. Fowler

LL
V439Kr
Caius Velleius Paterculus

M. VELLEI PATERCULI

QUAE SUPERSUNT

EX

HISTORIAE ROMANAE

LIBRIS DUOBUS.

AD EDITIONIS PRINCIPIS, COLLATI A BURERIO CODICIS MURBACENSIS, APOGRAPHIQUE AMERBACHIANI FIDEM, ET EX DOCTORUM HOMINUM CONIECTURIS

RECENSUIT ACCURATISSIMISQUE INDICIBUS INSTRUXIT

FRIDERICUS KRITZIUS
PROFESSOR FRFURTENSIS.

17330
25/8/22

LIPSIAE,
SUMPTIBUS LIBRARIAE LEHNHOLDIANAE.

MDCCCXL.

VIRO

CELEBERRIMO, DOCTISSIMO, SUMME VENERANDO,

FRIDERICO SCHAUBIO,

PHILOSOPHIAE DOCTORI,

REGI BORUSSORUM A CONSILIIS REGIMINIS ET COLLEGII SCHOLASTICI PROVINCIALIS, QUOD MAGDEBURGI EST,

HUMANITATIS LITTERARUM STRENUO VINDICI,

HANC VELLEII EDITIONEM SUMMAE OBSERVANTIAE ATQUE REVERENTIAE PUBLICUM MONUMENTUM EXSTARE VOLUIT

FRIDERICUS KRITZIUS.

PRAEFATIO.

Quod tum in aliis litterarum partibus, tum in emendandis veterum scriptorum operibus saepe evenire animadvertimus, ut, quae diu neglecta iacuerunt et nullius intentiorem curam experta sunt, repente multorum acria studia concitent, et intra breve temporis spatium maiora incrementa capiant ac feliciore successu promoveantur, quam longa annorum serie, id in nullum scriptorem magis convenit, quam in Velleium Paterculum. Sciunt hoc omnes, qui et noverunt ex quanto tempore quam parum ad eius verba ab incredibili, qua laborant, corruptione vindicanda a viris doctis sit collatum, et quae proximis annis studia plurimorum exarserint, ad genuinam male affecto scriptori formam restituendam. Nam quum ante hos ipsos sexaginta annos David Ruhnkenius ratione illo tempore haud vulgari, eoque satis cele-

brata et illustri, in eo emendando versatus esset, ac viginti annis post Krausius magnam diligentiam ad rerum et verborum interpretationem adhibuisset, inde ab eo tempore nihil, quod quidem in aliquo numero esset, a quoquam prolatum est. Cuius rei caussam si quaeris, in duabus potissimum rebus videtur posita esse. Altera haec est, quod Ruhnkeniana editio tantam praestantiae famam nacta est, tantaque apud plurimos auctoritate valuit, ut, quum tanquam perfectissimum exemplar artis criticae exercendae veterumque scriptorum edendorum celebraretur, vulgo eam opinionem excitaret, nihil in Velleio superesse, in quo quis cum fructu elaboraret; nimirum quae in tam corrupto scriptore ingenii acumine et exquisitae doctrinae auxilio praestari potuerint, ea praestita esse a Ruhnkenio; quibus autem ne summi quidem critici vires suffecerint, in iis minora ingenia frustra niti. Paulo gravior, quamquam fortasse non magis valida, altera est caussa, qua probabile est alios deterritos fuisse, quominus studia sua ad Velleium emendandum et castigatius edendum conferrent. Quippe non fugit illos quidem, neque Ruhnkenii neque Krausii opera id effectum esse, ut res confecta videri

posset, plurimaque superesse, quae novam eamque acriorem et accuratiorem editoris curam poscerent. Ruhnkenius enim, quamquam multa acute ac sollerter correxit, neque raro vana priorum editorum commenta redarguit, tamen, quum perversam obsoletamque antiquorum criticorum Batavorum rationem nondum plane exuisset, alia vitia non sustulit, alia intulit ipse, et in recipiendis coniecturis tam parum sibi constitit, ut iustam textus, quam vocant, recensionem nullo modo exhibuerit. Krausium autem, qui totus ex Ruhnkenio pendet, non meliora illo, atque interdum etiam deteriora dedisse, non est mirum, quippe qui facultate critica valde esset destitutus. Hanc igitur operis Velleiani condicionem quamquam haud paucos perspexisse consentaneum est, tamen a navo studio ei impendendo videntur eo absterriti, quod propter defectum auxiliorum criticorum, sine quibus ad veteres emendatius edendos accedi non solet, tam singularis est huius scriptoris emendandi ratio, ut a ceterorum tractatione longe discrepet, et non solum laboris, sed etiam difficultatis habeat plurimum. Nam quum Velleii historia Romana uno tantum codice, eoque valde vitioso ad nos pervenerit,

codex ipse autem post editionem principem typis expressam infausto casu evanuerit, unicus fons scripturae fuit princeps illa editio a Rhenano curata, cui adiuncta est nova collatio codicis, a Burerio ante evulgatum textum facta. Quo factum est, ut omnium scriptorum veterum solus Velleius non possit variarum lectionum comparatione, aut codicum familiis constituendis ad integriorem formam reduci. Quibus praesidiis criticis, quorum usus in ceteris scriptoribus maximus est, quum plane destitutus sit, qui Velleii edendi provinciam suscipere velit, profecto non est mirum, eos, qui de antiquis litteris bene mereri cuperent, potius in aliis omnibus scriptoribus emaculandis illustrandisve operam collocare maluisse, quam in tam male affecto auctore sine critica supellectile ingenii vires dubio cum eventu periclitari.

His de causis Velleius paene sexaginta annos in eo statu permansit, quo ex Ruhnkenii manu prodiit. At subito magna ac laeta mutatio exstitit, quum Orellius, secunda fortuna nactus apographum codicis Murbacensis ab Amerbachio factum, huius et editionis principis ope, adhibitisque praestantissimis virorum doctorum emendationibus, novam textus recen-

sionem paravit, paullo certioribus aut certe accuratius positis fundamentis nitentem. Quae editio ubi primum innotuit, tum rei novitate, tum egregiis Orellii meritis ita animos virorum doctorum advertit, ut multorum oriretur aemulatio, qui illius exemplo excitati eiusque opera adiuti pro virili parte Velleium mendis suis purgare studerent. Neque ea res frustra fuit. Nam et in censuris editionis Orellianae, et in peculiaribus libellis intra breve tempus tot propositae sunt optimae acutissimaeque emendationes, ut, qui iis recte utatur, magnum adiumentum habeat ad verba auctoris integrius constituenda. Quae res ut per se ipsa et potuit et debuit invitare ad novam auctoris editionem parandam, in qua, quicquid veri ingenio virorum doctorum recens repertum est, suo loco exhiberetur, ita alia, eaque longe gravior caussa accessit, qua impulsi faciendum putavimus, ut istud opus aggrederemur. Deplorando enim casu accidit, ut Orellius, quamquam evulgando Amerbachii apographo optime de Velleio meritus, tamen in hoc ipso in gravissimum errorem incideret, qui non solum ipsi obfuit, quominus id, quod vellet, plane assequeretur, sed etiam alios a vero abstraxit, ut valde timendum esset, ne

ea re commodum, Orellio debitum, maiore incommodo tolleretur. Nam quum ille non perspecta ratione, quae inter editionem principem et codicem Amerbachianum intercedit, nihilominus tanquam rem certissimam sibi persuasisset, huic longe maiorem quam illi fidem esse, facile intelligitur, quantam vim praeiudicata ista opinio habuerit ad rectum iudicium non magis de locis dubiis aut corruptis, quam de sanis atque certis impediendum ac turbandum. Nam Orellius aperta Amerbachii peccata, vel a negligentia vel ab errore profecta, ipsi codici Murbacensi tribuens, non solum fontem lectionis, per se haud satis limpidum, magis etiam turbidum reddidit, sed eo etiam processit, ut Rhenanum, integerrimae fidei hominem, insimularet turpissimis interpolationibus Velleium inquinasse, quos locos, plerumque sanos, dum fictis illis interpolationibus liberare studet, longe gravissimis depravationibus textum affecit.

Qui error viri praestantissimi ne altius radices ageret, ac latius diffusus nova vulnera corrupto auctori infligeret, nihil magis e re Velleii esse visum est, quam si adhibitis et in usum vocatis omnibus emendationis auxiliis editionem novam pararem, in qua adornanda id

unice agerem, ut textum, in quantum nunc certe fieri potest, exhiberem castigatissimum et quam proxime ad genuinam formam accedentem. In quo quum hoc nobis negotii datum iudicaremus, ut auctoris verba quam firmissimo superstrueremus fundamento, quo haec editio meliorem haberet quam priores omnes usum criticum, hanc rationem inivimus, ut omissa interpretatione perpetua, i. e. sententiarum, rerum et verborum explicatione non ob rationes criticas instituta, nihil in textum reciperemus, quod unde fluxisset non constaret. Quare ubique accuratissime lectiones editionis principis, Burerii et Amerbachii enotavimus, ne minima quidem discrepantia neglecta, ita ut, ubi nihil annotatum est, ea res indicio sit, Rhenanum, Burerium et Amerbachium in recepta lectione consentire.

Praeterea studiose collegimus priorum editorum ac doctorum hominum coniecturas et emendationes omnes, quotquot nobis innotuerunt, in quo gratissimo animo profitemur multa nos debere egregiis viris Bardilio Uracensi, Halmio Spirensi, Iacobsio, Seebodio, Wuestemanno Gothanis, Haasio Vratislaviensi, Bergkio Casselano, Kraeutero Vi-

mariensi, quorum alii libris rarioribus liberaliter concedendis, alii emendationibus suis humanissime nobiscum communicandis, omnes vero studio atque voluntate ita nos adiuverunt, ut, quantopere illis obstricti simus, ii modo recte aestimare possint, qui parem in re simili aliorum benevolentiam experti sunt. Aliquantum autem isto emendationum Velleianarum in unum corpus colligendarum consilio discessimus ab Orellio, qui tantummodo editionis principis, Basileensis et Ruhnkenianae lectionem integram attulit, ceterarum coniecturarum delectum exhibuit, ne indicatis quidem locis, ubi quaeque propositae leguntur, ac multis omissis, quae ita certae sunt, ut necessario in textum recipi debeant. Has a nobis in lucem protractas esse quamquam confidimus omnes probaturos, tamen multos fore putamus, qui in colligendis undique coniecturis negligentiae nos accusent, criminique dent, quod hic illic reperiantur, quas frustra in editione nostra quaeras. Alios contra videmus futuros, qui nimis multa nos congessisse arguant, magnamque partem, quippe quam inutilem dicant et legentibus molestam, abesse malint. At illi reputent, vix a quoquam id, quod volunt, prae-

stari posse, ut omnino omnia, quae variis locis, ubi minime quaeras, dispersa leguntur, in unum conspectum posita exhibeantur. Quare, licet vellem nihil plane, quod aliquo modo ad Velleium pertinet, me fugisse, tamen universam editionem nostram eo, quod paucae virorum doctorum coniecturae ei desunt, magnum detrimentum cepisse non crediderim, ac tunc demum aliquid peccatum esse existimabo, si certissimis argumentis comprobatum fuerit, aliquam nos emendationem non attulisse, quae omnium consensu in textum recipienda sit. Si qui vero sint, qui de nimia multitudine collectarum coniecturarum querantur, ac bonas tantummodo afferendas fuisse contendant, ceteras oblivioni tradendas, iis facile concedo habere ipsorum sententiam quod probandum videri possit, si modo constaret, quibus finibus bonae coniecturae a malis dirimerentur, aut ubi coniectura aliqua bona esse desineret. Sed quum etiam pessimae ducere possint ad optimas, hoc ipsum iam sufficit ad illarum patrocinium suscipiendum, quae eo minus molestae fieri possunt, quum singulis refellendis lectorum otio non abusi simus, ad consilium nostrum sufficere rati, si receptam coniecturam ita argumentis idoneis

firmassemus, ut ceteras falsas esse sua sponte pateret.

Quemadmodum ipsi igitur, quibus non sine labore atque molestia singulae conquirendae fuere, in istis priorum editorum conaminibus multum adiumenti habuimus ad verba auctoris rectius constituenda, ita speramus fore, ut ii, qui nostra editione usuri sint, si quid erratum a nobis animadverterint, (minime enim putamus ubique verum nos assecutos esse,) multo facilius aliam emendandi viam ingredi possint, quum varias aliorum coniecturas oculis subiectas habeant, ex quibus liceat alias amplecti, quae certiores videantur, alias refingere et propius ad verum adducere. Praeterea amplissima coniecturarum collectio alium habet usum, non cum ipso Velleio coniunctum, sed latius patentem et ad universam rem criticam spectantem. Nam quum inter tot millia coniecturarum (quippe unus Velleius paene plures expertus est, quam ceteri scriptores omnes) non solum multae sint acutissimae ingeniosissimaeque, sed multo plures vanae atque inanes, hae omnes in unum quasi corpus compositae insigni sunt documento, quo ferat coniectandi licentia et velut luxuries ratione non coercita, quo exemplo luculentis-

simo iuniores discant aliud esse fingere et ingenii lusum exercere, aliud divinando ita se in scriptoris mentem insinuare, ut quid ille scripserit non magis externa monumentorum auctoritate quam ipsa veritatis vi pateat. Quanti autem intersit antiquarum litterarum, si utique coniecturis opus est ad ulcera sananda, a factitanda critica abesse effrenatam novandi ac mutandi libidinem, totumque hoc emendandi negotium a nemine suscipi, nisi qui acri veritatis sensu ac sobrio iudicio praeditus via et ratione agere rectaque consilia sequi didicerit, exemplo ob turpitudinem memorabili ostendit Bothius, novissimus Velleii non editor, sed corruptor, qui tanta coniecturarum insania in miserum auctorem grassatus est, ut Halmius, vir doctissimus et intelligentissimus latinarum litterarum existimator, in censura editionis Bothianae verissime dixerit, actum esse de humanitatis litteris, si alii alios scriptores veteres pari amentia vastaverint atque laceraverint. Sed nolumus haec, quae bonarum artium caussa dici debebant, uberius persequi, quamquam rei gravitas fortasse postulet multo plura, quae huc pertinent, disputari.

Ceterum tantam coniecturarum farraginem

congessisse per se res est tam exiguae laudis, ut, nisi aliud praeterea ab editore praestitum fuerit, eo parum ad emendandum scriptorem proficiatur. Nam quum tanta congeries commodissime palearum acervo comparari possit, in quo bona quidem grana insint, sed per totum dispersa et recondita, quae nisi disiectis paleis colligi nequeant, facile patet similem, sed multo difficiliorem ac molestiorem laborem ei suscipiendum esse, qui, quicquid in tot virorum doctorum periculis sani atque veri inest, eruere et in suum locum restituere velit. In quo duo pari diligentia caveri debent; nam ut vitanda est corrigendi temeritas eorum, qui vel leviter corrupta vel plane integra levissimis de caussis prorsus immutarunt, ita non imitanda coeca aliorum superstitio, qui in apertis vitiis defendendis inutilem operam consumpserunt. Utroque modo saepissime peccarunt editores, sed illo saepius. Cuius rei hanc caussam fuisse reperimus, quod nullus fuit, qui certam normam certasque leges, ex ipsa scriptoris proprietate ductas, sequeretur, aut aliquam necessitatem emendandi spectaret; sed omnes egregie criticos egisse arbitrati sunt, si aliquid coniecissent, quod latine dici posset, non curantes, num Vel-

leius ita dixerit, aut debuerit dicere. In hoc desultorio genere si unus alterque in verum incidit, haud raro casu potius, quam ratione factum est; plerumque autem prorsus a proposito aberrasse qui falsa via incederent, et non tam finem certum peterent, quam ex libidine vagarentur, minime mirum videri debet. Ut igitur ex hac opinionum et hariolationum turba me expedirem, hoc mihi faciendum duxi, ut universa indole Vélleiani operis diligenter explorata in auctoris dicendi genus accuratius inquirerem, et quid in illo minime sollicitandum esset tanta planissimorum exemplorum copia demonstrarem, ut dubitationi nullus locus relinqueretur. Huic quaestioni adiungenda fuit altera de codicis Murbacensis, editionis principis et Amerbachiani apographi natura et condicione, et de horum auxiliorum usu critico, qui nimis incertus est et fluxus, nisi corruptelarum origine ex analogia constituta. Nam ut medicus aegroto mederi nequit, morbi genere non perspecto, ita frustra corrupta scriptoris antiqui verba sanare conabitur, qui vitii neque sedem neque originem noverit. De his igitur, et de nonnullis aliis, quorum accuratior cognitio lectoribus utilis futura esse videretur, in Prolegomenis prolixius

egimus. Universa autem opera nostra si iusti intelligentesque arbitri iudicaverint id effectum esse, ut Velleii verborum recensio paullo firmioribus fundamentis quam in ulla editione nitatur, studii nostri in hunc scriptorem collati nos haud poenitebit. Non possumus autem huic praefationi finem imponere, quin nostrum faciamus, quod Wyttenbachius in praefatione ad Bibliothecam criticam extremo loco posuit: „Iis, qui, si qua lapsi fuerimus, nos admonuerint, gratiam habebimus. Neque enim alium uberiorem ex hoc toto litterarum studio fructum capere nos posse iudicamus, quam ut erroribus quotidie et praeiudicatis opinionibus liberemur.“

Scripsi Erfurti d. XVI. Kalend. Octobr. MDCCCXL.

PROLEGOMENA.

Cap. I.

De Velleii vita.

Praeter Priscianum VI, 11. p. 259. Kr. et Scholiastam Lucani IX, 178. p. 695. Web. nemo veterum scriptorum Velleii mentionem facit. Nam quod nonnulli, in quibus etiam Ruhnkenius Praef. p. XVIII. ed. Fr., opinantur Publium Velleium, quem Tacitus Annall. III, 39. scribit in Macedonia exercitum praesedisse, eundem esse, atque historiae scriptorem, id non solum nullis argumentis, quae aliquam veri speciem habeant, sustentatur, sed prorsus incredibile est, si reputaveris, quanta cum diligentia de honoribus a se gestis dicat, et quantopere sibi placeat in singulis narrandis, tum ut se ipsum efferat, tum ut gratum animum Tiberio probet. Sed Macedoniae praefectum se fuisse quum nusquam memoret, plane absonum est, qui minora sua referre non neglexerit, de gravioribus ne verbum quidem dicere. Quo concidit etiam Ruhnkenii opinio, qui l. l. fidenter quidem

pronunciat, Velleium huius rei narrationem iusto historiae operi, toties promisso, servasse, sed cur id in hac una re fecerit, non docuit. Quare ut prorsus incertum est, quis ille Publ. Velleius fuerit, qui Macedoniae praefecturam obtinuit, ita est certissimum, eum a Velleio scriptore fuisse diversum. Ex quo simul patet, quam inconsulto agant, qui illo Taciti loco probare studeant Velleio praenomen *Publio* fuisse. Non magis dubium est *Caii* praenomen, quod Rhenanus pagina prima editionis suae posuit. Nam quum idem in titulo scripsisset *P. Vellei Paterculi*, in Amerbachiano autem apographo nullum praenomen compareat, inde clarum est in codice Murbacensi, ex quo et editio princeps fluxit et Amerbachii exemplum, nullum plane praenomen fuisse, sed Rhenanum utrumque ex coniectura dedisse. Integrum autem nomen scriptoris nostri conservavit Priscianus VI, 11. p. 259. ed. Kr. (p. 106. ed. Putsch.), *Marcum Velleium Paterculum* vocans. In *Marci* igitur praenomine cum omnes Prisciani codices consentiant, nulla caussa est, cur hanc grammatici auctoritatem incertissimis editorum commentis posthabeamus.

De maioribus suis atque propinquis ipse aliquot locis ita dixit, ut appareat, eum quamquam obiter et in transcursu, tamen haud invitum eorum memoriam narrationi rerum gestarum inseruisse. Ita patrem memorat praefectum equitum fuisse, II, 104, 3. *Protinus ab adoptione missus cum eo* (sc. Tiberio)

praefectus equitum in Germaniam, successor officii patris mei. Patruum laudat his verbis II, 69, 5. *Quo tempore Cāpito, patruus meus, vir ordinis senatorii, Agrippae subscripsit in C. Cassium.* Avum celebrat II, 76, 1. *Quod alieno testimonium redderem, eo non fraudabo avum meum. Quippe C. Velleius, honoratissimo inter illos trecentos sexaginta iudices loco a Cn. Pompeio lectus, eiusdem Marcique Bruti ac Tib. Neronis praefectus fabrum, vir nulli secundus, in Campania, digressu Neronis a Neapoli, cuius, ob singularem cum eo amicitiam, partium adiutor fuerat, gravis iam aetate et corpore cum comes esse non posset, gladio se ipse transfixit.*

A Decio Magio, Campanorum principe, fide in Romanos et fortunae ludibrio clarissimo (v. Liv. XXIII, 7. et 10.), duxit genus maternum, ut docet II, 16, 2. *Neque ego verecundia domestici sanguinis gloriae quicquam, dum verum refero, subtraham. Quippe multum Munati Magi, atavi mei, Aeculanensis, tribuendum est memoriae, qui nepos Deci Magi, Campanorum principis, celeberrimi et fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem praestitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret Compsamque occuparet; cuius de virtutibus cum alii, tum maxime dilucide Q. Hortensius in annalibus suis retulit. Cuius illi*

pietatis plenam populus Romanus gratiam retulit ipsum viritim civitate donando, duos filios eius creando praetores, cum seni adhuc crearentur. Ex propinquis praeterea commemorat fratrem II, 115, 1. *Caesar ad alteram belli Delmatici molem animum atque arma contulit. In qua regione quali adiutore legatoque fratre meo Magio Celere Velleiano usus sit, ipsius patrisque eius praedicatione testatum est, et amplissimorum honorum, quibus triumphans eum Caesar donavit, signat memoria.* Cf. II, 121, 3. et II, 124, 3.

Quemadmodum autem in summo ceterorum scriptorum de Velleiis Magiisque silentio pauca haec Velleio solo auctore nobis innotuerunt, ita etiam quae ad ipsum pertinent, non aliunde, quam ex eius opere, petenda sunt. Quo anno natus sit, quamquam ipse non dixit, tamen probabili coniectura ita potest definiri, ut certe non multum a vero aberretur. Bello enim Delmatico *anno p. Chr. n. sexto* subito erumpente, Velleius, qui in Germania sub Tiberio stipendia faciebat, (cf. II, 104, 3. *Protinus ab adoptione* [anno 4. p. Chr. n.] *missus cum eo praefectus equitum in Germaniam, — coelestissimorum eius operum per annos continuos novem praefectus aut legatus spectator, et pro captu mediocritatis meae adiutor fui.)* ad tempus Romam regressus erat quaesturae petendae caussa; cf. II, 111, 3. *Habuit in hoc quoque bello mediocritas nostra spe-*

ciosi ministeri locum. Finita militia equestri designatus quaestor, necdum senator aequatus senatoribus, etiam designatis tribunis plebei, partem exercitus ab urbe traditi ab Augusto perduxi ad filium eius. Ex quo quum pateat, eum quaesturae adipiscendae tempus non ultra solitum distulisse, sed quum primum per legem annalem liceret, eam petiisse, facile inde de eius aetate coniectura fieri potest, si prius exploratum fuerit, qui annus tunc legitimus fuerit quaesturam petendi. De ea re iam quaesivit Dodwellus in Annalibus Velleianis §. 5., sed tam falsam viam ingressus, ut eius disputatio nullam vim ad persuadendum habeat. Nam quum quaestura primum esset munus, quod aditum ad senatum daret (v. Adami Antiqq. Rom. Vol. I. p. 5.), ex Polybii autem libro VI. c. 17. constet Romanos non nisi stipendiis per decem annos factis honores gerere potuisse, Dodwellus huius decennii militaris initium ducit ab anno aetatis decimo quarto, quippe a quo iuventus Romana, toga praetexta posita, militiae tirocinia capere consueverit. Sed corporis exercitationibus praeparari ad militiae labores perferendos, quod sane erat institutionis Romanae (v. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 225. p. 351. ed. II.), longe aliud quid est, quam nomen dare militiae, quod ante expletum annum decimum et septimum nunquam fiebat; cf. Creuzeri Antiqq. R. p. 350. Adami Antiqq. Rom. Vol. II. p. 50. Quare Dodwelli ratio, qua collegisse sibi visus est,

Velleium expleto anno *quarto et vicesimo* ad quaesturam petendam Romam venisse, aperte falsa est et ex libidine profecta. Si quis vero putet anno vicesimo et septimo designatum fuisse Velleium, quia lege annali Villia is annus quaesturae constitutus fuerit (v. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 130. p. 173. ed. II. Fussii Antiqq. Rom. §. 184. p. 169.), vera esset ista sententia, si modo constaret illo tempore legem Villiam adhuc valuisse. Sed contra fuisse patet ex Dione Cassio, apud quem Maecenas haec Augusto suadet libro LII, 20. p. 674. *Καταλέγεσθαι δὲ χρὴ ἐς μὲν τὴν ἱππάδα ὀκτωκαιδεκέτεις, ἐς δὲ τὸ συνέδριον, πεντεκαιεικοσιέτεις. Ταμιεύσαντές τε καὶ ἀγορονομήσαντες ἢ δημαρχήσαντες στρατηγείτωσαν τριακοντοῦται γενόμενοι.* Cuius loci universi quum ea ratio sit, ut Dio, qui rhetoricum dicendi genus studiose captat, omnia Augusti instituta, quibus reipublicae prioris formam immutavit, Maecenatis oratione complectatur, non dubitari potest, quin id, quod consilii formam refert, re vera sub Augusto obtinuerit. Quare quum quaesturae obtinendae annus, qui antea septimus et vicesimus fuit, ab Augusto constitueretur quintus et vicesimus, ex eo patet, Velleium, qui anno p. Chr. n. *sexto* eum honorem peteret, natum esse anno ante aeram Christianam *undevicesimo*.

Mature eum stipendia fecisse cognoscimus ex iis, quae II, 101. satis prolixe de primis temporibus suis in militia actis, narrat, his verbis usus: *Breve*

ab hoc intercesserat spatium, cum Caius Caesar, ante aliis provinciis ad visendum obitis, in Syriam missus, convento prius Tib. Nerone, cui omnem honorem ut superiori habuit, tam varie ibi se gessit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat. Cum rege Parthorum, iuvene excelsissimo, in insula, quam amnis Euphrates ambiebat, aequato utriusque partis numero, coiit. Quod spectaculum stantis ex diverso hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter se eminentissima imperiorum et hominum coirent capita, perquam clarum et memorabile sub initia stipendiorum meorum tribuno militum mihi visere contigit. Quem militiae gradum ante sub patre tuo, M. Vinici, et P. Silio auspicatus in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Asiaque et omnibus ad Orientem visis provinciis, et ore atque utroque maris Pontici latere, haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor. Caius igitur Caesar quum anno p. Chr. n. 1., regionibus ad Istrum obitis, Syriam adiret, ex eo intelligitur Velleium, eius comitem, tum annos viginti natum fuisse, iam per tres annos tribunatu functum, quem militiae gradum statim obtinuit, ex quo in castris versatus est. Neque id abhorrebat a vetere Romanorum more; nam adolescentuli haud obscuro loco nati plerumque statim a tribunatu militiam auspicabantur; cf. Bremium ad Nep. Cat. I, 2. Herzo-

gium ad Caes. B. G. I, 39. Sueton. Aug. c. 38. Haec per se satis cognita et ipsis Velleii verbis clare expressa non opus fuisset memorare, nisi Dodwellus in Annalibus Velleianis §. 9. sq. contenderet Velleium, antequam tribunus fieret, *cohortis praefectum* fuisse; quae opinio, a Cludio quoque ac Bothio propagata, ratione ita destituta est, ut merito somniis annumeranda sit, quibus, ut Sauppius in Mus. Tur. I, 2. p. 141. verissime iudicat, universa illa Dodwelli disputatio referta est. Sed longe ineptius est, quod idem §. 12. novum fingit et Romanis inauditum militiae gradum, *castrorum tribunatum*, quem vult Velleium obtinuisse post vulgarem tribunatum gestum. Hic error capitalis, quem Cludius et Bothius pariter amplexi sunt, unde fluxerit, non difficile est ad videndum. Nam quum II, 104, 3. legatur: *Hoc tempus me functum ante tribunatu castrorum Ti. Caesaris militem fecit*, Popma auctore perverse coniunxerunt *tribunatu castrorum*, quum res ipsa doceat commate post *tribunatu* posito coniungendum esse *castrorum Ti. Caesaris*. Quippe post Caii mortem, quae in annum p. Chr. n. 3. incidit, Romam reversus Velleius, anno post, relicta Orientis militia, Tiberium secutus est contra Germanos, Pannonios et Delmatas per octo annos continuos acerrime bellantem. In qua militia non amplius tribunus fuit. Nam quum prioribus stipendiis admodum strenuum se et ingenio promptum ostendisset, ita probatus est Tiberio, ut statim ab

initio novae expeditionis ad altiorem praefecti equitum, et mox legati gradum promoveretur; cf. II, 104, 3., quem locum iam supra simul cum altero II, 111, 3. ascripsimus, ex quo cognoscitur, eum, anno p. Chr. n. 6. ex Germania Romam regressum quaesturae petendae caussa, partem exercitus recens conscripti ad Tiberium Pannoniis instantem adduxisse. Perpetua autem gratia imperatoris gavisum esse pluribus locis profitetur; cf. II, 113, 3. *Ipse* (sc. Tiberius) *asperrimae hiemis initio regressus Sisciam, legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis praefecit hibernis.* II, 114, 1. *Per omne belli Germanici Pannonicique tempus nemo e nobis gradumve nostrum aut praecedentibus aut sequentibus imbecillus fuit, cuius salus ac valetudo non ita sustentaretur Caesaris cura, tanquam distractissimus ille tantorum operum mole huic uni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum iunctum vehiculum, lectica eius publicata, cuius usum cum alii, tum ego sensi.* Huic autem viro, ob merita sua Tiberio tam caro, praemia quoque et insignia non defuisse ut per se probabile est, ita ipse eam rem lectores ignorare noluit; cf. II, 121, 3. *Omnis eminentissimos hostium duces non occisos fama narravit, sed vinctos triumphus ostendit, quem mihi fratrique meo inter praecipuos praecipuisque donis adornatos viros comitari contigit.* Egit autem hunc triumphum Tiberius die XVII a. Cal. Februarias anni 12. p. Chr. n.;

cf. Fastt. Praenestt. p. 334. ed. Wolf. et Franc. Passovium in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1834. No. 1. p. 16. Duobus annis post, i. e. anno p. Chr. n. 15., Velleius praeturam obtinuit, quem honorem ei ab Augusto pariter ac Tiberio, ad remunerandam fidem et industriam, in variis negotiis praestitam, concessum fuisse, planum est ex ipsius verbis II, 124, 4. *Quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotalibus viris destinari praetoribus contigit, consecutis, ut neque post nos quemquam divus Augustus, neque ante nos Caesar commendaret Tiberius.*

Post praeturam gestam aliis eum honoribus functum esse, quum nihil praeterea de suis rebus memoret, non est credibile, non magis, quam tribunum plebis fuisse inter quaesturam atque praeturam, quam opinionem Dodwellus in Annalibus Velleianis §. 26. sqq. tam ineptis probare studuit rationibus, ut nihil possit esse ineptius, quamquam huius quoque perversitatis sectatores nactus est Cludium et Bothium. Quantum autem tum ex Velleii silentio de relicua vita sua, tum ex eo, quod paullo ante Vinicii consulatum ad scribendam historiam Romanam animum appulit, coniicere licet, inde ab eo tempore, quo cum Tiberio ex Germania rediit, Romae procul a negotiis in honesto otio egit, urbis aulaeque oblectamentis fruens, ac simul litterarum studio vacans, ita quidem, ut non totus in iis habitaret et quasi esset

abditus, sed ut otiosae vitae cursum iis dispungeret ac variaret, quemadmodum solent, qui non a prima aetate litterarum cognitioni intenti maiorem vitae partem rebus gerendis impenderunt. Otiose Velleium sub Tiberio Romae vixisse produnt verba illa II, 101, 3. *haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor*, quae non potuerunt scribi nisi ab homine, qui iam dudum a castrorum strepitu remotus, tanquam in portum quietae vitae se recepisset, ac libenter militiae transactae meminisset. Eodem pertinet locus II, 52, 4. *ut militari et verbo ex consuetudine utar*, ubi v. quae annotavimus. Qui autem in castris inter Tiberii proximos esset multoque eius favore et gratia frueretur, eundem postea quoque in eius amicis fuisse, neque per se a verisimilitudine abhorret, et ex ipsa Velleii oratione intelligitur admodum perspicue, quippe quae ingenium prodat longo usu aulae accommodatum. Quae res quum arcte cohaereat cum adulationis crimine, quo plerique Velleium onerarunt, capite sequente, ubi id diluere conabimur, paullo accuratius eam tractabimus.

Denique a studiis Velleium per totum otii tempus non alienum fuisse, primum hoc ipsum documento est, quod intra paucorum mensium spatium (v. Prolegom. c. II.) historiam Romanam composuit. Quis enim a litteris abhorrens vel earum rudis talis operis scribendi consilium mente conciperet, aut conceptum perficeret? Sed multo magis amor atque studium lit-

terarum elucet ex iis, quae auctor variis locis de egregiis Graecorum et Romanorum scriptoribus disputat, velut I, 3. de tragicis graecis, I, 5. de Homero et Archilocho, I, 7. de Hesiodo, I, 16. de poëtis et philosophis graecis, I, 17. de poetis scenicis et oratoribus latinis, I, 18. de graecarum urbium illustribus ingeniis, II, 9. et II, 36. de scriptoribus et poetis latinis, diverso temporis spatio in suo genere eximiis. Quibus locis omnibus quamquam obiter tantummodo de singulis agit, neque tali cura ea persequitur, qualis ab accurato historiae litterarum scriptore adhibenda est, tamen negari nequit sine multa et diligenti lectione ne hanc quidem quamvis levem scriptorum recensionem institui potuisse, qua Velleius praestantissimos antiquitatis scriptores complexus est. Sed quum simul sanum et subactum iudicium prodat in iis aestimandis, profecto concedendum est, eum haud contemnendum studium in iis cognoscendis posuisse, et ex ipsa lectione hausisse, quae obiter et in transcursu observavit. Quare Sauppius, in ceteris acutissime Velleii ingenium assecutus, in eo errare videtur et iniquius iudicare, quod illum ineptis doctrinae lusibus, quibus Tiberius se oblectare solebat, permotum fuisse dicit, ut historiae Romanae illos locos de litteris Graecis et Latinis insereret; v. Mus. Turic. a. 1837. I, 2. p. 172. Nam quod huius sententiae Suetonium laudat auctorem, nihil apud hunc reperitur, quo opinio ista vel aliqua ex parte confirmetur. Hoc enim

tradit in Tiber. c. LVI. *Nihilo lenior in convictores Graeculos, quibus vel maxime acquiescebat. Zenonem quendam exquisitius sermocinantem quum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset, et ille respondisset, Doridem, relegavit Cinariam. — Item quum soleret ex lectione quotidiana quaestiones super coenam proponere, comperissetque Seleucum grammaticum a ministris suis perquirere, quos quoque tempore tractaret auctores, atque ita paratum venire, primum a contubernio removit, deinde etiam ad mortem compulit.* id. c. LXX. *Maxime curavit notitiam historiae fabularis, usque ad ineptias atque derisum. Nam et grammaticos, quod genus hominum praecipue appetebat, eiusmodi fere quaestionibus experiebatur: Quae mater Hecubae: Quod Achilli nomen inter virgines fuisset: Quid Sirenes cantare sint solitae?* Ex his igitur verbis quum clarissime pateat Tiberium esurientes Graeculos ludibrio habuisse inanibus vel ineptis quaestionibus propositis, quas illi solvere studerent, ut coenae participes fierent, non intelligitur quomodo Velleius in huius futilitatis societatem venire possit, qui neque grammaticus esset, neque coenam ambiret, neque usquam tales ineptias in opere suo attigerit. Nam utcunque de eius ingenio statueris, profecto non is fuit, qui inter coenam a Tiberio derideretur, sed qui simul cum Tiberio ineptientes grammaticos rideret ipse. Honestius eum de litteris sen-

sisse ac doctis studiis aliquam otii partem consecrasse denique ex eo cognoscitur, quod saepius commemorat consilium operis maioris ambitus conscribendi, quod tale est, ut non potuisset toties narrari et lectoribus annunciari, nisi iam diu huic rei intentus in colligendis rebus argumentoque tractando fuisset occupatus. Cf. II, 48, 5., ubi initiis belli civilis inter Caesarem atque Pompeium memoratis: *Harum praeteritarumque rerum ordo*, inquit, *cum iustis aliorum voluminibus promatur, tum, uti spero, nostris explicabitur.* II, 96, 2. de primo bello Pannonico: *Gentis Pannoniorum Delmatarumque nationes situmque regionum ac fluminum numerumque et modum virium excelsissimasque et multiplicis eo bello victorias tanti imperatoris alio loco explicabimus.* II, 99, 3. quum Tiberius Rhodum secederet: *Quis fuerit eo tempore civitatis habitus, qui singulorum animi, quae digredientium a tanto viro omnium lacrimae, quam paene ei patria manum iniecerit, iusto servemus operi.* II, 103, 4. de Tiberii adoptione: *Laetitiam illius diei, concursumque civitatis, et vota paene inserentium coelo manus, spemque conceptam perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperi vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere.* II, 114, 4. de secundo bello Pannonico: *Ferocem illam tot milium iuventutem, paullo ante servitutem minatam Italiae, conferentem arma, quibus*

usa erat, apud flumen nomine Bathinum, prosternentemque se universam genibus imperatoris, Batonemque et Pinnetem, excelsissimos duces, captum alterum, alterum deditum, iustis voluminibus ordine narrabimus, ut spero. II, 119, 1. de clade Variana: *Ordinem atrocissimae calamitatis, qua nulla post Crassi in Parthis damnum in externis gentibus gravior Romanis fuit, iustis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere.* Quibus locis accurate consideratis, non solum Cludius erroris arguendus, qui in Praef. p. XX. *quattuor* Velleium opera scribere voluisse dicit, sed a Sauppii quoque iudicio nobis discedendum est, qui in Mus. Turic. I, 2. p. 143. *duo* opera diversa ab auctore significari putat, alterum de bello civili Caesaris atque Pompeii, alterum de vita et rebus gestis Tiberii. Cuius sententiae quum non aliam caussam habeat, quam quod, excepto primo loco, relicui omnes ad Tiberium spectant, videat, ne rei cuidam fortuitae atque externae nimium tribuerit. Nam quum in ipsis auctoris verbis nihil plane sit, quod vel levissimum indicium praebeat, duo eum opera componere decrevisse, tum res ipsae tales sunt, quae commodissime uno opere comprehendi potuerint. Quis enim non videt, verbis, quae leguntur II, 48, 5. cum relicuis locis comparatis, Velleium rerum Romanarum historiam inde ab eo tempore, ex quo veteris reipublicae formâ immutatâ imperium ad unum pervenit,

continua narratione explicare sibi proposuisse? In quo si a Pompeii et Caesaris contentionibus exorsus rem usque ad Tiberium deduxit, quis eum dixerit res non cohaerentes aut interno nexu carentes composuisse, quae duobus operibus inter se discretis tractari debuerint? Quare non dubium est, quin Velleius omnibus locis unum idemque opus intelligat. Sed num re vera scripserit, quod tam saepe promisit, an inchoatum tantummodo et imperfectum reliquerit, non potest definiri, quum nemo veterum grammaticorum eius mentionem faciat. Hoc vero certum videtur, errare Sauppium, qui l. l. p. 143. suspicatur, eum de componendo isto opere maiore nunquam serio cogitasse, sed ut inter scribendam historiam Romanam, rerum opportunitate admonitus, subitam eius elaborandi cogitationem susceperit, ita eandem, absoluta historia, abiecisse plane neque amplius curasse. Quae sententia mihi tantopere a vero abhorrere videtur, ut affirmare non dubitem, subitum historiae in Vinicii honorem scribendae consilium Velleio non ex alia re natum esse, nisi ex longa atque assidua rerum Romanarum tractatione. Nam quum ita parata et in promptu haberet, unde summam rerum facili negotio concinnaret et in brevem conspectum daret, id satis incitamenti erat, ut hoc argumentum deligeret, quum decrevisset scriptione aliqua Vinicio de consulatu adepto gratulari. Quare putaverim, eum festinato hoc libello pauca delibasse potius ex collectis copiis et tanquam specimen

amplioris operis edidisse, quam prorsus imparatum ad scribendum accessisse et turpi vanitate librum promisisse, de quo conficiendo nunquam cogitaret. Cuius sententiae haud leve argumentum hoc habeo, quod inde ab ea historiae Romanae parte, ubi bella civilia attigit, copiosior fit in narrando et aperte maiorem quandam diligentiam atque ubertatem in iis explicandis ostendit, quae ad parandum ac stabiliendum principatum pertinent. Quod unde factum sit valde est in promptu; nimirum in prioribus alios secutus est auctores, in posterioribus ipse paratis auxiliis usus est. Ceterum morte videtur praeventus fuisse, quominus consilium suum exsequeretur; nam re vera in publicum emisisse quae animo agitavit, non est probabile, quum nullum eorum exstet apud grammaticos vestigium.

Non magis de ipsius exitu constat, quamquam Lipsius et Dodwellus in Annalibus Velleianis §. 30. coniectura reperisse sibi visi sunt, eum Seiani ruina simul cum plurimis ex eius amicis oppressum esse. Quae sententia quamvis primo aspectu habeat, quo commendetur, quia Velleius illum maximis affecit laudibus, tamen admodum dubia est, ac parum certis nititur rationibus. Primum enim illae Seiani laudes, licet vilissimae videantur et abiectae, ita comparatae sunt, ut facile appareat, Velleium non eo extulisse Seianum, quod ipse eius favorem esset expertus, aut ut ambiret gratiam, sed hunc laudando Tiberium ce-

lebrasse, qui illum adiutorem negotiorum principalium assumpserit; in quo ita versatus est, ut capite CXXVIII. paene excusationem Tiberii suscepisse videatur. Ipse autem quum nihil Seiano deberet, Tiberio omnia, quippe cuius et favorem in honorifico militiae cursu esset expertus, et perpetua gratia in otio urbano frueretur, non est credibile, Seiano eiusque amicis et sociis oppressis, in Velleium quoque esse saevitum, qui ab illo non esset ex obscuro loco protractus aut praemiis opibusque affectus. Tum non negligendum est, M. Vinicium, cui dedicavit auctor libellum Seiani laudes continentem, clade illa, quae plurimos afflixit, non fuisse pessumdatum. Nam anno post a Tiberio adeo dignus habitus est, qui Iuliam, Germanici filiam, in matrimonium acciperet, teste Tacito Annall. VI, 15.; idemque, quum anno p. Chr. n. 36. grave incendium urbem vastasset, cum relicuis tribus Tiberii progeneris aestimando cuiusque detrimento est delectus, v. Tacit. Ann. VI, 45. Vinicio igitur quum non obfuerit Velleii amicitia, quam hic testificatus erat opere illi dedicando, in quo cum Tiberi laudibus Seiani quoque coniungeret, prorsus assentimur Sauppio, in Mus. Turic. I, 2. p. 141. statuenti, perquam dubiam et incertam videri eorum sententiam, qui auctori istum libellum caussam mortis exstitisse putent.

Cap. II.

De Velleii opere.

Liber Velleianus inscribitur *Historiae Romanae ad M. Vinicium consulem libri duo.* In qua inscriptione quum Lipsius (v. Ed. Ruhnken. Vol. II. p. X. Fr.) ita offendisset, ut eam diceret magis se damnare, quam mutatam velle, Bothius eo permotus est, ut éditioni suae hunc titulum imponeret: *Velleii Paterculi historiarum ad M. Vinicium cos. libri duo.* Quippe Velleium minime in solis Romanorum rebus narrandis versari, sed etiam externarum gentium res maxime insignes inde ab antiquissimis temporibus attingere; quare in promptu esse, istam historiam latius patere, quam quae ab ipso auctore *Romana* vocari potuerit. Cui sententiae, quam etiam Krausius in Prolegg. p. 13., Godofredus Bernhardius in Hist. litt. rom. p. 269. et Sauppius in Mus. Turic. I, 2. p. 144. amplectuntur, merito repugnavit Halmius in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 109. p. 892., nullam caussam esse dictitans, cur ab ea inscriptione, quam codex Murbacensis exhibeat, recedatur. Nam licet Velleius, dum in antiquioribus versatur temporibus, multa externa narrationi admiscuit, tamen non magni est acuminis videre, non aequaliter eum res Romanas atque externas tractare, sed illis primum in opere suo locum

tribuere, per has modo aditum parare ad id, quod ipsi erat propositum, neque postea ad eas respicere. Quare ita assentimur Halmio, ut *historiae Romanae* inscriptionem, ex ipso codice Murbacensi desumptam, putemus non alienam esse, commodeque retineri posse; quamquam non dixerim plane certam esse, et nulli dubitationi obnoxiam. Sed utcunque est, profecto praestat id sequi, quod quum per se non ineptum sit, tum aliquam externae auctoritatis commendationem habeat, quam solas coniecturas amplecti, nulla necessitate nobis sese offerentes.

Quo autem consilio Velleius scripserit Historiam Romanam non quaerendum nobis esset, si prioris libri initium adhuc superesset, quo haud dubie exposuit et quam scribendi caussam habuerit, et quam operis componendi rationem sibi sequendam putaverit. Non falso enim hoc coniici, intelligitur planissime ex iis locis, ubi auctor ad ea, quae de consilio suo praefatus erat, respicit; cf. II, 38, 1. *Haud absurdum videtur propositi operis regulae paucis percurrere, quae cuiusque ductu gens — stipendiaria facta sit.* II, 49, 1. *Nunc proposito operi sua forma reddatur.* II, 55, 1. *Admonet promissae brevitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint.* II, 66, 3. *Cogit excedere propositi formam operis erumpens animo et pectore indignatio.* II, 96, 3. *Hoc opus servet formam suam.* II, 89, 6. *Nos memores professionis*

universam imaginem principatus eius oculis animisque subiecimus. Sed quum his locis tantummodo pateat dixisse Velleium de operis sui consilio, sed quid dixerit minime significetur, ad coniecturam confugiendum est, ut, quale illud fuerit, eruamus.

Ac M. Vinicio, qui anno p. Chr. n. tricesimo consulatum gessit, dedicasse eum Historiae Romanae volumen, et ipsa libri inscriptione satis clare indicatur, et manifestum est iis locis, quibus Vinicium vel alloquitur, ut I, 13, 5. II, 101, 3. II, 113, 1. II, 130, 4., vel tempora ad eius consulatum constituit, ut I, 8, 1. I, 12, 6. II, 7, 5. II, 49, 2. II, 65, 2. Caussam dedicationis quaerentes vix aliam reperimus, quam Velleium vel huic M. Vinicio, vel eius patri aliquo beneficio obstrictum fuisse, ad quam sententiam eo ducimur, quod ipse II, 101, 3. sub M. Vinicii patre stipendia se in Thracia Macedoniaque auspicatum esse commemorat, nec sine aliqua animi commotione ac laetitia illius temporis memoriam recolit. Grati igitur animi in Viniciam gentem vel in Marcum Vinicium quum publicum exstare vellet monumentum, accidit, ut Vinicius anno p. Chr. n. 29. consul designaretur. Quod quum fortasse praeter exspectationem fieret, Velleius eam occasionem arripuisse videtur ad libellum componendum, quo illi, novum munus auspicanti, adeptum honorem gratularetur. Ista coniectura, iam a Dodwello in Annall. Vell. §. 29. proposita, haud parum eo confirmatur, quod

Velleius saepius de summa *festinatione*, quae ipsi in elaborando opere sequenda sit, se excusandum putavit. cf. I, 16, 1. *Intellego mihi in hac tam praecipiti festinatione, quae me rotae pronive verticis ac gurgitis modo nusquam patitur consistere, paene magis necessaria praetereunda, quam supervacua amplectenda.* II, 41, 1. *Secutus est consulatus C. Caesaris, qui quamlibet festinantem in se morari cogit.* II, 108, 2. *Nulla festinatio huius viri mentionem transgredi debet.* II, 124, 1. *Quid tunc homines timuerint — neque mihi tam festinanti exprimere vacat*, etc. Eodem pertinet, quod aliquoties lectores monendos putavit, opus se scribere *arctis finibus circumscriptum*, neque aliud nisi rerum summas exhibere posse; cf. II, 29, 2. *Cuius viri magnitudo multorum voluminum instar exigit, sed operis modus paucis eam narrari iubet.* II, 52, 3. *Aciem Pharsalicam — non recipit enarranda hic scripturae modus.* II, 86, 1. *Quid ille dies terrarum orbi praestiterit, — quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat?* Festinationis istius pariter atque artati operis excusatio, quae absurda esset, si auctor iam diu ad scribendum se composuisset, satis commode explicatur, si intellectum fuerit, subito eum ad opus elaborandum accessisse, et intra brevissimum temporis spatium inceptum absolvere debuisse. Nam si verum est, quod

de origine libri Velleiani coniecimus, vix quinque menses auctori dati erant ad eum conficiendum, quum novi consules, plerumque Iulio mense exeunte designari soliti, ipsis Kalendis Ianuariis munus suum auspicarentur. Tantis igitur temporis angustiis quum premeretur, profecto mirum non est, si de necessaria festinatione querendum putavit, quam ipsa rerum tractatio (de qua infra dicemus) ac dicendi genus haud limatum aperte produnt.

In Vinicii autem honorem quum totum opus compositum sit, eo concidit eorum sententia, qui cum Heinsio in Epistola ad Fagelium (v. Ed. Ruhnken. Vol. II. p. XVIII. Fr.) et Perizonio in Animadd. hist. c. VI. p. 211. Velleio nihil aliud propositum fuisse censent, quam ut Tiberii gratiam captaret, non videntes quam ineptum sit et prorsus ridiculum, si libro *alii cuidam* dedicando ad *imperatoris* favorem arrepere voluisset. Sed quamquam ista sive stultitia sive culpa vacat, tamen apud plurimos servilis ingenii abiectaeque in domum Augustam, Tiberium atque Seianum adulationis crimine laborat. Et sane si legeris quam immodice Octavianum celebret II, 36, 1. II, 60, 1. II, 61, 1. II, 80, 2. II, 89, 2. II, 123, 3., eiusque levia aut turpia facta callida oratione tegat aut pro egregiis venditet II, 66, 1. II, 86, 2. II, 79, 2. II, 74, 4. II, 80, 2. II, 85, 2. 4., quibus laudibus efferat Liviam II, 75, 3. II, 130, 5., quantopere praedicet Tiberium II, 75, 3 II, 94, 1.

II, 99, 4. II, 101, 1. II, 103, 1. 4. II, 105, 3. II, 111, 2. II, 121, 2. II, 122, 1. II. 123. 3. II, 124, 2. II, 125, 3. II, 126. II, 129. II, 130. II, 131., denique quo praeconio ornet Seianum II, 127. II, 128., haec igitur et similia si legeris, facile intelliges, qui factum sit, ut vilis adulatoris famam subierit. cf. Ger. Io. Vossium de Hist. Lat. I, 24., Lipsium in Praef. p. VII. sq. ed. Ruhnk. Fr., Heinsium ib. p. XVIII. sq., Burmannum ib. p. XXXI., Ernestium in Opuscc. philol. crit. p. 91. et in Praef. ad Sueton. p. VI., Perizonium in Animadverss. hist. p. 218. ed. Harl., Christium in Noctt. acadd. p. 30., Lipsium ad Tacit. Annall. III, 39. et VI, 15. Sed perperam *adulationi* tribui, quae in iudiciis de Tiberio, Seiano ceterisque merito displicent, alii rectius senserunt. Ex quibus defensores Velleii exstiterunt Krausius in Prolegg. p. 37—47., Morgensternius in Commentat. critica de fide historica Velleii, apud Krausium Prolegg. p. 105—144, Cludius in Praef. p. XVI., Iacobsius in Praef. p. XI—XXVI., qui omnes id egerunt, ut auctorem adulationis invidia, qua vulgo laborat, liberarent. Sed longe optime in ea re versatus est Hermannus Sauppius; a cuius viri auctoritate, qui quale sit Velleii ingenium atque indoles primus acutissime perspexit dilucideque in Museo Turic. a. 1837. Vol. I, 2. p. 133—180 exposuit, nobis non discedendum esse putavimus.

Adulatoris igitur quum sit aliud sentire aliud

loqui, simulatis laudibus non solum res mediocres, sed etiam turpes et inhonestas extollere, idque facere scientem, ad gratiam captandam commodumque aliquod obtinendum, quod bonis artibus comparare vel nolit, vel non possit: idonea caussa non est, cur Velleium tanta animi humilitate fuisse putemus, ut veritatem de industria obscuraret vilissimique generis hominibus sese adiungeret. Nam in quibus veritatis immemor videtur, aut severitatis in iudicando oblitus, ea eiusmodi sunt, ut ex alio fonte, quam ex adulatione, fluxerint, et eo ipso, quod multo latius patent, licet per se ita non fiant meliora, tamen cum universa operis indole coniuncta obiecti criminis invidiam valde imminuunt ac paene tollunt. Ex quo enim, republica eversa ac libertate sepulta, imperium penes unum esse coepit, cum mutata civitatis forma magna simul morum ingeniorumque commutatio incessit. Nam qui olim omnia studia sua et contentiones ad rempublicam augendam, firmandam ac moderandam contulerant, iam non habebant in quo ipsorum virtus enitescere posset; labori successerat quies, industriae desidia, libertati servitus; virtute antiqua exstincta in paucissimis generosiores spiritus vigebant; longe plurimi, quos patriae amor non ad rempublicam vocaret, sibi tantum suisque rebus consulebant, neque quomodo antiqua gravitate dignitatem tuerentur, sed quomodo vitae deliciis commodisque fruerentur quaerebant; omissis antiquis institutis ad principem se

convertebant; cui ut quisque erat proximus, ita sibi felicissimus videbatur, atque omnia eius praeclara ducebat et egregia. Quibus agendi naviter et facultas adempta esset et voluntas, loqui satis habebant, graviumque negotiorum cura exuta vel plane inanes res loquebantur, vel graves inanium modo iudicabant, externae speciei plurimum tribuentes, eoque verae rationis pariter incuriosi atque ignari. Haec in iudicando levitas qualis fuerit luculento exemplo ac mirifica arte ostendit Tacitus Annall. 1, 9., quem locum, quia plurimam lucem quaestioni nostrae affundit, totum huc transscribemus. De Augusti igitur morte ille: »Multus, inquit, hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus, quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus, quod Nolae in domo et cubiculo, in quo pater eius Octavius, vitam finivisset. Numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvum et C. Marium simul aequaverat, continuata per septem et triginta annos tribunicia potestas, nomen imperatoris semel atque vicies partum, aliaque honorum multiplicata aut nova. At apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve. Hi pietate erga parentem et necessitudine reipublicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quae neque parari possent neque haberi per bonas artes. Multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse; postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum-

datus sit, non aliud discordantis patriae remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur; non regno tamen, neque dictatura, sed principis nomine constitutam rem publicam. Mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium; legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa; ius apud cives, modestiam apud socios; urbem ipsam magnifico ornatu; pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset. « Hae plurimorum, inter quos etiam prudentium, sententiae de Augusto mortuo ita consentiunt atque conspirant cum iis, quae Velleius de eodem refert, ut, dum apud Tacitum multitudinis iudicia relata legimus, ipsum Velleium loquentem audire nobis videamur. Sed quis unquam cogitavit istas Augusti aequalium de eius vita sententias adulationi tribuere? Quippe isti homines in externis haerebant, quae rerum vis et natura esset neque quaerentes, neque intelligere assueti. Eorum similis Velleius et pravam consuetudinem aetatis suae secutus verum rebus pretium statuere non valet, neque bonum a malo accurate dignoscere. Nam speciosa pro egregiis habens, quaecunque oculos splendore quodam feriunt, arripit ac pleno ore celebrat. Quo factum est, ut in historia scribenda non tam ad rerum caussas investigandas animum advertat, aut quo quidque modo et consilio factum sit exponendum sibi putet, quam singulis hominibus illustrandis celebrandisque intentus sit, quippe cui res parum aut nihil sint, personae omnia. Quare etiam ea facta, quae

magnitudine sua prae ceteris eminent, non ad rempublicam refert, sed tanquam cum personis eorum, qui fecere, coniunctissima narrat, non assecutus, quamquam sine personis nihil geri potest, tamen in iis, quae gerantur, maius quoddam inesse et gravius, quam cuius vis et natura intelligi possit, si a rerum actoribus non discesseris. Ex eo genere sunt quae narrat de Aemilio Paulo I, 9. 10; de Q. Metello Macedonico I, 11; de P. Scipione Aemiliano I, 12. 13; de L. Mummio I, 13; de Hostilio Mancino II, 1; de Ti. Graccho II, 2; de C. Graccho II, 6; de C. Mario II, 11; de Livio Druso II, 13. 14; de Q. Metello Pio II, 15; de L. Sulla II, 17; de Mithridate II, 18; de P. Sulpicio II, 18. 5; de Cinna II, 24; de C. Mario C. F. II, 26; de Cn. Pompeio II, 29. 33; de L. Lucullo II, 33; de M. Catone II, 35; de C. Caesare II, 41; de P. Clodio II, 45; de C. Curio II, 48; de M. Coelio II, 68; de T. Milone II, 68; de Vatinio II, 69; de M. Bruto et C. Cassio II, 12; de M. Agrippa II, 79; de M. Lepido II, 80; de L. Planco II, 83; de C. Maecenate II, 88; de Rufo Egnatio II, 91; de Ti. Claudio Nerone II, 94; de Druso Claudio II, 97; de C. Sentio Saturnino II, 105; de Maroboduo II, 108; de Varo Quintilio II, 117; de Arminio II, 118; de Seiano II, 127. Quibus exemplis, Sauppii industria collectis, facile plura addi posse, neminem, qui aliquam cum Velleio familiaritatem contraxit, fugiet; sed quum

abunde sufficiant ad scriptoris morem declarandum, eorum numerum augere nolumus.

Ex eodem fonte, unde fluxit ista iudicii levitas, ut personis in historia primum, aut potius unicum locum tribueret, repetendum est etiam, quod historiae Romanae succinctam expositionem saepe singularum rerum narratione distinxit, quae minime ad civitatem pertinent, sed tantummodo cum singulorum hominum fortuna aut moribus coniunctae sunt, iisque illustrandis inserviunt. Quod quo planius intelligatur, hic quoque Sauppium sequemur, qui ex magna exemplorum copia potiora contulit. Huc enim pertinet narratio de Codri morte I, 2; de Persi exitu I, 9; de L. Pauli calamitate domestica I, 10; de M. Popilii Laenatis constantia I, 10; de M. Catonis Censorini morte I, 13; de theatro a Cassio exstructo I, 15; de Scipionis Africani morte II, 4; de C. Gracchi et Fulvii Flacci morte II, 6; de vino Opimiano II, 7; de Livii Drusi domo II, 14; de Mitylenaeorum perfidia II, 18; de C. Marii fuga II, 19; de Calpurniae morte II, 26; de Pontii Telesini morte II, 27; de Q. Catuli auctoritate II, 32; de Luculli luxuria II, 33; de Tigranis deditione II, 37; de Caesare a piratis capto II, 41; de Caesare contra piratas se parante II, 43; de triumphorum paratu Caesaris II, 56; de ambiguo Ciceronis dicto II, 62; de Bruti Cassiique morte II, 70; de faceto Sex. Pompeii dicto II, 77; de severa disciplina Domitii Calvini II, 78; de Antonio Bacchum

agente II, 82; de Planci ineptiis II, 83; de Asinii Pollionis dicto II, 86; de Caesaris cum Pharnace colloquio II, 101; de Germano sene Tiberium visente II, 107; de Coelio Caldo se ipsum interimente II, 120. In singulorum igitur rebus singulis afferendis quum tantopere sibi placeat Velleius, ut universum eius opus non tam continua rerum Romanarum expositione, quam personarum memorabilium compendiosa recensione constet, profecto non est mirandum, eum, quum ad sui temporis historiam accessisset, maxime in iis, qui summum tum in civitate locum obtinebant, laudandis atque celebrandis versari. In quo tantum abfuit, ut adulatorem agere sibi videretur, ut eundem morem, quem in priorum hominum commemoratione secutus erat, etiam in principatu describendo teneret, quamquam peculiaris eius ratio effecit, ut ita vel invitus in adulandi suspicionem incideret. Sed qui ipse liberam rempublicam non vidisset, ac non solum tempore in Augusti Tiberiique principatum incidisset, sed etiam officiis pariter atque beneficiis domui Augustae coniunctus esset, qui poterat aliter de ea sentire atque iudicare, quam omnes, qui eodem loco atque condicione essent, facientes vidit? Nam ita est ingenium hominum, ut, si paucos excipias, quibus generosiores spiritus natura indidit et fortuita contemnere eos docuit, plerique omnes temporibus inserviant, quibus nati educatique sunt, et quamvis libere et ex vero iudicare sibi videantur, tamen consuetudine,

inveteratis erroribus, ac commodi studio ducantur, et quum rectissime agere ac sentire opinantur, longissime ab eo, quod quaerunt, absint atque recedant.

Quae si reputaveris, facile senties, quam iniqui sint, qui Velleium, vulgaris generis hominem et temporis sui pravae consuetudini obnoxium, ad Taciti divinum ingenium exigunt, vitioque ei tribuunt, quod cum alios, tum maxime Tiberium non talem descripsit, qualem ex Tacito cognoscimus. Nam praeter graviores illas, quas iam tetigimus, caussas, quae tum in universa aetatis indole, tum in vitae aulicae necessitudine, tum in ipsa Velleii mediocritate cernuntur, complures aliae accesserunt, quibus factum est, ut auctor invitus et quasi suo iure in imperatoris vitiis famosi laudes abiret.

Mature enim in castra eius delatus, et non solum rerum gestarum eius spectator et adiutor, sed etiam singulari eius cura et favore sustentatus elatusque, non potuit non Tiberium summa admiratione prosequi et quodam pietatis gratique animi sensu amplecti; neque id magis mirum est, quam his rebus cetera omnia, quae in Tiberio erant pessima, ita fuisse obscurata, ut Velleius ea vel non animadverteret, vel multa lenius acciperet atque excusaret. Non aliter enim beneficiarios principum agere, quam ut tantummodo quae in ipsos bona conferantur videant, quae aliis mala infligantur non videant, vix opus videtur exemplo docere. Si qui vero sunt, qui quae-

rant, luculentius nullum offertur, quam amicorum Napoleontis, quos ille tum splendore sui nominis, tum honoribus atque praemiis ita sibi devinxit, ut omnes in eo celebrando conspirarent, adeoque mulierculae eum tanquam virtutis et humanitatis exemplum summa pietate praedicarent, quamquam universae gentes, vim et dolum eius expertae, tyrannum eum et generis humani contemptorem trucissimum et habuerunt, et habent etiamnum.

Ex quo quum pateat, quam facile homines, dum se ipsos modo respiciunt, ceterorum nullam rationem habent, eo adducantur, ut etiam saevos principes egregios putent, Velleius quoque naturae humanae vitio in hunc iudicii sive errorem sive levitatem incidit; quamquam alia etiam excusatio ei non deest, in ipsius Tiberii persona posita. Multa enim in eo erant, quae, si mala non accessissent, per se iure laudari poterant. Nam acerrimo eum fuisse ingenio, et tum ad res hominesque perspiciendos acutissimum, tum ad agendum promptissimum, ne ab iis quidem negatur, qui severissime eum iudicant. Quam egregius fuerit imperator bellique gerendi peritissimus, bella testantur, quae in Germania, Pannonia et Delmatia gessit gravissima. Praeterea civitatis moderandae fuit longe gnarissimus, quippe qui securitati publicae consuleret, ordinem negotiorum gerendorum sustentaret, omninoque magnam curam rebus urbanis externisque impenderet. Luxui non modo publice obstitit, sed etiam privatam

vitam egit parce ac sobrie; vana honorum constanter aspernatus est, et per longum tempus aequum se ac civilem praebuit. Has aliasque virtutes quamquam verisimile est eum simulasse tantum, callideque iis animi sui pravitatem occultasse, hoc tamen constat alium eum priore imperii parte fuisse, alium post Seianum oppressum, ex quo tempore omni pudore exuto crudelitatis nefandarumque libidinum monstrum evasit. Velleius igitur quum ante hoc tempus scripserit, profecto ei non potest culpae dari, quod non talem Tiberii imaginem exhibuit, qualem ex Tacito et Suetonio haustam, qui postrema eius tempora maxime descripserunt, pro unice vera habere consuevimus. Meminisse potius iuvabit, quae de Tiberio defuncto iudicavit Dio Cassius LVIII, 28. p. 900. *Τιβέριος μὲν δὴ, πλείστας μὲν ἀρετὰς, πλείστας δὲ κακίας ἔχων, καὶ ἑκατέραις αὐταῖς, ὡς καὶ μόναις κεχρημένος, οὕτω δὴ μετήλλαξε*, ex quo facile patet Velleium habuisse, ob quae imperatorem suum merito praedicaret, neque adulandi studio falsas illi laudes affinxisse.

Quodsi etiam sic multa remanent, in quibus nimius fuisse modumque excessisse videatur, prudentes tamen ingenii Velleiani existimatores non fugiet, quantum haec quoque excusationis habeant ab rhetorico orationis colore, quem pro perversa aetatis suae consuetudine magis inscius quam de industria operi suo induxit. Nam ut vita et moribus illius temporis ho-

mines degeneraverant a prisca simplicitate, ita dicendi quoque genus communi aetatis labe affectum fuit. Omissa enim nativa elegantia, quae in summa cernitur simplicitate et in eo, ut quidque apto vocabulo reique accommodato significetur, Velleius cum aequalibus maiorem quandam vim dicendi quaerens omnia supra naturalem modum auget, verbisque in rebus mediocribus utitur tam splendidis ac veram rerum rationem ita excedentibus, ut haud raro, quum de eximiis viris dicit, adulandi speciem offerat, ubi vix huic vitio locus erat. Nam qui Tiberium et Seianum supra fidem extollit, idem etiam, ut hoc utar, II, 31, 1. Pompeium dicit *per omnia maiorem aevo habitum;* II, 35, 1. Catonem *Virtuti* vocat *simillimum et per omnia ingenio diis quam hominibus propiorem;* II, 66, 5. Ciceronem tantum fuisse profitetur, ut *citius mundo genus hominum, quam illius nomen cessurum sit.* Hae igitur laudes si non ab adulatione profectae sunt, quod omnes concedent, aequitatis est etiam in iis, in quibus speciosior quaedam adulandi caussa videri poterat, multa stilo, non animo tribuere, quippe quae ad simplicem eumque civilem dicendi modum revocata potius vitiosum scribendi genus, quam humile assentandi studium prodant. Sed nolumus haec uberius persequi. Nam ad Velleium adulationis invidia liberandum et ad verum eius consilium, quod in scribendo ei propositum fuit, illustrandum satis dictum puto.

Sed pauca adhuc subiicienda videntur de operis divisione, de ordine, quo auctor rerum gestarum narrationem exhibuit, de fontibus, unde sua hausit, denique de chronologia, qua peculiari usus est.

Ac de eo, quod primo loco posuimus, vix dicendum esset, nisi Lipsius vulgatam rationem, qua opus in duos libros dividitur, in dubium vocasset. Sed quam in Praefatione (ed. Ruhnk. Vol. II, p. X. Fr.) et ad I, 9, 1. affert caussam, non potuisse res, tum externas, tum Romanas usque ad annum u. c. DLXXXII, quae ingenti lacuna perierunt, unius libri ambitu contineri, sed pluribus libris tractandas fuisse, inanis opinio est, quae ne ullam quidem verisimilitudinis speciem habet. Non minus erravit vir summus in verbis I, 14, 1. interpretandis, ubi Velleius haec dicit: *Statui priorem huius voluminis posterioremque partem non inutili rerum notitia in arctum contracta distinguere.* Non assecutus enim quid esset prior posteriorque huius voluminis pars, suspicatus est, qui nobis sit liber primus, eum in duas partes sive libros fuisse divisum. Sed luce clarius est *voluminis* vocabulo hoc loco significari universum opus, ut II, 131, 1. *Voto finiendum volumen est.* Partes igitur voluminis quum libri sint, in quos auctor opus divisit, quorumque alterum coloniarum, alterum provinciarum notitia distinxit, ipsa eius professione constat non ultra duorum librorum numerum progressum esse.

De ordine vero, quem in componendo opere secutus est, fortasse haud dicendum videatur, quum res neque per se obscura sit, neque magnam quandam utilitatem promittat. Sed tamen propterea paucis attingenda est, quod ratio, quam auctor in rerum ordine tenuit, et cum universo eius ingenio, et cum festinatione scribendi coniuncta est, et ad utrumque, de quo iam supra egimus, illustrandum pertinet. Nimirum proposuit sibi Velleius annorum seriem sequi, et ut quidque tempore prius erat, ita etiam priorem in narratione locum ei assignare. Sed quum nimio personarum studio teneretur, ut supra demonstravimus, eo factum est, ut saepe invitus a consilio suo deflecteret, et non rebus, sed personis admonitus traderet, quae alio loco tradenda erant. Qui primus hoc scite observavit Sauppius in Mus. Helvet. I, 2. p. 158., exempla huius negligentiae attulit II, 5. ubi narrato exitu P. Scipionis Africani minoris transitur ad eorum ducum commemorationem, qui prioribus temporibus in Hispania bellaverant, cuius digressionis non alia caussa fuit, quam recordatio belli Numantini, a Scipione in Hispania gesti. Similiter II, 41. narratio ad Caesaris consulatum processit; sed huius viri magnitudine admonitus auctor multa refert ex superiore tempore, quorum suo loco mentionem facere omiserat. Idem fecit in Octaviano, cuius II, 59. ita meminit, ut simul ad priora eius tempora redeat, indeque repetat, quae antea referre neglexerat. Rursus quae

ad Caesaris interfectores pertinebant, quaeque variis in provinciis ab iis acta erant, non prius memorat, quam ubi ad Bruti atque Cassii res extremas II, 69. pervenit. Quae desultoria ratio quum iam per se ab aequabili et placida rerum narratione absit, tum aucta est etiam summa festinatione, qua agitatus auctor, quae oblitus erat, alieno loco inferre non dubitavit. Ex quo genere est quod de Coelii et Milonis turbis atque exitu II, 68. habet, ipse professus, suo praeteritum loco se hic inferre. Tam parum igitur iusto rerum ordini consuluit, ut magis quae in celeri transcursu ipsi se offerrent, arriperet, quam severum rerum gravium delectum institueret. Festinatione autem tanta usus est, ut de retractandis atque expoliendis, quae scripserat, cogitare non posset, sed in iis, quae calamo exciderant, acquiesceret, satis habens, si narratio quodam vigoris sive splendore sive fuco niteret. Cuius vitii observatione quamquam multum detrahitur vulgari opinioni de insigni Velleii arte, tamen quivis, vera speciosis praeferens, intelliget, quantum iusta huius rei existimatio valeat ad rectam in emendando Velleio viam ineundam atque tenendam. Quam saepe enim priores editores eo, quod nihil non egregium a Velleio profectum esse sibi persuaserant, a vero videndo abstracti fuerint, ut non solum corrupta male sanarent, sed etiam integra corrumperent et inepte tentarent, ex quovis fere capite perspicitur, ut hic exemplis afferendis commode supersedere possimus.

Quibus fontibus usus sit Velleius fortasse constaret nobis, si initium libri prioris adhuc superesset. Quo deperdito ad coniecturas nobis confugiendum est, quamquam facile concedimus, neque admodum certa esse, quae ita erui possint, neque, si certa essent, multum ea momenti habere, ad auctorem nostrum vel intelligendum rectius, vel felicius emendandum. Non prodiisse enim opus eius ex diuturna atque acri multorum et reconditorum fontium perscrutatione, ex iis patet, quae supra de eius consilio et origine disputavimus. Quare haec quaestio de fontibus non tantam vim habet, quantam, ut hoc utar, in Livii historia, sed eo redit, ut, quibus adminiculis ad opus quam celerrime conficiendum usus sit, probabiliter assequamur. Licet enim doctis litterarum studiis eum vacasse ac legendis optimis scriptoribus otium suum impendisse supra probare studuerimus, tamen horum studiorum fructum fuisse totam historiam romanam difficile est ad credendum. Cuius posterior pars, quae principatus initia et progressum complectitur, quum sane fluxerit ex iis, quae ipse de hoc argumento collegisset et commentatus esset, in ceteris omnibus, quibus et externas res et romanas desultorio quodam modo tractavit, unice ex aliis auctoribus pependit, ita quidem, ut res ab illis traditas non in iudicium et censuram vocaret, sed quae apud quemque notata inveniret, ea arriperet et tanquam paratis copiis uteretur. In asiaticis igitur atque graecis rebus nar-

randis non videtur graecos scriptores adiisse; sed qui ex istis sua hausissent, Trogum Pompeium et Cornelium Nepotem auctores habuisse putandus est, quorum ille in Historiis Philippicis, hic in Chronicorum opere diligenter externa est persecutus; cf. Bernhardii Histor. litt. rom. p. 268. §. 48. et p. 263. §. 40. In rebus italicis vero et romanis praeter eosdem duos alios maxime inspexisse ac duces sibi sumpsisse consentaneum est, alterum Catonem, Pomponium Atticum alterum. Ac de priore non dubitare sinunt ea, quae de coloniis disputavit, quippe quae non aliunde, quam ex Catonis Originibus desumpta esse luculenter probetur iis, quae I, 7, 3. de chronologico quodam errore eius leguntur. Attici vero scriptis usum esse admodum probabile fit, horum indole cum Velleii peculiari more comparata. Quid ille enim iis spectaverit non solum patet ex Ciceronis Bruto c. III, 14., ubi Annali suo omnem rerum memoriam breviter et perdiligenter complexus esse dicitur, sed maxime ex Nepote, cuius in vita Attici c. XVIII, 1 sqq. haec sunt verba: »Antiquitatem adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata. Et quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris,

ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit, notans qui, a quo ortus, quos honores quibusque temporibus cepisset. Pari modo Marcelli Claudii Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum quoque; quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum. « Iam si reputaveris quantopere Velleius, neglecta rerum gravitate, personis institerit, in iisque celebrandis sibi placeat (v. supra p. XXVII sq.), vix dubitabis quin isti Attici libri commodissimam facultatem ei praebuerint sine negotio quaecunque ipsi opportuna viderentur inde mutuandi. Praeterea ex Hortensii Annalibus nonnulla eum petiisse colligitur ex eo, quod II, 16, 3. ad eius testimonium provocat. De ceteris, quos modo tetigimus, excepto uno Catone, incerta quidem res est, ipso tacente, sed tamen haud paullo probabilior, quam ridicula Krausii sententia, qui omnium paene historicorum et latinorum et graecorum operibus eum usum esse vult, ac serio eum pro altero Livio vel adeo Tacito venditare non dubitat.

Sed Velleius ut non multos fontes adiit, ita ne magnam quidem adhibuit in eorum usu diligentiam, diversis rationibus non satis discretis, sed inconsulto confusis. Cuius rei singulare exemplum cernitur in temporum vel annorum constituendorum ratione, de qua paucis adhuc nobis dicendum est. Mirifice enim Velleius non solum a vulgari chronologia recedit, sed

etiam a se ipso discrepat, quamquam, ut nobis quidem videtur, prorsus alio modo, quam Laurentius in Fastis consularibus capitolinis statuit.

Nam quum duae rationes sint rerum Romanarum annos numerandi, quarum altera Varronem habet auctorem, qui urbem Ol. VI, 3. i. e. anno a. Chr. n. 753 conditam esse censuit, altera a Catone profecta est, qui urbis initium Ol. VII, 1. sive anno a. Chr. n. 751 assignavit, Velleius, ubi urbis conditae annum refert, aperte aeram Varronianam sequitur; cf. I, 8, 4. *Sexta Olympiade, post duo et viginti annos, quam prima constituta fuerat* (i. e. Ol. VI, 3.) *Romulus — urbem Parilibus in Palatio condidit.* Sed in ceteris rebus omnibus, prorsus omissa hac ratione, ad Catonianam aeram annos computat, ut primus animadvertit Laurentius in Fastis coss. capitt. p. 80. Pendet autem eius rei observatio ex anno consulatus Vinicii, ad quem Velleius pro scriptionis suae consilio singulorum factorum annos ita constituit, ut quantum quaeque ab illo distent Vinicium vel doceret vel admoneret. Iam quum ex vulgari aera Varroniana eius consulatus in annum u. c. 783 incidat, Laurentius reperit, secundum Velleium istum annum esse 781 u. c., quamquam eum locum, qui ad hanc novam rationem ineundam quasi viam monstrat, neglexit. Quippe I, 14, 6. haec leguntur: »M'. Curio et Rufino Cornelio consulibus Sabinis sine suffragio data civitas. Id actum ante annos *ferme* CCCXX.« At

quum secundum Fastos consulares capitolinos Curius et Rufinus a. u. c. 463 consules essent, inter hos et Vinicium non *ferme*, sed *accurate* 320 anni interessent, si is anno 783 consulatum gessisset. Quare ex addita *ferme* voce, quae prorsus inepta esset, si ipsi 320 anni inde ab civitate Latinis data usque ad Vinicii consulatum elapsi essent, patet Velleium rotundo numero usum esse, ac verum uno aut duobus annis ab eo, quem posuit, discrepare. Quae discrepantia qualis sit ex aliorum locorum comparatione facile intelligitur; cf. II, 49, 2. *Lentulo et Marcello coss. post urbem conditam annis DCCIII, et ante annos LXXVIII, quam tu, M. Vinici, consulatum inires, bellum civile exarsit*, ubi annis 703 et 78 coniunctis efficitur 781. Idem numerus habetur II, 65, 2. *Consulatum iniit Caesar cum collega Q. Pedio post urbem conditam annis DCCVIIII, ante LXXII, quam tu, M. Vinici, consulatum inires;* nam 709 et 72 efficiunt 781. Denique idem prodit ex II, 103, 3. *Augustus Tiberium Aelio Cato, C. Sentio coss. p. u. c. annis DCCLIIII, ab hinc annos XXVII adoptavit;* nam si 754 coniunxeris cum 27, habebis 781. In tanta rei perspicuitate dubitari non potest, quin Velleius ceteris quoque locis, ubi annos refert ad Vinicium, Catoniana aera usus sit; quae quum numeris ubique fere corruptis valde obscurata sit, faciendum putavimus, ut ex coniectura eam aequabiliter per totum librum restitueremus. In

quo probe est tenendum ipsa corruptelarum natura atque emendandi ratione novum argumentum accedere integris locis, quibus Velleium aeram Catonianam secutum esse probavimus. Nam quum numeri non mentis aut iudicii, sed oculorum errore corrumpi soleant, magnopere cavendum est, ne nimis violentis et multiplici notarum numeralium mutatione impeditis coniecturis loci vitiosi tententur. Quare quum plerumque vitium in eo cernatur, ut vel V abierit in X, vel X in V, vel L (l) in I, vel I in L (l), vel I aut II in V, vel ut temere numeri centenarii aut denarii signa immissa, vel omissa sint, quo simpliciores sunt medelae ex hoc genere adhibitae, eo maiorem veritatis speciem prae se ferunt. Qui ad hunc igitur modum in emendandis Velleii numeris versatus fuerit, sentiet sponte se ad Catonianam aeram devenire. Ita, ut paucis exemplis defungamur, locus II, 10, 1. ubi haec leguntur: *Censores Cassius Longinus Caepioque abhinc annos CLVII Lepidum Aelium Augurem adesse iusserunt*, facillime sanatur, si CLVII mutaveris in CLIII; nam quum illorum censura cadat in annum u. c. 628, hoc numero a 781 detracto, relinquitur 153; vitium autem ortum est eo, quod I falso transiit in V. Similiter I, 8, 1. de Iphito, quem Velleius falso pro Olympiadum conditore habet, haec leguntur: *Is eos ludos mercatumque instituit ante annos, quam tu, M. Vinici, consulatum inires DCCCXXIII.* Qui numerus si ad aeram Varronianam

exigatur, mutandus erit in DCCCV, ad Catonianam, in DCCCIII, quod quanto proprius absit ab codicis scriptura in oculos incurrit, siquidem non quinque signa, sed duo tantum corrupta esse intelligitur, quae scriba dormitans praeter ordinem intulit. Emendatione simili egent verba I, 8, 4. *Romulus urbem Parilibus in Palatio condidit, a quo tempore ad vos consules anni sunt DCCCCLXXXL.* Qui numerus quum non solum duobus notis centenariis abundet, pariter scribae socordia additis, sed etiam in fine ineptum L habeat, neminem fugiet eiectis notis CC etiam L mutandum esse. Quo in notam III mutato quum habeas annum consulatus Vinicii ex aera Varroniana constitutum, contra signo I pro L posito idem annus ad Catonianam exigatur, vix poterit dubitari, utra emendatione auctoris manus restituta sit. Nam si scripsit DCCLXXXI, facile intelligitur, quomodo I in L (l) depravari potuerit; sed si DCCCLXXXIII ab eo profectum fuit, nullo pacto perspicitur, quomodo scriba III cum L (l) confundere potuerit.

Quum igitur et loci integri, et vitio aliquo affecti, sed recte emendati, certo documento sint, Velleium per totum librum aeram Catonianam secutum esse, id nullo modo conciliari potest cum eo, quod, ut supra demonstravimus, urbem Romam Ol. VI, 3. conditam fuisse tradit, si ratione id et consulto fecisse statuas. Quae mira discrepantia vix aliunde, quam ex inconsiderato variorum auxiliorum usu repeti

potest, quamquam difficile est reperire, quod rem plane explicet. Fortasse dicas Velleium annum Romae conditae Ol. VI, 3. institutione puerili ipsi traditum ac firmiter memoria retentum, tanquam nulli dubitationi obnoxium posuisse, in singularum autem rerum annis constituendis, ut operae compendium faceret, ducem secutum esse, qui ad Catonis aeram facta digessisset. Utcunque est, caussa in festinatione scribendi posita fuit, quae ei non permisit accuratius studium iis fontibus, quibus annorum ratio exploraretur, comparandis impendere. Nullo modo autem Laurentio possumus assentiri, qui in Fastis coss. capitt. p. 81 sqq. Velleium censet passim ab aera Catoniana ita discessisse, ut, licet a ceteris auctoribus omnibus discrepet, tamen sibi ipsi consentiat et peculiare quoddam systema chronologicum sequatur. Quae opinio quam falsa sit, non opus est multis demonstrare. Deceptus enim est Laurentius corruptis numeris; qui quomodo ad iustam rationem revocandi sint, suis quibusque locis ostendimus, quos lectores in Indice in unum collectos reperient. Hoc unum addere iuvat, omnino nihil magis esse lubricum et dubitationi obnoxium, quam numeros, praesertim in Velleio, cuius unus tantum isque valde depravatus codex exstitit, ita ut ne lectionis discrepantia quidem adiuvemur ad verum eruendum. Sed ne codicum quidem ope in singulis annis constituendis omnem tolli dubitationem facile concedet, qui reputaverit, veteres ipsos haud raro ab errore non

cavisse, quippe qui neque tam accuratis expeditisque uterentur temporum notandorum auxiliis, uti nos, et in computandis annis perpetuo fluctuarent uno anno, cuius rei haec caussa fuit, quod extremum annum modo numerant, modo non numerant, pariter ut apud nos, qui quot annos nati sint docere volunt, eum annum, quem agunt, vel relicuis addunt, vel eius rationem non habent. Quo quum apud Velleium hoc accedat, ut interdum consulatus Vinicii oblitus eum annum, quo scripsit, i. e. 780, extremum faciat, quibus finibus constantia eius chronologiae circumscripta sit prudentes existimatores non fugiet.

Iam absoluta disputatione de iis, quae ad argumentum pertinent, de dicendi genere adhuc nobis agendum est, cuius rei tanta est gravitas, qua non perspecta et ad certas rationes revocata nemo probabiliter in scriptore emendando versari possit. Neque potest negari, nihil magis obfuisse, quominus editorum studia mendis eum purgandi feliciter procederent, quam quod fere omnes falsam de eius scribendi genere opinionem animo conceperunt. Nam uno paene ore in eo consentiunt, Velleium usum esse oratione praeclara, polita atque compta, neque verborum elegantia ullo rerum gestarum scriptore esse inferiorem. Ita, ut alios omittamus, Rhenanus in Praef. (ed. Ruhnk. p. XXIV. Fr.) *castissimo stilo* ac *summa facundia Caesari eum aequat;* Muretus ad Ciceronis orat. in Catil. III, 10. iudicavit *historiam*

a Velleio terse imprimis atque eleganter conscriptam esse; Cellarius in Praefat., *dictionem eius plane romanam atque elegantem* dicit; neque Ruhnkenius, doctissimus alioquin latinitatis existimator, dubitavit in Praef. p. XX. ed. Fr. *venustum ei et exquisitum loquendi genus* tribuere. Sed ista iudicia potius a sensu quodam vago atque praeiudicata opinione, quam ab accurata verae eius indolis cognitione profecta esse ex iis patebit, quae diligenti eius rei observatione circumspectis lectoribus sese offerunt. Nimirum omnes dictionis Velleianae laudes non ultra *latinae orationis* virtutem progrediuntur, quae tum in usu bonorum usitatorumque vocabulorum, tum in legitima eorum declinatione et structura cernitur. Ad quam dictionis castitatem quum vigorem quendam atque splendorem sententiarum editores viderent accedere, ita his orationis quasi lenociniis capti sunt, ut neque maiora et perfectiora requirerent, et ea, quae minus probanda sunt, vel non animadverterent, vel iusto levius iudicarent.

Quod autem Velleii oratio non tantis nitet virtutibus, ut vulgaris est opinio, eius rei tres potissimum caussae reperiuntur. Primum laborat omnibus vitiis, quae sui aevi erant propria. Nam ut in republica et in moribus nihil erat sanum atque robustum, ita in litteris quoque sanitatis ille color, quem in prioribus admiramur, paullatim evanuerat. Qua ingeniorum labe Velleius quoque affectus, et spreta antiqua sim-

plicitate, in nativa oratione non satis inesse quod placeret ratus, nihil magis studuit, quam ut languentes et fastidiosos aequalium animos quaesitioribus et verbis et sententiis excitaret, qui antiqua tanquam trivialia et obsoleta aspernarentur, eos novis et immodicis caperet deliniretque, et argutiis orationem condiret acuminibusque illuminaret. Quo factum est, ut quum in quovis genere attributorum modum excedat, tum, si quid *magnum* ei dicendum est, semper rem verbis in immensum augeat et hyperbolicam dicendi rationem sectetur, id quod primus Sauppius in Mus. Helvet. I, 2. p. 177. diligenter notavit, ex qua commentatione egregia viri acutissimi venia petemus, quae ad rem videbuntur. Ad hoc igitur hyperbolarum genus pertinent locutiones huiuscemodi: II, 41, 1. *Caesar animo super humanam et naturam et fidem evectus.* II, 51, 3. *Balbus excedente humanam fidem temeritate ingressus castra.* II, 56, 1. *Caesar, quod humanam excedat fidem, omnibus ignovit.* II, 40, 2. *Pompeius per omnia fortunam hominis egressus.* II, 31, 1. *Pompeius per omnia maior aevo habebatur.* II, 35, 2. *Cato, homo Virtuti simillimus et per omnia ingenio diis quam hominibus propior.* II, 97, 2. *Drusus Claudius adulescens tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalium recipit.* II, 130, 4. *Amissa mater, eminentissima et per omnia deis quam hominibus similior femina.* Idem hyperbolarum studium produnt

singula quaedam vocabula nimis frequentata, velut *coelestis* pro *eximius* II, 24, 3; II, 60, 2; II, 64, 3; II, 66, 3; II, 94, 1; II, 104, 3; II, 123, 3; — *eminens* I, 17, 4; II, 36, 2; II, 40, 5; II, 107, 1; II, 109, 1; II, 114, 1; II, 124, 2; II, 127, 1; — *eminentissimus* I, 12, 3; I, 16, 2; II, 2, 1; II, 17, 3; II, 22, 2; II, 43, 3; II, 71, 2; II, 72, 3; II, 75, 2; II, 99, 1; II, 101, 2; II, 121, 3; II, 130, 5; — *eminere* I, 17, 7; II, 26, 3; II, 49, 1; II, 103, 2; II, 122, 1; II, 127, 2; II, 130, 1; — *magnificentissimus* II, 29, 1; II, 40, 3; II, 56, 1; II, 100, 2; II, 120, 5; — *immanis* I, 11, 2; I, 12, 4; II, 2, 1; II, 12, 2; II, 38, 3; II, 46, 4; II, 51, 1; II, 59, 6; II, 69, 6; II, 88, 3; II, 105, 4; — *fulgor* I, 5, 1; II, 4, 6; II, 50, 3; II, 99, 2; — *fulgentissimus* II, 39, 1; II, 64, 3; II, 71, 1; — *fulgere* II, 106, 1; II, 107, 1; — *illuminare* I, 18, 3; II, 18, 3; II, 35, 1; II, 66, 5; — *nitere* I, 17, 1; II, 9, 1; — *praenitere* II, 35, 1; II, 39, 2; II, 59, 1.

Quemadmodum his exemplis, Sauppii diligentia collectis, quae, si opus esset, multum augeri possent, planum fit, Velleium in rebus significandis modum excedere, et ad alliciendos lectores verbis uti nimis splendidis atque ab antiqua simplicitate longe recedentibus, ita idem sibi placet in sententiis argutis sectandis, quae vel inexpectato quodam acumine, vel artificiosa oppositione ferirent pariter atque delectarent

animos. cf. I, 12, 2. *Magis quia volebant Romani — credere, quam quia credenda afferebantur, statuit senatus Carthaginem excidere.* I, 12, 5. *Scipio fecit suae virtutis monimentum, quod fuerat avi eius clementiae.* I, 12, 7. *Neque ante invisum esse desiit, quam esse desiit.* II, 1, 5. *Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia perduxit huc, ut — hostibus dederetur.* II, 4, 2. *Scipio missus in Hispaniam fortunae virtutique expertae in Africa respondit in Hispania.* II, 5, 3. *Tantum effecit spes desperatione quaesita.* II, 9, 4. *Iugurtha ac Marius in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent.* II, 15, 4. *Nec triumphis honoribusque, quam aut causa exili, aut exilio, aut reditu clarior fuit Numidicus.* II, 19, 3. *Cives ab hoste misereri principis viri docti.* II, 19, 4. *Cum Marius aspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.* II, 20, 3. *Iniuria homine quam exemplo dignior fuit.* II, 22, 4. *Catulus, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem obiit.* II, 23, 5. *Athenienses cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, et animos extra moenia, corpora intra muros habebant.* II, 26, 2. *In qua civitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus, optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessi-*

mus. II, 27, 5. *Si eundem et vincendi et vivendi finem habuisset.* II, 29, 4. *Pompeius potentia sua nunquam aut raro ad impotentiam usus.* II, 31, 4. *Interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget aut levat.* II, 32, 6. *Quamquam in auctore satis rationis est, tamen ratio quemlibet magnum auctorem faceret.* II, 33, 3. *Neque quisquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit.* II, 34, 3. *Cicero effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur.* II, 35, 5. *Catilina non segnius vita abiit, quam sceleris conandi consilia inierat.* II, 40, 3. *Pompei reditum favorabilem opinio fecerat.* II, 38, 3. *Immane bellicae civitatis argumentum, quod — certae pacis argumentum Ianus clausus dedit.* II, 46, 3. *Utile imperatoris damnum, salvo exercitu, fuisset reipublicae.* II, 48, 4. *Curionis omnino voluptatibus vel libidinibus neque opes ullae neque cupiditates sufficere poterant.* II, 49, 4. *Lentulus salva republica salvus esse non poterat.* II, 50, 3. *Caesar cum alienis armis ad arma compulsus esset.* II, 53, 3. *Pompeio, cui modo ad victoriam terra defuerat, defuit ad sepulturam.* II, 55, 1. *Caesar primo varia fortuna, mox pugnavit sua.* II, 57, 1. *Caesar, dum clementiam, quam praestiterat, expectat, occupatus est.* II, 66, 2. *Nihil tam indignum fuit,*

quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo Cicero proscriptus est. II, 67, 2. *Notandum est, fuisse in proscriptos uxorum fidem summam, libertorum mediam, servorum aliquam, filiorum nullam.* II, 75, 3. *Livia effugiens futuri sui Caesaris manus.* II, 83, 2. *Plancus in omnia, et in omnibus venalis.* II, 85, 3. *Antonius, qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est.* II, 85, 5. *Fuit in confesso milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio, ut dubites, suo, an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit, qui ad eius arbitrium direxit fugam.* II, 90, 4. *Quae provinciae maximis bellis nunquam vacaverant, eae sub C. Antistio — etiam latrociniis vacarunt.* II, 91, 2. *Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Caepio et ante hoc erat pessimus.* II, 91, 2. *Quod vi facere voluerunt, iure passi sunt.* II, 92, 2. *Caesar circumferens terrarum orbi praesentia sua pacis suae bona.* II, 103, 2. *Neque enim quaerendus erat, quem legeret, sed legendus, qui eminebat.* II, 104, 3. *Quum — sibi quisque, quam illi gratularentur plenius.* II, 105, 3. *Pietas sua Caesarem — in urbem traxit; at tutela imperi eum reduxit in Germaniam.* II, 108, 2. *Maroboduus natione magis, quam ratione barba-*

rus. II, 111, 2. *Ut praesidium militum respublica ab Augusto ducem poposcit Tiberium.* II, 112, 3. *Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut, ubicunque Caesar esset, nihil in se reponerent.* II, 112, 5. *Romani virtus militis plus vindicavit gloriae, quam ducibus reliquit.* II, 117, 2. *Varus Syriam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* II, 121, 2. *Absurdum erat, non esse sub illo, quae ab illo vindicabantur.* II, 121, 3. *Hostium duces non occisos fama narravit, sed vinctos triumphus ostendit.* II, 124, 1. *Quid homines timuerint neque mihi exprimere vacat, neque cui vacat, potest.* II, 124, 1. *Tanta unius viri maiestas fuit, ut nec bonis, neque contra malos opus armis foret.* II, 125, 1. *Nec diu latuit, aut quid non impetrando passuri fuissemus, aut quid impetrando profecissemus.* II, 125, 4. *Ut pleraque ignovit Germanicus, ita Drusus — prisca antiquaque severitate — obsidentis coercuit.* II, 126, 2. *Revocata in forum fides, summota e foro seditio.* II, 126, 5. *Facere recte civis suos princeps optimus faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo maior est.* II, 129, 1. *Flaccus Pomponius natus ad omnia, quae recte facienda sunt.* II, 129, 3. *Ut ante pop. Rom. vicisse se, quam bellare cognosce-*

ret, nunciosque periculi victoriae praecederet nuncius.

In hoc argutiarum studio, quod quam late pateat ac per totum opus diffusum sit, ex his exemplis intelligitur, interdum etiam accidisse Velleio, ut vel parum aptis imaginibus uteretur, vel obscurioribus comparationibus implicaretur, neque mirum est, et multis locis confirmatur, quorum nonnullos certe afferemus. cf. I, 8, 1. *Clarissimum deinde omnium iudicrum certamen — Olympiorum initium habuit, auctorem Iphitum.* I, 16, 2. *Quemadmodum clausa capso alioque septo diversi generis animalia nihilominus separata alienis in unum quaeque corpus congregantur, ita cuiusque clari operis capacia ingenia in similitudine et temporum et profectuum semet ipsa ab aliis separaverunt,* ubi nihil potest ineptius aut certe ieiunius esse praeclarorum ingeniorum cum bestiis comparatione. II, 4, 6. *De tanti viri (Scipionis Aemiliani) morte nulla habita est quaestio, eiusque corpus velato capite elatum, cuius opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput,* quo loco non minus inepte lusit propria et translata vocabuli potestate, atque II, 53, 3. *Pompeio, cui modo ad victoriam terra defuerat, defuit ad sepulturam.* II, 49, 3. *Consules senatusque causae, non Pompeio, summam imperi detulerant.* II, 52, 3. *Aciem Pharsalicam — et col-*

lisa inter se duo reipublicae capita, effossumque alterum Romani imperi lumen, non recipit enarranda hic scripturae modus.

Aliud aevi Velleiani vitium cum hoc argutarum sententiarum atque antithesium aucupio coniunctum in eo cernitur, quod et poetae et pedestris orationis scriptores sibi placent in eadem sententia pluribus modis enuncianda itaque varianda, ut, dum aliis verbis idem dicunt, orationem, quam ornare student, enervent ac deteriorem reddant. Hoc quale sit ex veteribus ipsis Seneca optime perspexit, in Controvv. XXVIII. ita disputans. »Habet hoc Montanus vitium: sententias suas repetendo corrumpit; dum non est contentus unam rem semel bene dicere, efficit, ne bene dixerit. Et propter hoc et alia, quibus orator potest poetae similis videri, solebat Scaurus Montanum inter oratores Ovidium vocare; nam et Ovidius nescit quod bene cessit relinquere.« Neque Velleium hoc more orationis prolixae ac diffluentis vacasse plurima ostendunt exempla, quorum partem iam Haasius in Ephemerr. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 202. collegit. cf. I, 13, 3. *Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli aut pacis serviit artibus. Semper inter arma ac studia versatus aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit.* I, 13, 5. *Non tamen, puto, dubites, Vinici, quin magis pro republica*

fuerit manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi, et quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior. I, 17, 7. *Ut primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur, ita, ubi aut praeteriri aut aequari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit, et quod assequi non potest, sequi desinit, et velut occupatam relinquens materiam quaerit novam; praeteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid in quo nitamur, conquirimus.* II, 3, 3. *Inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior, discordiaeque civium, antea condicionibus sanari solitae, ferro diiudicatae, bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit,* etc. II, 7, 6. *Factum Opimi, quod inimicitiarum quaesita erat ultio, minor secuta auctoritas; et visa ultio privato odio magis, quam publicae vindictae data.* II, 8, 1. *Adeo illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum, factaque ad consilium dirigebant, et quid, non in quantum admissum foret, aestimabant.* II, 22, 5. *Postea id quoque accessit, ut saevitiae caussam avaritia praeberet, et modus culpae ex pecuniae modo constitueretur, et qui fuisset locuples, fieret inde nocens, sui quisque periculi merces foret, nec quicquam vi-*

deretur turpe, quod esset quaestuosum. II, 23, 5. *Oppressi Mithridatis armis homines miserrimae condicionis quum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, et animos extra moenia, corpora, necessitati servientes, intra muros habebant.* II, 24, 4. *Sulla, cum per triennium Cinnanae Marianaeque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit, nec, quod erat in manibus, omisit, existimavitque ante frangendum hostem, quam ulciscendum civem* etc. II, 28, 3. *Primus ille exemplum proscriptionis invenit, ut, in qua civitate petulantis convici iudicium histrioni exoleto redditur, in ea iugulati civis Rom. publice constitueretur auctoramentum, plurimumque haberet, qui plurimos interemisset, neque occisi hostis quam civis uberius foret praemium, fieretque quisque merces mortis suae.* II, 33, 3. *Pompeius in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus, ut qui eos ut libentissime iniret, ita finiret aequo animo, et quos cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret.* Quae praeterea huius consuetudinis, in universum ex rhetorum scholis profectae, exempla apud Velleium leguntur, eorum locos tantum ascribemus, verba lectoribus inspicienda relinquentes; cf. I, 12, 7; I, 16, 2; II, 14, 3; II, 32, 4; II, 53, 2; II, 64, 2; II, 69, 4;

II, 90, 1; II, 92, 5; II, 95, 3; II, 98, 3; II, 115, 5; II, 118, 4; II, 129, 3.

Huic prolixioris orationis generi cognatum est aliud, tanquam pars illi subiecta, quod non tam constat sententiis repetendis variandisque, quam verborum aut locutionum eiusdem sensus cumulatione. Quae cum saepe ita comparata sit, ut minus dicendi copiam prodere, quam molestam tautologiam efficere videatur, editoribus eo passim suspicio nata est, corruptela eiusmodi locos affectos esse, quae coniectura aliqua tolli debeat. A qua perversa opinione quum non nisi universi generis accurata cognitio avocare possit, hanc quoque dictionis Velleianae partem exemplis potioribus illustrabimus. cf. I, 16, 3. *Una aetas illustravit priscam illam et veterem comoediam.* II, 33, 1. *Lucullus Mithridatem saepe multis locis fuderat.* II, 37, 1. *Mithridates magnas novi exercitus viris reparaverat.* II, 102, 1. *Perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia.* II, 116, 5. *Iustus sine mendacio candor.* II, 37, 5. *Aliae provinciae tum primum in populi R. potestatem redactae, ut Syria, quae tum primum facta est stipendiaria.* II, 52, 3. *Illum cruentissimum Romano nomini diem, tantumque utriusque exercitus profusum sanguinis — non recipit enarranda hic scripturae modus.* II, 59, 4. *Caesar ad eruendum liberalibus disciplinis singularis indolem*

iuvenis Apolloniam eum in studia miserat. II, 92, 2. *Sentius — cum alia prisca severitate summaque constantia vetere consulum more ac severitate gessisset, tum in comitiis habendis praecipuum egit consulem.* II, 99, 2. *Tiberius inenarrabili pietate, cuius causae mox detectae sunt, — dissimulata causa consili sui commeatum ab socero petiit.* II, 112, 7. *Agrippa, qui adoptatus ab avo suo naturali erat, — patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi.* II, 118, 1. *Germani agentes gratias, quod feritas sua novitate incognitae disciplinae mitesceret.* II, 130, 2. *Quanta cum quiete hominum supplementum sine trepidatione delectus providet.* II, 131, 2. *Eique functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos.* His locis inter se comparatis, facile perspicitur esse in quavis enunciatione unam aut plures voces, quae ad sensum redundent, quum nihil iis afferatur, nisi quod iam alia eiusdem enunciationis voce contineatur. Nihilominus omnium locorum ea natura est, ut verba a Velleio profecta esse appareat. Quodsi qui editores fuerunt, qui hic illic offenderent, ac vario modo ea, quae sana sunt, tentarent, profecto eo ostenderunt scriptoris sui consuetudinem parum se cognitam habere. Ex omnibus autem, quae huc usque disputavimus, hoc clarissime elucet, *brevitatem dicendi* frustra in Velleio quaeri.

Quam quum fere omnes critici tanquam virtutem eius peculiarem celebrent, atque haud raro non aliam ob caussam ad coniecturas confugerint, quam quia auctoris verba illi brevitatis opinioni, quam animo conceperant, non responderent (cf. Ruhnken. ad I, 13, 3.), sponte patet vera huius usus cognitione id effici, ut et integri loci a temeraria mutatione defendantur, et eorum, qui vitio affecti sunt, emendatio ad certiorem normam dirigatur.

Alterum, quod supra diximus in caussa fuisse, ut Velleii oratio minus quam aliorum historicorum excelleret, non in universa aetatis indole positum est, sed ad ipsum solum pertinet, et, quantum coniicere possumus, cum eius studiorum ratione maxime coniunctum fuit. Quamvis enim ex eo tempore, quo bellorum strepitu relicto in urbanum otium se contulit, aulicaeque vitae oblectamenta litterarum studio interpunxit, ut supra demonstratum est, tamen adolescentiam non ita in studiis exercuisse videtur, quemadmodum scimus eos fecisse, qui, quum sola ingenii laude florere atque eminere vellent, scriptorum praestantia clarum nomen sibi pepererunt. Mature enim in castra delatus non satis temporis iis adolescentiae studiis dedisse videtur, sine quibus ad perfectionem aliquam et iustum orationis robur perveniri nequit. Imprimis ea aetate, qua multo stilo ingenium subigendum est et animus ad verum pulchri sensum formandus, idonea scribendi exercitatione caruisse videtur,

quem defectum postero tempore neque aulicae vitae elegantia et loquendi facultas aut sollertia, neque multa lectio, praesertim oblectationis caussa instituta, compensare potuit. Quare Velleius, licet acri ac versatili ingenio praeditus, neque litterarum expers, tamen actuosae vitae occupationibus impeditus est, quominus perfectam scribendi artem consequeretur, eorumque similis, qui litteras tractant, non unice earum praestantia invitati et allecti, sed aliena quadam caussa ad eas delati, vix mediocritatem stili est assecutus. Caret enim verborum aequabili et placido flumine, neque scit eorum aptis comprehensionibus vim gravitatemque orationi addere, aut gratia eam atque varietate temperare. Si quando vero studet maiores periodos struere, res plerumque male ei cessit. Non enim plures enunciationes ita inter se componit atque nectit, ut tamquam iusti corporis membra in unum coëant, arctoque vinculo contineantur, sed cumulatis adiectivis atque participiis, interiectisque enunciationibus relativis ac parenthesibus, id modo efficit, ut oratio, rerum diversissimarum et naturâ dissonarum commemoratione diducta claudicet. Quod quale sit statim intelligetur, si nonnulla exempla huc transscripta lectoribus ante oculos posuerimus. cf. II, 18, 1. »Per ea tempora Mithridates, Ponticus rex, *vir neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu,*

odio in Romanos Hannibal, occupata Asia necatisque in ea omnibus civibus Romanis, quos quidem eadem die atque hora redditis civitatibus litteris ingenti cum pollicitatione praemiorum interimi iusserat, quo tempore neque fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis par fuit, (horum fidem Mytilenaeorum perfidia illuminavit, qui M'. Aquilium aliosque Mithridati vinctos tradiderunt, quibus libertas in unius Theophanis gratiam postea a Pompeio restituta est), cum terribilis Italiae quoque videretur imminere, sorte obvenit Sullae Asia provincia. « II, 28, 2. » Sulla dictator creatus, *(cuius honoris usurpatio per annos centum et viginti intermissa; nam proximus post annum, quam Hannibal Italia excesserat, uti appareat populum Romanum usum dictatoris ut in metu desiderasse, ita in otio timuisse potestatem)*, imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi erant, eo in immodicae crudelitatis licentiam usus est. « II, 41, 1. » C. Caesar nobilissima Iuliorum genitus familia, et, quod inter omnis constat, antiquissima, *ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentia effusissimus, animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus, qui denique semper et somno et cibo in*

vitam, non in voluptatem uteretur, cum fuisset C. Mario sanguine coniunctissimus atque idem Cinnae gener, cuius filiam ut repudiaret nullo metu compelli potuit, cum M. Piso consularis Anniam, quae Cinnae uxor fuerat, in Sullae dimisisset gratiam, habuissetque fere duodeviginti annos eo tempore, quo Sulla rerum potitus est, magis ministris Sullae adiutoribusque partium, quam ipso conquirentibus eum ad necem, mutata veste dissimilemque fortunae suae indutus habitum, nocte urbe elapsus est. « II, 75, 3. » Livia, *nobilissimi et fortissimi viri Drusi Claudiani filia, genere, probitate, forma Romanarum eminentissima, quam postea coniugem Augusti vidimus, quam transgressi ad deos sacerdotem ac filiam, tum fugiens mox futuri sui Caesaris manus, bimum hunc Tiberium Caesarem, vindicem Romani imperi, futurumque eiusdem Caesaris filium, gestans sinu per avia itinerum, vitatis militum gladiis, uno comitante, quo facilius occultaretur fuga,* pervenit ad mare. « Non opus est, pluribus ostendere, quid in his exemplis vitiosum sit, quum ea, quae litteris pronis exprimenda curavimus, per se satis ostendant, quam aliena ac nullo modo inter se cohaerentia inter subiectum et praedicatum quasi per vim congesta sint. Neque id raro factum videmus, sed omnes paullo longiores periodi ad eundem fere modum compositae reperiuntur, cuius rei documentum sint hi loci: II, 2, 1—3. *Quippe Tib. Gracchus — descivit a bonis; —*

II, 3, 1. *Tum P. Scipio Nasica — hortatus est;* — II, 13, 2. *Qui cum senatui — senatum habuit adversarium;* — II, 18, 4. *Is egressus urbe — addixit;* — II, 25, 3. *Nam et consulem — dimisit incolumis;* — II, 33, 1. *Cum esset in fine bellum — administraretur;* — II, 33, 3. *Nam neque Pompeius — assueverat;* — II, 42, 3. *Quae nox eam diem secuta est — suffixit cruci;* — II, 43, 3. *Reliqua eius acta — minus egent stilo;* — II, 45, 1. *Per idem tempus — interdiceretur;* — II, 58, 2. *Hi una cum — Caesaris dedit;* — II, 62, 3. *Quippe M. Brutus — acceperant;* — II, 65, 1. *Tum inter eum — ultioni debere;* — II, 68, 1. *Dum in acie Pharsalica — oppressus est;* II, 69, 1 — 5. *Iam et Dolabella — in C. Cassium;* II, 76, 1. *Quippe C. Velleius — se ipse transfixit;* — II, 99, 1. *Brevi interiecto spatio — petiit.*

In his atque similibus, quamquam elegantiae parum consultum est, tamen perspicuitatem non admodum desideres. Sed interdum effecit non satis exculta scribendi facultas, ut auctor, dum argute scribere vult, aut artificiose verba componere, ipsam sententiam efferat impeditius orationemque reddat obscuriorem. cf. I, 16, 5. *Quid ante Isocratem — clarum in oratoribus fuit? Adeo quidem artatum angustiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint.* II, 17, 1. *Finito ex maxima parte, nisi*

quae Nolani belli manebant reliquiae, Italico bello, quo quidem Romani victis afflictisque ipsi exarmati, quam integris universis, civitatem dare maluerunt. II, 40, 3. *Pompeius magnificentissimum egit triumphum, longeque maiorem omni ante se illata pecunia in aerarium, praeterquam a Paulo, ex manubiis intulit.* II, 47, 2. *Quarto ferme anno Caesar morabatur in Galliis, cum medium iam ex invidia potentiae male cohaerentis inter Cn. Pompeium et C. Caesarem concordiae pignus, Iulia, uxor Magni, decessit.* II, 7, 6. *Factum Opimi — vindictae data.* II, 26, 1. *Deinde coss. Carbo et Marius — contulit.* II, 55, 4. *Verecundia magis — fortius;* quibus locis v. quae annotavimus.

Tertia denique caussa, quae perfectae operis Velleiani formae obfuit, fortuita quidem est, sed plurimum valet tum ad auctorem ipsum excusandum, tum ad multos locos, quos critici inanibus rationibus impugnarunt, rectius iudicandos tuendosque. Nimirum *festinatio*, cuius quae caussae essent supra exposuimus, effecit, ut Velleius ne tantum quidem, quantum ingenio ac litteris valeret, praestare posset, ac saepe infra virium modum subsisteret. Quod quum in universa argumenti tractatione cernatur, tum maxime in dictione cernitur. Haud raro enim, impetu abreptus, animi sensus obscurius enunciat, contentus in tanta

celeritate, qua opus ei conficiendum fuit, certe aliquo modo dixisse, quod in maiore otio melius dicere poterat. Alias eandem ob caussam accessit ad familiaris sermonis negligentiam, cuius natura magnam partem eo constat, quod nonnulla vel divinanda vel supplenda relinquimus iis, qui audiunt, de verbis minus anxii, si modo id, quod volumus, ipsa rerum natura ac sententiarum nexu intellectui patet. v. Indic. v. *famil. serm.* Omnino autem universa orationis indoles ostendit *limam defuisse operi*, neque vacasse auctori retractandis atque expoliendis, quae celeri calamo scripserat, perfectiorem formam libro induere. Id primum perspicitur ex nimis crebro nonnullarum vocum atque locutionum usu, quarum partem collegit Sauppius in Mus. Helv. I, 2. p. 176. Ex hoc genere est *ut praedixímus*, quod habet I, 12, 1; I, 15, 4; II, 12, 2; II, 25, 3; II, 26, 3; II, 39, 2; II, 66, 1; II, 73, 3; II, 82, 3; II, 90, 1; II, 94, 1; II, 125, 5., quo accedit relicuus eiusdem verbi usus II, 1, 2; II, 11, 1; II, 29, 1; II, 47, 1; II, 76, 2; II, 98, 1; II, 108, 2. Porro huc pertinet formula *per omnia*, de qua v. annotat. ad II, 30, 6. ac praeterea multae particulae, velut *quippe*, v. ad. II, 15, 1., *ut — ita*, v. Orellium ad I, 6, 3. *in tantum — in quantum*, *in tantum — ut*, *tam — quam*, *protinus*, quae omnes in libro haud magni ambitus saepius leguntur, quam in ullo opere eiusdem magnitudinis.

Sed nihil frequentius est, quam eiusdem vocabuli vel in eadem enunciatione, vel in confinio duarum repetitio. In qua quum ita offenderint editores, ut paene ubique, ubi idem vocabulum intra breve spatium bis vel ter legitur, de corruptela aut interpolatione cogitarent, ac coniecturis levissimis ea, quae integra sunt, corrumperent, faciendum nobis putavimus, ut omnes huius generis locos in unum conspectum daremus, quo planissime intelligeretur eiusmodi repetitiones, etiam apud alios scriptores obvias (v. Wopkens. Lectt. Tull. II, 11. p. 107. Bremi ad Nep. Epam. c. VI, 4.), in Velleio minime esse sollicitandas. cf. I, 1, 1. *Epeus tempestate distractus — At rex regum Agamemnon tempestate in Cretam insulam reiectus.* I, 2, 1. *Pelopis progenies — Peloponnesi imperium obtinuerat. Duces recuperandi imperi fuere* etc. I, 2, 2. *Huius filius Medon primus archon Athenis fuit. Ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidae; sed hic insequentesque* etc. I, 2, 3. *Peloponnesii Megaram — condidere. Ea tempestate et Tyria classis — Gadis condidit. Ab iisdem — Utica condita est.* I, 4, 3. *Iones — nobilissimam partem regionis maritimae occupavere, — multasque in Aegaeo occupavere insulas.* I, 4, 4. *Claras urbis condiderunt —, et alias urbis, quae sunt in Lesbo insula.* I, 6, 3. 5. *Lycurgus Lacedaemonius, vir generis regii. — Caranus,*

vir generis regii. I, 7, 1. *Hesiodus vitavit, ne in id, quod Homerus, incideret. — Dum in externis moror, incidi in rem domesticam.* I, 8, 1. *Is eos ludos instituit; — hoc sacrum eodem loco instituisse fertur — Atreus.* I, 12, 1. *Universa instincta in bellum Achaia, — maxime Corinthiis in arma — instigantibus.* I, 14, 6. 7. *At Q. Fabio quintum — At Cosam et Paestum — At initio primi belli Punici.* II, 7, 6. *Quod inimicitiarum quaesita erat ultio, minor secuta auctoritas; et visa ultio privato odio — data.* II, 16, 3. *Cuius de virtutibus Hortensius retulit. Cuius illi pietatis p. R. gratiam retulit.* II, 18, 6. *Sulpicius legem tulit, qua Sullae imperium decerneretur, — aliasque leges perniciosas tulit.* II, 19, 3. *Marius in carcerem perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus — abiecto gladio profugit e carcere.* II, 22, 2. *Merula, quos saepe pro salute reip. precatus erat deos, eos in exsecrationem Cinnae tum precatus.* II, 27, 1. *Pontius Telesinus, vir animi bellique fortissimus, contractis circiter XL millibus fortissimae iuventutis.* II, 29, 1. *Pompeius, quem magnificentissimas res gessisse praediximus — magnifice conata exsecutus.* II, 31, 4. *In Antonio homines aequo animo passi erant. — Contra in iis homines extraordinaria reformidant.* II, 32, 1. *Qui cum in contione*

dixisset — succlamavit universa contio. II, 36, 2. 3. *In suspecti operis sui carmine; — in forma operis sui.* II, 37, 5. *Pecunia redacta in quaestoris potestatem. — Aliae provinciae tum primum in P. R. potestatem redactae.* II, 37, 5. 38, 1. *Facta est stipendiaria; — stipendiaria facta sit.* II, 38, 3. *Immane bellicae civitatis argumentum — quod certae pacis argumentum Ianus geminus clausus dedit.* II, 39, 2. *Caesaris ductu infractae Galliae; — ab eodem fracta Numidia.* Possint iam haec sufficere; sed ne quid desideretur, quod ad illustrandam Velleii consuetudinem pertineat, ceterorum locorum numeros certe ascribemus, vocabulis, quae repetita leguntur, nude appositis. cf. II, 47, 3. *consulatus*, ter. II, 51, 2. *quominus*, bis. II, 55, 1. *fortunam*, bis. II, 64, 3. *continuus*, bis. II, 68, 5. *excessit*, bis. II, 70, 2. *tendere*, bis. II, 73, 3. *infestare mare*, bis. II, 87, 1. 2. *interimere*, ter. II, 89, 3. *revocata*, bis. II, 92, 2. *severitate*, bis. II, 98, 2. *pacis*, bis. II, 100, 4. 5. *singulare*, bis. II, 111, 4. *vidimus*, bis; ib. *prudentia*, bis. II, 113, 1. *numero*, bis. II, 115, 2. *clade*, bis. ib. 5. *visa est*, bis. II, 116, 4. *defectus est*, bis. II, 120, 1. *ab eo*, bis. II, 121, 2. *vindicabantur*, bis. II, 125, 5. *obtinens*, bis. II, 126, 2. *seditio*, bis. II, 126, 4. *vindicata*, bis. II, 127, 3. *adiutoribus*, bis. II, 129, 2. 3. *Germanicum suum*, bis. ib. *consiliorum suorum*, bis. II, 130, 2. *homi-*

num, bis. Similiter *est* bis in clausula positum saepius reperitur, velut II, 1, 3. *Triste deinde bellum duce Viriatho secutum est, quod ita varia fortuna gestum est.* cf. II, 4, 6; II, 17, 3; II, 38, 6; II, 42, 2; II, 58, 4; II, 59, 1; II, 66, 2; II, 115, 5; II, 119, 4; II, 125, 2.

Quemadmodum autem Velleius urgente tempore vel non dubitavit saepissime idem vocabulum bis usurpare, vel potius imprudens, dum arripit, quod festinanti sese offerret, non animadvertit crebra repetitione elegantiae se parum consulere, ita sententias quoque easdem vel continuo repetit, vel aliquo interiecto intervallo rursus profert. cf. II, 3, 4. *Nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum*, quod eodem fere modo habet infra II, 22, 5. *Postea id quoque accessit, — ut sui quisque periculi merces foret, nec quicquam videretur turpe, quod esset quaestuosum.* II, 18, 6. *Sulpicius C. Mario, post annum septuagesimum omnia imperia — concupiscenti, addixit.* Aetatem viri rursus commemorat II, 19, 2. *Marius post sextum consulatum annumque septuagesimum — in carcerem perductus est.* II, 18, 4. *Nola arma retinebat, velut poeniteret eius fidei, quam bello praestiterat Punico;* cui sententiae plane similis est proxima §. 5. de Sulpicio: *quasi pigeret eum virtutum suarum, subito pravus.* II, 22, 5. *Postea id quoque accessit, — ut sui quisque*

periculi merces foret. Quae quum auctor dixisset de Marianis caedibus, eadem adhibuit de Sullana proscriptione II, 28, 3. *Primus ille exemplum proscriptionis invenit, — ut fieret quisque merces mortis suae.* II, 36, 2. *Paene supervacaneum videri potest eminentium ingeniorum notare tempora.* Ibid. §. 3. *Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio.* II, 51, 2. *Sua et celeritate et fortuna usus Caesar.* Eandem sententiam repetiit II, 55, 1. *Sequens fortunam suam Caesar pervectus in Africam — ibi primo varia fortuna, mox pugnavit sua.* Ibid. §. 3. *Sua Caesarem in Hispaniam comitata fortuna est.* II, 74, 3. *Usus Caesar virtute et fortuna sua Perusiam expugnavit.* II, 97, 4. *Quod bellum Nero sua et virtute et fortuna administravit.* II, 79, 2. *Caesar, cum prius, despondente ei Nerone, cui ante nupta fuerat, Liviam, duxisset eam uxorem, Pompeio bellum intulit,* quae iisdem verbis recurrunt II, 94, 1. *Hoc tractu temporum Ti. Claudius Nero, quo trimo, ut praediximus, Livia, despondente Ti. Nerone, cui ante nupta fuerat, nupserat — capessere coepit rempublicam.* II, 87, 1. *Proximo deinde anno — ultimam bellis civilibus imposuit manum.* II, 88, 1. *Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imponit manum.*

Familiaris sermonis negligentiam multi produnt

loci, in quibus primum ii sunt nominandi, ubi simplex subiecti et obiecti ratio quodammodo obscurata est aut impedita. cf. I, 4, 2. *Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amoenitate sua dignissimas*, quod concinnius debebat dici: *utramque urbem* eximia *fides* facit nobilitate sua dignissimam. II, 4, 4. *Hic, eum interrogante tribuno Carbone, respondit*, pro *Hic, interrogatus — respondit.* II, 24, 5. *De quo vere dici potest, ausum eum, quae nemo auderet bonus*, pro: *qui vere dici potest ausus* etc. II, 19, 4. *At ille (Marius) cursum in Africam direxit, inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit*; *cum Marius suspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.* I, 2, 1. *Athenae sub regibus esse desierunt; quarum ultimus rex fuit Codrus.*

Alias sermonis familiaris consuetudo in eo cernitur, quod vel aliquid redundat, vel oratio in brevius contrahitur, sed ita, ut neque illa iusta dicendi copia, neque haec vera brevitas appellari possit. cf. II, 49, 5. *Ut deinde spretis omnibus, quae Caesar postulaverat, tantummodo contentum cum una legione titulum retinere provinciae — decrevere.* I, 10, 5. *Paulus Aemilius alterum ex suis, quos in familia retinuerat, liberis, amisit.* II, 7, 1. *Hunc Gracchi habuere vitae mortisque exitum.* II, 6, 3. *C. Gracchus nihil*

immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat. II, 96, 3. *Gentes Pannoniorum Delmatarumque nationes.* II, 104, 1. *In Neronis adoptione illud adiectum his ipsis Caesaris verbis:* hoc, *inquit, reipublicae causa facio.* Vitiosae brevitatis exemplum est II, 30, 6. ubi v. Structura ad modum familiaris consuetudinis prorsus neglecta reperitur II, 80, 2.

Denique orationis ad similitudinem consuetudinis familiaris expressae vestigia etiam apparent in verborum collocatione, quippe quae suapte natura in sermone familiari liberior ac durior esse soleat, quam ubi stilo utimur, otiumque nobis concessum est ad iustam formam singula exigendi. Apud Velleium autem ista liberior ratio cernitur in eo, quod verba sensu arcte cohaerentia uno aut pluribus interpositis non satis solito more disiungere solet, quae res criticos interdum adeo male habuit, ut coniecturis atque violentis mutationibus non abstinerent. cf. II, 34, 2. *Ne ab huius quidem usura gloriae temperavit animum.* II, 50, 1. *Caesar Domitio legionibusque Corfini, quae una cum eo fuerant, potitus.* II, 100, 1. *Sensit terrarum orbis digressum a custodia Neronem urbis.* II, 111, 3. *Partem exercitus ab urbe traditi ab Augusto perduxi ad filium.* I, 1, 3. *Hunc Orestes matremque socia Electra obtruncat.* I, 13, 4. *Mummius*

maximorum artificum perfectas manibus tabulas — in Italiam portandas locavit. I, 18, 1, *Una urbs Attica pluribus annis eloquentia, quam universa Graecia, operibusque floruit.* II, 14, 3. *Hunc finem clarissimus iuvenis vitae habuit.* II, 29, 1. *Sub adventum L. Sullae in Italiam.* II, 36, 2. *Quis ignorat — Lucretium, neque ullo in suspecti operis sui carmine minorem Catullum.* II, 57, 1. *Laudandum experientia consilium est Pansae.* II, 80, 1. *Acciverat gerens contra Pompeium bellum ex Africa Caesar Lepidum.* II, 87, 1. *Cleopatra, illata aspide, in morsu sane eius expers muliebris metus, spiritum reddidit.* II, 76, 1. *C. Velleius — digressu Neronis a Neapoli, cuius, ob singularem cum eo amicitiam, partium adiutor fuerat, — gladio se ipse transfixit.* II, 109, 1. *Corpus sui custoditum imperi — in eminens perduxit fastigium.* I, 12, 1. *Maxime Corinthiis in arma cum gravibus etiam in Romanos contumeliis instigantibus.* II, 59, 4. *Caesar ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis indolem iuvenis Apolloniam eum miserat.* I, 2, 2. *Codrum cum morte aeterna gloria, Athenienses secuta victoria est.* II, 13, 2. *Alter Africanus, alter appellatus est Achaicus.* II, 38, 5. *Macedoniam Paulus, Fulvius Nobilior subegit Aetoliam.* II, 74, 4. *In Perusinos magis ira militum, quam voluntate saevitum ducis.*

II, 85, 2. *In terra locatum exercitum Taurus Caesaris, Antoni regebat Canidius.* II, 89, 1. *Quae magnificentia triumphorum eius, quae fuerit munerum, digne exprimi non potest.*

Sed haec sufficiant ad explicandum id, quod nobis fuit propositum, ut, et quae esset Velleianae dictionis singularis ratio atque indoles, et ex quibus caussis ea repetenda esset, planum fieret, ac certius quam ante perspiceretur. Quod quamquam aliqua ex parte assecutos nos speramus, tamen minime nos fugit, rem nos egisse difficilem ambiguaeque naturae, quum haud raro incertum sit, utrum improbanda dictio aut structura ab imperfecta auctoris arte, an a festinatione repetenda sit. Ad hoc fortasse quispiam mihi obiiciat, apud alios quoque scriptores eadem vitia reperiri, neque esse, cur Velleius iis inferior censeatur. Quibus ut alterum concedimus, ita negamus alterum. Hoc enim interest inter Velleium atque alios scriptores, quod hic saepissime a perfecta orationis forma aberrat, illi rarissime in id incidunt, quod vituperandum sit. Quare, licet in singulis aliis aliter videatur, hoc tamen certum est, elegantiam, quam priores editores omnes in eo laudare non dubitaverunt, ei tribui non posse, innumerosque locos, quos, quia non elegantes essent, critici pro corruptis habuerunt, vel plane integros esse, vel alio modo, atque illi fecerunt, sanandos.

Cap. III.

De codice Murbacensi, Amerbachiano et Editione principe.

Unicus Velleii codex, initio et magna libri prioris parte defectus, qui, postquam editio princeps inde expressa fuit, incuria vel amissus est, vel plane periit, anno MDXV in coenobio Murbacensi a Beato Rhenano est repertus. Qui quum librum fortunae quodam favore oblatum typis evulgare constituisset, amico cuidam describendum tradidit, ut descripto exemplo ad editionis negotium uteretur. Sed quum videret, amicum illum expectationi parum respondisse (quippe quem queratur *properanter atque infeliciter* in describendo versatum esse), eius apographum seponendum censuit, atque Velleii editionem omnino differendam, donec melioris codicis ipsi copia fieret, quem Mediolani haberi, olim a Georgio Merula inventum, acceperat; cf. Rhenani Praefat. in Ed. Ruhnk. p. XXV Fr., et eiusdem epistola ad G. Spalatinum, in Seebodii Bibl. crit. a. 1820. Fasc. VIII. p. 668. a Bardilio prolata. Ita tribus annis elapsis, quum et fama illa de codice Mediolanensi vana esset, et multi promissam editionem acriter postularent, Rhenanus, non amplius cunctandum ratus, ipse codicem Murbacensem descripsit, et verba auctoris utcunque emendata prelo tradidit. In quo negotio eam ratio-

nem tenuit, ut summa religione codicem exprimeret, neque prudens atque sciens quicquam exhiberet, quod lectores in errorem de scriptura codicis induceret. Nam quum liber manu exaratus saepissime tam vitiosus esset, ut sine correctione vix posset legi aut intelligi, editor hos locos corruptissimos in textu quidem reliquit, sed in margine, quomodo ipsi coniectura sanandi viderentur, indicavit. Leviora vero peccata, quae certissimam haberent vel habere viderentur emendationem, aut in peculiari tantum orthographiae ratione cernerentur, *tacite* sustulit aut immutavit. In quo quamquam interdum a vero aberravit, tamen nemo id vituperabit vitioque ei vertet, qui reputaverit illis temporibus codices omnino minore *ἀκριβείᾳ* tractari solitos; neque parasse Rhenanum editionem ad criticos usus destinatam, sed id modo egisse, ut liber paullo commodius quam in codice legi posset. De quo consilio ipse in fine libri p. 70: »Quodsi tu scires, inquit, quam ego laborarim in his fragmentis utcunque restituendis, credo fateberis te mihi non nihil debere. Neque enim quia tu multa absque offensione legis, idcirco codex planus erat; immo nihil erat non depravatum; in singulis paene verbis haerebatur.« Non mala autem fide egisse, qui in nonnullis a codicis scriptura, non monito lectore, discederet, tum ex libera eius rei professione patet, tum ex ipsa verborum mutatorum ratione intelligitur. Quoniam autem felix Velleii emendatio magnam partem pendet ex recte

aestimata fide editionis principis, quam nuper immerito impugnavit Orellius, faciendum putavimus ut, potioribus exemplis scripturae codicis a Rhenano mutatae in unum conspectum congestis plane ostenderemus, quibus finibus ista Rhenani licentia contineretur, quantumque eius auctoritati tribuendum esset.

	Scriptura codicis	Rhenani mutatio.
I,	6, 2. *tricensimo*	*trecentesimo.*
I,	9, 1. *fuit*	*fuerit.*
I,	9, 2. *antea*	*ante*
I,	9, 3. *intellegi*	*intelligi.*
I,	11, 6. *excellentis — acris, innocentis*	*excellenteis — acreis innocenteis.*
I,	11, 6. *quattuor*	*quatuor.*
I,	17, 4. *scalptoribusq. visquisq.* . .	*scalptoribus, quisquis,*
I,	17, 4. *eminentia*	*eminentiam.*
II,	1, 4. *inscia*	*inscitia.*
II,	12, 1. *KAL. IAN.*	*Calend. Ian.*
II,	16, 4. *rem P. R.*	*remp.*
II,	22, 2. *immediocri*	*in mediocreis.*
II,	27, 5. *civis*	*eius.*
II,	27, 5. *quo*	*quod.*
II,	27, 5. *Marinarum*	*Marianarum.*
II,	31, 2. *aecuum*	*aequum.*
II,	35, 2. *non*	*homo.*
II,	36, 3. *princeps*	*principes*
II,	38, 3. *Ianius geminius*	*Ianus geminus.*
II,	44, 2. *quem*	*qui*
II,	44, 2. *viri viribus*	*viribus*
II,	51, 1. *vicinia*	*vicina.*
II,	52, 2. *indie ipsiis*	*in dies ipsis*
II,	52, 3. *Romani*	*Romano*
II,	53, 2. *Achili*	*Achillae*
II,	54, 1. *non fuit non maior* . . .	*non fuit maior.*
II,	59, 5. *pollicentur*	*pollicerentur.*
II,	60, 4. *sestertium septiens miliens*	*H — S septies miliens.*
II,	61, 1. *in forma — coire*	*in formam coiere.*
II,	62, 5. *aliut intellegi*	*aliud intelligi.*
II,	68, 5. *contemptus*	*contentus.*

Scriptura codicis	Rhenani mutatio.
II, 72, 5. *adque me T e . . . . .*	*ad quem et e.*
II, 74, 3. *spe magis . . . . . .*	*spem magis*
II, 75, 1. *magni viri animi . . . .*	*magni vir animi*
II, 83, 2. *mox autem hunc mox . .*	*mox autem hunc*
II, 84, 1. *illam arcebant . . . . .*	*illa marcebant.*
II, 88, 3. *immortalem — memoriam .*	*immortali — memoria.*
II, 90, 3. *ut — poterit . . . . . .*	*ut — potuerit.*
II, 107, 2. *imperatoque . . . . . .*	*impetratoque.*
II, 108, 2. *quis . . . . . .*	*quos.*
II, 109, 4. *cuius . . . . . .*	*eius.*
II, 112, 5. *fuga . . . . . .*	*fugata.*
II, 116, 3. *ad Postumio . . . . . .*	*at Postumi*
II, 118, 4. *in culpa. . . . . .*	*in culpam.*
II, 119, 1. *Cassi . . . . . .*	*Crassi.*
II, 119, 3. *avique . . . . . .*	*avitique.*
II, 121, 1. *accensaque . . . . . .*	*accensasque.*
II, 126, 1. *insera oculis . . . . . .*	*inserta sint oculis.*
II, 131, 1. *nominum honor omni . .*	*numinum hanc Romani.*

Hos similesque locos qui accurate consideraverit, facile intelliget, quamvis saepe multum inter se discrepare videatur scriptura codicis et editionis principis, tamen aliquam discrepantiae partem typographi erroribus esse tribuendam, in relicuis Rhenanum partim vulgarem modo scribendi rationem fuisse secutum, in aliis obscurata codicis verba recte legendo assecutum esse, alios, quorum emendatio etiam sine codicum ope interna necessitate cuivis sese offert, verissime correxisse, in paucissimis tantum aberrasse a vero. Quae omnia quum sint eiusmodi, ut eius fidem non possint in dubium vocare, tribus tantum locis ita discessit ab eo, quod in codice scriptum fuit, ut a suspicacibus quadam veritatis specie argui posse videatur, lectione ex libidine in textum illata lectores

fefellisse. Nam quum I, 18, 3. in codice legatur *urbes et initalia talium studiorum fuere steriles*, in ed. pr. scripsit *urbes talium studiorum fuere steriles;* — II, 107, 2. pro *data petenti facultas* scripsit *data a Caesare petenti facultas;* — II, 110, 4. pro *pars petere Italiam decreverat*, exhibuit *pars properare in Italiam decreverat.* Sed non multo opus est acumine ad videndum, quomodo istae discrepantiae ortae sint. Nimirum primo loco Rhenanus iudicio lapsus est, ratus verba *et initalia* ex insana sequentis vocis geminatione illata esse, eoque sine dubitatione tanquam rem alienam et nihil ad Velleium pertinentem expelli posse. In altero aperte imprudenti exciderunt quae scripsit; nam dum inter scribendum cogitat, ad quemnam referenda esset *data* vox, ipsius *Caesaris* nomen calamo elapsum est. Pariter tertio *petere* vel per incuriam mente permutavit cum simili dictione, vel in legendis verbis impeditus id, quod dedit, eruisse sibi visus est. Quodsi ab his exemplis discesseris, ubi paullo liberius quidem, ut nunc est consuetudo, sed pro illorum temporum et sui consilii ratione minime licenter aut cum mala fide codice usus est, in universa editione principe nihil est, quod vel levissimum documentum praebeat, Rhenanum fictis lectionibus lectores fallere, ac sui ingenii commenta pro Velleii verbis venditando ignaros ludibrio habere studuisse. Nam qui accurate animum adverterit, facile reperiet multos exstare lo-

cos corruptissimos, quos ille, fraudi intentus, vel omittere, vel ex libidine corrigere potuisset; aliorum emendationem modeste margini ascripsisse, non in textum intulisse; in aliis, qui propter lacunas ad fingendas lectiones invitare poterant, velut I, 8, extr. II, 131, extr., ingenue profiteri, sensum se utcunque indicare studuisse, auctoris verba assequi non valere. In magnum igitur errorem incidit Orellius, qui Rhenanum incuset ineptis *interpolationibus* Velleii verba corrupisse, velut I, 9, 3; I, 9, 6; II, 49, 5; II, 51, 1; II, 78, 1; II, 85, 5; II, 87, 4; II, 110, 4; II, 112, 2; II, 128, 1. Quae opinio quam falsa sit quum patet ex ipsa horum locorum natura, tum maxime cognoscitur ex Alberti Burerii collatione codicis cum editione Rhenaniana instituta, et textui inde a pagina 70 quinque foliis adiecta, de qua ipse sic refert: »Cum Velleium typis excusum vidissem, casu inspecto recenti libro erratulum quoddam deprehendi, leviusculum quidem illud, sed adeo non leve, quin dignum videretur observatu; atque ex hoc uno, quod aiunt, cetera omnia spectare coepi, vetustum Vellei codicem a Io. Frobenio repetens animo conferendi eius. Verebar enim, ne, si reddito Velleio quippiam in tam precioso auctore desideraretur, promptum non fuerit eundem cottidie e bibliotheca tam longinqua repetere. Contuli itaque Velleium a capite, quod aiunt, usque ad calcem, atque hoc solo studiosorum nomine, quum nihil aliud spectarem quam ut studiosos obsequio demere-

rer, iisque pro mea virili gratificarer. Praeterea cum hunc recentem vetusto Vellei codici conferrem, non modo versum versui, sed etiam syllabam syllabae, et (quod alicui plus quam curiosum ac pene stultum videri queat) etiam litteram litterae contuli, ne quid non ageretur in rem studiosorum.« Totam autem rem de Rhenani pariter atque Burerii fide, quam ipsam in dubium vocarunt Gruterus ad II, 49, 5. II, 68, 2., Burmannus ad II, 22, 2. et in Praef. (ed. Ruhnk. Vol. II. p. XXXI. Fr.), ac Fabricius in Bibl. Lat. Vol. II. p. 18, conficit Rhenani epistola ad G. Spalatinum a. 1520 data, quae legitur in Manipul. Epistt. singularium ab Heckelio ed., Plaviae 1695, repetita a Bardilio in Seebodii Bibl. crit. rei schol. a. 1820. Fasc. VIII. p. 668. et a Frotschero in Ed. Ruhnkeniana Tom. I. Praef. p. XII. Ibi inter alia, quae minus ad rem pertinent, haec scripsit: »Ne tuam modo praestantiam, sed et studiosorum omnium spem diutius vana pollicitatione morarer, emisi nuper Vellaeum utcunque castigatum. In quo multum falsus sum, quod exemplar [i. e. apographum a me ex cod. Murb. ductum et correctum] fidelissime descriptum [i. e. typis expressum] arbitrabar, cum postrema, sed nimium sera collatio librarii [i. e. typographi] oscitantiam arguat. Nimium praeterea confidebam iis, qui formulis castigandis praesunt in officina Frobeniana. Quos saepe monui, ut vetus exemplar non minus, quam exemplum inspicerent. Verum

illi non obtemperarunt, magis curantes, ut quam primum labore defungerentur, quam ut liber bene haberet. *Itaque meus amanuensis volumen typis excusum denuo cum vetusto contulit plus quam diligenter, cuius labor est emendationum ternio operi adiectus.* « Ex his planissime intelligitur primum maximae Rhenano curae fuisse, ut editio princeps quam accuratissime *ad codicis fidem* excuderetur; alioquin non tantopere questus esset de typographi atque eorum, qui plagulis corrigendis praeessent, oscitantia; tum de interpolando textu ne per somnium quidem cogitare potuisse, qui correctores moneret, ut codicem Murbacensem non minus saepe, quam exemplum suum inspicerent; deinde multa, quae in ed. pr. falso leguntur, non Rhenani, sed typothetae atque correctoris culpae esse tribuenda; denique Burerium ipsum in codice cum ed. pr. conferendo summa diligentia versatum esse neque falso studium suum in ea re collocatum praedicare. Qua eius opera quum detrimentum, typographi negligentia Velleio allatum, sarcitum sit, id consecuti sumus, ut vix ullo loco dubium sit, quid Rhenanus pariter atque Burerius in codice Murb. legerint. Ubicunque enim hic nihil annotavit, ea res documento est verba editionis Rhenanianae cum codice Murbacensi congruere, ita ut Burerii silentio non minor auctoritas sit, quam diserto testimonio. His rebus ita comparatis, Rhenanum interpolationis insimulare nihil aliud est, quam una duos

viros honestos et de litteris bene mereri cupidos turpis fraudis accusare, omnemque fidem, sine qua antiquae litterae recte tractari non possunt, evertere. Quod ut in Velleio invitus et optima mente faceret Orellius, vir summi candoris et in paucis humanissimus, falsa opinione de *apographi Amerbachiani* praestantia permotus est. Amerbachius enim, Rhenani discipulus, anno MDXVI descripsit codicem Murbacensem, haud dubie praeceptoris sui hortatu et auctoritate, qui isto exemplo ad adornandam, quam animo agitabat, editionem uti voluisse videtur. Sed exspectationi non satisfecit adolescens. Nam quem Rhenanus in praefatione queritur *properanter et infeliciter ab amico quodam descriptum fuisse librum*, eamque ob caussam a se *pressum*, i. e. *sepositum*, non alius est, atque ab Amerbachio descriptus. Is quum postea in bibliothecam publicam Basileensem esset illatus, ibique diu latuisset, nuper ab Orellio repertus et in lucem protractus est. Cuius inventi laetitia abreptus Orellius sibi persuasit codicem Murbacensem multo accuratius ac fidelius Amerbachii apographo, quam Rhenani editione expressum esse, eoque illius potius quam huius auctoritatem in emendandis auctoris verbis sequendam esse, quasi scripto libro per se maior fides esset, quam typis impresso, aut veritas non ex cura atque scientia describentis, sed ex materia libri penderet. Profecto enim Amerbachius infeliciter in describendi negotio versatus est, quam-

quam non properantiam ei offecisse putaverim, sed imperitiam. Nam dum accuratissime codicis Murbacensis scripturam reddere studuit, omissis tamen, non constat quam ob caussam, libri primi octo prioribus capitibus, ita serviliter ei se addixit, ut litteras magis quam verba respiciens, saepe oculos modo, qui facile falluntur, non mentem haberet ducem. Quare in aprico est, cur Rhenanus exemplo ita descripto uti non potuerit ad verba Velleii typis exprimenda; neque id nunc potest tantum valere, ut fidem atque auctoritatem editionis principis, Burerii collatione stabilitam, labefactet aut tollat. Nihilominus eam habet utilitatem, ut non solum excitet nos animum ad singula accuratius examinanda intendere, sed etiam ut quae indoles fuerit Murbacensis codicis paullo certius assequi possimus; nam errores quoque Amerbachii plerumque sunt eiusmodi, ut non potuissent committi, si codex planam et lectu facilem scripturam habuisset, quippe quem Rhenanus in praefatione (ed. Ruhnken. Vol. I. p. XXV. Fr.) dicat *tam prodigiose corruptum, ut omnia restituere non sit humani ingenii.* In epilogo autem p. 69. (ed. Ruhnk. Vol. I. p. 289. Fr.) *meus codex*, inquit, *erat mendosissimus. Ausim iurare, eum, qui illum descripserat, ne verbum quidem intellexisse; adeo omnia erant confusa absque ullis punctis aut distinctionibus.* In tanta igitur codicis, unde fluxit Velleii textus, depravatione quum plurimum referat ad recte emendanda auctoris verba, nosse

quibus modis a librario peccatum sit, singula corruptelarum genera in conspectum dabimus.

Initium ducamus a singularum litterarum confusione, tum in ed. principe (P) et apud Burerium (B), tum in apographo Amerbachiano (A) obvia, ita quidem, ut in singulis notandis utamur P. B. et A notis. Falso autem positum reperitur:

A	pro	*E*	I,	7, 2.	incider*at*	pro	incider*et*. P.
„	—	„	I,	14, 1.	nomin*a*	—	nomin*e*. P. A.
„	—	„	I,	17, 6.	natur*a*	—	matur*e*. P. A.
„	—	„	II,	24, 1.	pessim*a*	—	pessim*e*. A.
„	—	„	II,	27, 4.	foramin*a*	—	foramin*e*. A.
„	—	„	II,	34, 1.	Lasth*a*ne	—	Lasth*e*ne. A.
„	—	„	II,	54, 3.	par*a*re	—	par*e*re. P. A.
„	—	„	II,	79, 5.	matur*a*	—	matur*e*. P. A.
„	—	„	II,	103, 2.	leger*at*	—	leger*et*. B.
„	—	„	II,	116, 4.	immatur*a*	—	immatur*e*. P. A.
„	—	„	II,	112, 3.	aci*am* etiam	—	aci*em*. A. P.
a	—	*ae*	II,	20, 5.	augend*a*	—	augend*ae*. A.
ae	—	*a*	I,	18, 1.	eloquenti*ae*	—	eloquenti*a*. P. A.
„	—	„	II,	17, 3.	qu*ae*	—	qu*a*. P. A.
„	—	„	II,	108, 1.	Hercyni*ae* silv*ae*	—	Hercyni*a* silv*a* P. A.
ae	—	*e*	II,	9, 2.	propri*ae*	—	propri*e*. P. A.
„	—	„	II,	28, 3.	public*ae*	—	public*e*. P. A.
„	—	„	II,	110, 5.	matur*ae*	—	matur*e*. A.
a	—	*i*	I,	4, 2.	*a*liis	—	*i*llis. P.
„	—	„	II,	8, 3.	M*a*nici	—	M*i*nuci. A.
„	—	„	II,	38, 5.	hab*i*ta lis	—	ab *A*ttalis. P. A.
„	—	„	II,	42, 3.	*a*siam	—	*i*s iam. P. A.
„	—	„	II,	43, 1.	*a*d	—	*i*d. P. A.
„	—	„	II,	85, 5.	fuer*at*	—	fuer*it*. P. A.
„	—	„	II,	105, 1.	subact*a*	—	subact*i*. A.
„	—	„	II,	121, 1.	ingress*a*	—	ingress*i*. P. B. A.
a	—	*o*	II,	27, 6.	*A*ffella *A*sella	—	*O*fella. B. P. A.
„	—	„	II,	39, 1.	*a*misimus	—	*o*misimus. P. A.
„	—	„	II,	48, 3.	*a*nimo	—	*o*mnino. P. A.

Falso positum reperitur

a	pro	*o*	II,	63, 1.	proruta	pro	proruto. P. A.
„	—	„	II,	84, 3.	pericula	—	periculo. A.
„	—	„	II,	120, 5.	ultra	—	ultro. P.
„	—	„	II,	130, 1.	sua	—	suo. P. A.
a	—	*u*	II,	29. 2.	ultimam	—	ultimum. P.
„	—	„	II,	85, 2.	Lario	—	Lurio. P. A.
„	—	„	II,	109, 5.	Carnanto	—	Carnunto. A.
„	—	„	II,	125, 2.	ultimam	—	ultimum. B. A.
a	—	*d*	II,	5, 1.	*A.* Bruti	—	*D.* Bruti. P. A.
„	—	„	II,	49, 2.	*A*CCIII	—	*D*CCIII. P. A.
„	—	„	II,	65, 2.	*A*CCVIIII	—	*D*CCVIIII. P. A.
„	—	„	II,	103, 3.	*A*CCLIIII	—	*D*CCLIIII. B. A.
C	—	*E*	I,	10, 1.	Olympicum	—	Olympieum. P. A.
ce	—	*a*	II,	29, 5.	hicce	—	hic *a.* P.
c	—	*n*	II,	7, 5.	vici	—	vini. P.
c	—	*t*	II,	7, 1.	*C.* Gracchi	—	*T.* (Tib.) Gracchi. P. A.
„	—	„	II,	37, 1.	ac rex	—	at rex. P.
„	—	„	II,	118, 1.	procaces	—	provocantes. P. A.
c	—	*v*	II,	27, 3.	cultum	—	vultum. P. A.
D	—	*B*	I,	18, 1.	ad	—	ab. P. A.
„	—	„	II,	2, 3.	adrogavit	—	abrogavit. B. A.
d	—	*c*	II,	6, 6.	ad	—	ac. P. A.
d	—	*t*	II,	39, 3.	ad	—	at. B.
„	—	„	II,	55, 1.	quando	—	quanto. A.
„	—	„	II,	56, 4.	id	—	ita. P. A.
„	—	„	II,	86, 3.	ad	—	at. P. A.
„	—	„	II,	84, 3.	adque	—	atque. A.
„	—	„	II,	105, 3.	ad	—	at. P. A.
E	—	*A*	I,	4, 1.	Chalcide	—	Chalcida. P.
„	—	„	I,	4, 1.	Megestene	—	Megasthene. P.
„	—	„	I,	13, 1.	*E*lete	—	*A*lete. P. A.
„	—	„	II,	16, 4.	appellarent	—	appellarant. B. A.
„	—	„	II,	7, 4.	interponetur	—	interponatur. P. A.
„	—	„	II,	59, 2.	speciose	—	speciosa. A.
„	—	„	II,	74, 2.	iuste	—	instituta. P. A.
e	—	i	I,	7, 2.	maxime	—	maximi. P.
„	—	„	I,	10, 3.	compote	—	compoti. P. A.
„	—	„	I,	17, 5.	similitudines	—	similitudinis. P. B. A.
„	—	„	II,	23, 5.	necessitate	—	necessitati. A.
„	—	„	II,	24, 1.	fonte	—	forti. P. A.
„	—	„	II,	36, 3.	maxime	—	proximi. P. A.

Falso positum reperitur

e	pro	*i*	II,	36, 3.	perfectissim*e*	pro	perfectissim*i*. P. A.
„	—	„	II,	39, 1.	nepot*e*	—	nepot*i*. P. A.
„	—	„	II,	43, 3.	praestar*e*	—	praestar*i*. A.
„	—	„	II,	47, 1.	d*e* recta	—	d*i*recta. A.
„	—	„	II,	57, 1.	timer*e*	—	timer*i*. A.
„	—	„	II,	74, 4.	d*e*misit	—	d*i*misit. A.
„	—	„	II,	76, 2.	*e*lectum	—	*i*llectum. P. A.
„	—	„	II,	79, 1.	milit*e* ac remig*e*	—	milit*i* ac remig*i*. P. A.
„	—	„	II,	82, 1.	*e*gressus	—	*i*ngressus (īgr.). P A.
„	—	„	II,	84, 2.	celeritat*e*	—	celeritat*i*. P. A.
„	—	„	II,	86, 3.	discrimin*e*	—	discrimin*i*. P. A.
„	—	„	II,	89, 5.	impetrar*e*	—	impetrar*i*. P. A.
„	—	„	II,	95, 2.	d*e* recta	—	d*i*recto. A.
„	—	„	II,	104, 2.	*et*	—	*id*. P. A.
„	—	„	II,	121, 1.	ips*e*	—	ips*i*. P. A.
„	—	„	II,	127, 2.	def*e*cit	—	def*i*cit. P. A.
„	—	„	—	—	munir*e*	—	munir*i*. P. A.
„	—	„	—	—	3. vigor*e*	—	vigor*i*. P. A.
e	—	*o*	II,	29, 5.	celeriora	—	co*l*uerat. P. A.
„	—	„	II,	59, 1.	fortunam *ex*	—	fortuna m*o*x. P. A.
„	—	„	II,	85, 5.	videbites n*e*	—	ut dubites su*o*. A.
e	—	*u*	II,	7, 7.	*et*	—	*ut*. A.
„	—	„	II,	29, 5.	*et*	—	*ut*. P. A.
„	—	„	II,	90, 1.	*et*	—	*ut*. P. A.
„	—	„	II,	105, 1.	*et* inamminus	—	*ut*inam minus. P. B. A.
„	—	„	II,	128, 1.	virtut*e*m	—	virtut*u*m. B.
F	—	*S*	I,	15, 3.	*F*alernum	—	*S*alernum. P. A.
f	—	*p*	II,	2, 2.	*f*actum	—	*p*actum. P. A.
f	—	*t*	II,	108, 1.	in*f*eriora	—	in*t*erio*r*a. P. A.
„	—	„	II,	129, 3.	*F*ulvio	—	*T*ullio. P. A.
G	—	*C*	II,	32, 6.	ar*g*uit	—	ar*c*uit. A.
„	—	„	II,	120, 2.	ar*g*uisse	—	ar*c*uisse. B. A.
g	—	*d*	II,	110, 4.	effu*g*erat	—	effu*d*erat. P. A.
I	—	*A*	II,	94, 2.	praetuler*it*	—	praetuler*at*. P. A.
i	—	*e*	I,	2, 1.	Tem*i*nus	—	Tem*e*nus. P.
„	—	„	I,	5, 2.	poss*it*	—	poss*et*. P.
„	—	„	I,	8, 6.	*i*am	—	*e*am. P.
„	—	„	I,	9, 6.	prior*is*	—	prior*es*. P. A.
„	—	„	I,	12, 7.	orb*i*	—	orb*e*. A.
„	—	„	I,	15, 5.	facil*i*	—	facil*e*. A.
„	—	„	II,	4, 1.	hereditat*i*	—	hereditat*e*. P. A.

Falso positum reperitur

i	pro	*e*	II,	4, 3.	clariori	pro	clariore. P. A.
„	—	„	II,	9, 4.	iuvenis	—	iuvenes. P. A.
„	—	„	II,	14, 3.	possit	—	posset. P. A.
„	—	„	II,	19, 3.	exprimenti	—	exprimente. P. A.
„	—	„	II,	23, 5.	servientis	—	servientes. A.
„	—	„	II,	32, 4.	discripto	—	descripto. A.
„	—	„	II,	52, 2.	dignationi	—	dignatione. P. B. A.
„	—	„	II,	69, 3.	nomini	—	nomine. P. A.
„	—	„	II,	70, 2.	nuntiari	—	nuntiare. A.
„	—	„	II,	91, 4.	carceri	—	carcere. P. A.
i	—	*o*	I,	9, 2.	primores	—	proniores. A.
„	—	„	II,	31, 1.	maiore vi	—	maior aevo. P. A.
„	—	„	II,	32, 4.	victis	—	victos. A.
„	—	„	II,	52, 2.	Romani	—	Romano. B. A.
„	—	„	II,	69, 3.	nulli	—	nullo. P. A.
„	—	„	II,	108, 2.	quis	—	quos. P. A.
„	—	„	II,	114, 5.	autumni	—	autumno. P. A.
„	—	„	II,	122, 1.	praepositi	—	praeposito. P. B. A.
„	—	„	II,	130, 1.	quidem quam	—	quod unquam. P. A.
i	—	*u*	II,	8, 3.	Minici	—	Minuci. P. A.
„	—	„	II,	35, 4.	consilis	—	consulis. P. B. A.
„	—	„	II,	55, 1.	sint	—	sunt. A.
iu	—	*vi*	II,	78, 3.	*Iu*billium	—	*Vi*bilium. P.
„	—	„	II,	89, 3.	bellaci *Iu*lia	—	bella civilia. A.
i	—	*c*	I,	2, 2.	hii	—	hic. P.
i	—	*f*	II,	102, 1.	iam	—	fama. P. A.
i	—	*l*	II,	105, 3.	*I*uliae	—	*L*upiae. P. A.
„	—	„	II,	116, 3.	etiam	—	Ael. *L*amia. P. A.
i	—	*t*	II,	51, 1.	virebatur	—	ut rebatur. P. A.
„	—	„	II,	85, 5.	uidebites	—	ut dubites. P. A.
L	—	*D*	I,	1, 1.	Phi*l*ippus	—	Phi*d*ippus. P.
l	—	*i*	II,	28, 1.	p*l*us	—	P*i*us. A.
„	—	„	II,	120, 6.	obu*l*os	—	obv*i*os. B. A.
l	—	*s*	II,	4, 1.	a*l*ia	—	Asia. A.
„	—	„	II,	86, 2.	so*l*ium	—	Sosium. P. A.
M	—	*NI*	I,	9, 2.	pri*m*ores	—	pro*ni*ores. A.
m	—	*ius*	I,	12, 2.	cum	—	cu*ius*. P. A.
m	—	*sc*	II,	25, 4.	de*m*endes	—	des*c*endens. P. B. A.
m	—	*ns*	II,	39, 3.	pare*m*	—	pare*ns*. P. A.
m	—	*pr*	II,	36, 3.	*m*axime	—	*pr*oximi. P. A.
„	—	„	II,	127, 1.	*m*axime	—	*pr*oxime. P. A.

Falso positum reperitur

N	pro	*S*	II,	7,	2.	po*n*tem	pro postem. P. A.
n	—	*r*	II,	25,	1.	fo*n*te	— forti. P. A.
„	—	„	II,	30,	3.	nomi*n*etur	— non mi*r*etur. A.
n	—	*p*	II,	114,	1.	o*n*erum	— o*p*erum. P. A.
„	—	„	II,	127,	3.	o*n*erum	— o*p*erum. P. A.
nc	—	*m*	I,	17,	6.	i*nc*itationem	— i*m*itationem. P. A.
ne	—	*cu*	I,	16,	1.	supervan*e*a	— supervac*u*a. A.
O	—	*A*	I,	6,	4.	Taronus	— Car*a*nus. P.
„	—	„	I,	16,	2.	claus*o*	— claus*a*. A.
„	—	„	II,	12,	2.	Germano*r*um	— Germana*r*um. P. A.
„	—	„	II,	30,	6.	qu*o*	— qu*a*. A.
„	—	„	II,	35,	5.	*o*biit	— *a*biit. P. A.
„	—	„	II,	53,	1.	qu*o*	— qu*a*. P. A.
„	—	„	II,	89,	3.	finit*o*	— finit*a*. A.
„	—	„	II,	106,	1.	infinit*o*	— infinit*a*. A.
o	—	*e*	II,	24,	2.	m*o*ta	— m*e*tu. P. A.
„	—	„	II,	35,	1.	altissim*o*	— altissim*e*. P. A.
„	—	„	II,	77,	1.	absurd*o*	— absurd*e*. P. A.
„	—	„	II,	91,	1.	vir*o*	— iur*e*. P. A.
o	—	*i*	II,	19,	3.	expr*o*menti	— expr*i*mente. P.
„	—	„	II,	27,	5.	Telesin*o*	— Telesin*i*. P. A.
„	—	„	II,	29,	4.	v*o*torum	— v*i*tiorum. P. A.
„	—	„	II,	30,	1.	Roman*o*s	— Roman*i*s. A.
„	—	„	II,	35,	4.	v*o*ta	— v*i*ta. P. B. A.
„	—	„	II,	38,	4.	in *o*tio	— in*i*tio. A.
„	—	„	II,	39,	6.	Cypr*o*	— Cypr*i*. P. A.
„	—	„	II,	46,	4.	circumfus*o*s	— circumfus*i*s. P. A.
„	—	„	II,	48,	2.	prim*o*	— prim*i*. P. A.
„	—	„	II,	51,	3.	n*o*n	— non *i*n (n*i*n). P. A.
„	—	„	II,	123,	1,	f*o*rmanda	— f*i*rmanda. P. A.
„	—	„	II,	116,	3.	Postumi*o*	— Postumi*i*. P. A.
„	—	„	II,	124,	4.	candidat*o*s	— candidat*i*s. P. A.
o	—	*u*	II,	16,	2.	ver*o*	— ver*u*m (verū). A.
„	—	„	II,	20,	4.	univers*o*s	— univers*u*s. P. A.
„	—	„	II,	25,	4.	n*o*mini	— n*u*mini. B. A.
„	—	„	II,	82,	4.	viv*o*s	— viv*u*s. A.
„	—	„	II,	120,	1.	Rhen*o*	— Rhen*u*m (Rhenū). P. A.
„	—	„	II,	131,	1.	n*o*minum	— n*u*minum. B. A.
P	—	*G*	II,	27,	1.	*p*enitus	— *g*enitus. P. A.
p	—	*c*	II,	28,	2.	*P*lusium	— *C*lusium. P. A.

Falso positum reperitur

p	pro	*f*	II,	38,	1.	*p*acta	pro *f*acta. P. A.
p	—	*t*	II,	94,	1.	*p*rimo	— *t*rimo. P. A.
pr	—	*m*	II,	110,	4.	*pr*oxima	— *m*axima. P. A.
R	—	*B*	II,	6,	3.	instituerat	— instituebat. P. A.
r	—	*n*	II,	39,	1.	ingratum	— ign*a*vum. P. A.
„	—	„	II,	45,	2.	interita	— inten*t*a. P. A.
r	—	*t*	II,	25,	4.	*r*abula	— *t*abula. B.
r	—	*l*	II,	95,	2.	morem	— mo*l*em A.
S	—	*E*	II,	16,	2.	Asculanensis	— A*e*culanensis. P. A.
s	—	*r*	II,	28,	2.	*sp*olia	— *r.* p. (rempublicam) olim. P. A.
s	—	*f*	II,	68,	3.	*s*ortem	— *f*ortem. P. A.
st	—	*f*	II,	2,	3.	*st*atum	— *f*actum. P.
T	—	*I*	II,	11,	2.	*et*	— e*i*. A.
„	—	„	II,	43,	1.	*t*am	— *i*am. P. A.
„	—	„	II,	45,	1.	*et*	— e*i*. P. A.
„	—	„	II,	105,	1.	*t*um	— *i*am. P. A.
„	—	„	II,	118,	4.	*et*	— e*i*. B. A.
t	—	*c*	I,	6,	4.	*T*aronus	— *C*aranus. P.
„	—	„	I,	10,	4.	is*t*um	— is *c*um. A.
„	—	„	II,	112,	3.	e*t*iam	— aciem. P.
„	—	„	II,	113,	3.	Sis*t*iam	— Sis*c*iam. P.
„	—	„	II,	119,	4.	fuga*t*um	— fuga *c*um. B. A.
t	—	*o*	II,	51,	2.	*et*	— e*o*. P. A.
t	—	*b*	II,	104,	2.	u*t*i	— u*b*i. A.
t	—	*f*	I,	12,	1.	*t*racta	— *f*racto. P. A.
t	—	*l*	II,	116,	3.	e*t*iam	— Ael. (e*l*) Lamia. P. A.
t	—	*x*	II,	14,	1.	*et*	— e*x*. P. A.
U	—	*A*	II,	29,	2.	*eum*	— e*am*. P. A.
u	—	*e*	II,	25,	3.	*ut*	— *et*. P. A.
„	—	„	II,	85,	6.	vid*e*bites	— ut d*u*bites. P. A.
„	—	„	II,	117,	2.	*ut*	— *et*. P. A.
„	—	„	II,	125,	1.	*ut*	— *et*. P. A.
„	—	„	II,	129,	3.	*ut*	— *et*. P. A.
u	—	*i*	II,	25,	4.	add*u*xit	— add*i*xit. P. B. A.
„	—	„	II,	112,	4.	praedict*u*s	— praedict*i*s. A.
„	—	„	II,	118,	1.	m*u*tesceret	— m*i*tesceret. B. A.
u	—	*o*	II,	32,	3.	*u*t Horoscius	— *O*tho Roscius P. A.
„	—	„	II,	80,	2.	*tu*tam	— *to*tam. P.
„	—	„	II,	102,	2.	colloqiū	— colloqui*o*. P A.

Falso positum reperitur

ui pro *iu* II, 46, 1. *ui*ctus	pro	*iu*nctum. P. A.
„ — „ II, 91, 1. *ui*ro	—	*iu*re. P. A.

Ad confusas litteras pertinet etiam notarum numeralium depravatio, quae aliquoties in alienas voces abierunt.

II, 8, 2. *M* (II) Metelli	pro	*duo* Metelli. P. A.
II, 10, 2. *uti* (VII) ante	—	*septem* ante. P. A.
II, 31, 4. *bi*ennium (VII ennium)	—	*sept*ennium. P. A.
II, 47, 2. septimo (VII i. e. IIII) anno	—	*quarto* anno. P. A.
II, 102, 4. ante annum *quinquagesimum* Caesar	—	ante annum *L.* Caesar. P. A.

Cum universo hoc corruptelarum genere, quod confusis litteris in mediis vocabulis maxime constat, cognatum est aliud, non minus frequens, finalium syllabarum depravatione effectum. Quae quum tribus potissimum modis oriri soleat, ultima littera aut omissa, aut temere addita, aut confusa cum aliena, cuiusque generis exempla aliqua afferemus.

Corrupti autem sunt hi loci *omissione*

litterae *m* I, 1, 1. cognomine	pro	cognomine*m*. P.
— „ I, 9, 4. morte	—	morte*m*. B. A.
— „ I, 14, 6. Cosa	—	Cosa*m*. P. B. A.
— „ I, 16, 3. imitanda	—	imitanda*m*. P. A.
— „ II, 23, 6. Asia	—	Asia*m*. P. A.
— „ II, 25, 4. memoria	—	memoria*m*. P. B. A.
— „ II, 28, 1. Fidentia	—	Fidentia*m*. A.
— „ II, 28, 2. licentia	—	licentia*m*. P. A.
— „ II, 45, 2. calamitate	—	calamitate*m*. P. A.
— „ II, 61, 2. forma	—	forma*m*. B. A.
— „ II, 74, 3. spe	—	spe*m*. B. A.
— „ II, 112, 4. manu	—	manu*m*. P. A.
— „ II, 118, 3. societate	—	societate*m*. P. A.

Corrupti loci omissione

litterae	*m*	II,	118, 4.	culpa	pro	culpa*m*. B. A.
—	*s*	I,	8, 5.	Latini	—	Latini*s*. P.
—	„	I,	11, 1.	assumpti	—	assumpti*s*. P. A.
—	„	I,	17, 7.	quo	—	quo*s*. A.
—	„	II,	16, 3.	pietati	—	pietati*s*. P. A.
—	„	II,	28, 2.	maximi periculi	—	maximis periculi*s*. B. A.
—	„	II,	52, 2.	in die	—	in die*s*. B.
—	„	II,	72, 4.	exercitu	—	exercitu*s*. P. A.
—	„	II,	79, 1.	virtuti	—	virtuti*s*. A.
—	„	II,	95, 3.	ipsi	—	ipsi*s*. P. A.
—	„	II,	119, 5.	hosti	—	hosti*s*. B. A.
—	„	II,	121, 1.	accensa	—	accensa*s*. B. A.
—	„	II,	127, 2.	equestri	—	equestri*s*. A.
—	„	I,	6, 2.	vir	—	viri*s*. P.
—	„	II,	39, 2.	Galli	—	Galli*is*. P. B. A.
—	*c*	I,	14, 4.	a Spurio	—	a*c* Spurio. P. A.
—	„	I,	17, 2.	ne	—	ne*c*. A.
—	„	II,	32, 4.	a multis	—	a*c* multis. P. A.
—	*t*	II,	27, 6.	praefuera	—	praefuera*t*. A.
—	„	II,	31, 4.	leva	—	leva*t*. A.
—	„	II,	52, 6.	dare	—	dare*t*. P. A.
—	*d*	II,	27, 5.	quo	—	quo*d*. B. A.
—	*a*	II,	30, 6.	omni	—	omni*a*. A.
—	„	II,	40, 1.	Albani	—	Albani*a*. P. A.
—	„	II,	84, 3.	melior	—	melior*a*. A.
—	*o*	II,	105, 3.	initi	—	initi*o*. P. A.

Corrupti loci *adiectione*

litterae	*m*	I,	14, 4.	Tarracina*m*	pro	Tarracina. P. A.
—	„	I,	17, 4.	circumdata*m*	—	circumdata. P. B. A.
—	„	I,	18, 1.	condicione*m*	—	condicione. P. A.
—	„	II,	28, 2.	crudelitate*m*	—	crudelitate. A.
—	„	II,	39, 2.	Bithynia*m*	—	Bithynia. A.
—	„	II,	46, 2.	lege*m*	—	lege. B.
—	„	II,	52, 5.	post ea*m*	—	postea. P. A.
—	„	II,	53, 4.	aetate*m*	—	aetate. P. A.
—	„	II,	59, 2.	in ea*m*	—	in ea. P. A.
—	„	II,	63, 1.	aversa*m*	—	aversa. P. A.
—	„	II,	73, 2.	Mutina*m*	—	Mutina. B.

Corrupti loci additione

litterae	*m*	II,	73, 3.	per que*m*	pro	perque. A.
—	„	II,	73, 3.	ductu*m*	—	ductu. A.
—	„	II,	76, 3.	summa*m*	—	summa. P. A.
—	„	II,	95, 1.	mole*m*	—	mole. P.
—	„	II,	102, 2.	colloqiu*m*	—	colloquio. P. A.
—	„	II,	106, 1.	tutissima*m*	—	tutissima. A.
—	„	II,	117, 1.	duce*m*	—	duce. P. A.
—	„	II,	128, 1.	aestimatione*m*	—	aestimatione. B.
—	„	II,	128, 1.	pontificatu*m*	—	pontificatu. B. A.
—	„	II,	129, 2.	respondente*m*	—	respondente. B. A.
—	*s*	I,	8, 2.	patri*s*	—	patri. P.
—	„	I,	13, 3.	diversi*s*	—	diversi. A.
—	„	II,	10, 2.	Fabii*s*	—	Fabii. A.
—	„	II,	9, 3.	evecti*s*	—	evecti. B.
—	„	II,	12, 4.	trucidati*s*	—	trucidati. P. A.
—	„	II,	38, 6,	nulli*s*	—	nulli. P. A.
—	„	II,	46, 1.	par*s*	—	par. P. A.
—	„	II,	93, 2.	securo*s*	—	securo. P. A.
—	„	II,	102, 1.	Caesari*s*	—	Caesari. P. A.
—	„	II,	106, 3.	mari*s*	—	mari. A.
—	„	II,	106, 3.	Caesari*s*	—	Caesari. A.
—	„	II,	116, 4.	civi*s*	—	civi. A.
—	„	II,	123, 1.	certamini*s*	—	certamini. P. A.
—	*t*	II,	24, 5.	perfecisse*t*	—	perfecisse. A.
—	„	II,	111, 3.	perduxi*t*	—	perduxi. P. A.
—	*d*	II,	32, 5.	quo*d*	—	quo. A.
—	„	II,	33, 2,	quo*d*	—	quo. P. B. A.
—	*c*	II,	67, 1.	ne*c*	—	ne. B. A.
—	*o*	II,	49, 4.	altero	—	alter. P. A.
—	*a*	II,	64, 1.	qui*a*	—	qui. P. A.

Corrupti loci *permutatione* finalis litterae, ita ut falso posita sit

s	pro *m*	I,	14, 1.	civitate*s* propagata*s*	pro	civitate*m* propagata*m*. P. A.
„	— „	II,	16, 3.	tragoedia*s*	—	tragoedia*m*. P. A.
„	— „	II,	38, 4.	Hispania*s*	—	Hispania*m*. P. A.
„	— „	II,	40, 4.	primu*s*	—	primu*m*. P. A.
„	— „	II,	46, 2.	iunctu*s*	—	iunctu*m*. P. A.
„	— „	II,	59, 5.	sua*s*	—	sua*m*. P. A.

Falso posita littera finalis

s	pro	*m*	II,	89, 3.	redactu*s*	pro	redactu*m*. A.
„	—	„	II,	113, 1.	principe*s*	—	principe*m*. P.
m	—	*s*	I,	4, 3.	Erythra*m*	—	Erythra*s*. P.
„	—	„	II,	23, 6.	perfuga*m*	—	perfuga*s*. P. A.
„	—	„	II,	56, 4.	offensu*m*	—	offensu*s*. P. A.
„	—	„	II,	105, 1.	legatu*m*	—	legatu*s*. P. A.
„	—	„	II,	109, 2.	totu*m*	—	totu*s*. P. A.
„	—	„	II,	111, 4.	missu*m*	—	missu*s*. A.
„	—	„	II,	112, 3.	instante*m*	—	instante*s*. P. A.
„	—	„	II,	122, 2.	triumphu*m*	—	triumphu*s*. P. A.
us	—	*i*	II,	3, 1.	patru*us*	—	patru*i*. P. A.
us	—	*is*	II,	83, 3.	praetori*us*	—	praetori*is*. P. B. A.
„	—	„	II,	112, 4.	praedict*us*	—	praedict*is*. A.
is	—	*ibus*	II,	99, 2.	viri*s*	—	viri*bus*. P. A.
„	—	„	II,	119, 2.	paludi*s*	—	paludi*bus*. P. A.
um	—	*o*	II,	32, 3.	testimoni*um*	—	testimoni*o*. A.
o	—	*um*	II,	120, 1.	Rhen*o*	—	Rhen*um*. P. A.

Sed latius etiam patet istud corruptelae genus, quo finalem syllabam affectam ostendimus. Nam praeter confusas aut omissas additasve litteras haud raro ita librarium peccasse invenimus, ut *proximi* vocabuli terminationem alteri adderet, paribusque casibus exararet, quae diversam structuram haberent. Quae ex hoc genere notavimus exempla, haec sunt:

I,	9, 5.	Gent*ium* — agent*ium*	pro	Gentium — agent*is*.	P. A.
I,	14, 1.	iuss*us* senat*us*	—	iuss*u* senat*us*.	A.
II,	10, 1.	ex Arvern*is* et Fab*iis*	—	ex Arvern*is* et Fab*ii*.	A.
II,	16, 4.	continu*o* du*o*	—	continu*um* duo.	P. A.
II,	52, 2.	Roma*ni* nomi*ni*	—	Romano nomi*ni*.	B. A.
II,	64, 2.	qui*a* ill*a*	—	qu*i* ill*a*.	P. A.
II,	73, 2.	Mutin*am* fug*am*	—	Mutin*a* fug*am*.	P. B. A.
II,	75, 1.	mag*ni* vir*i* animi	—	mag*ni* vir animi.	B. A.
II,	88, 3.	praedict*ae* Antisti*ae*	—	praedict*ae* Antist*i*.	P. A.
II,	89, 3.	allectio du*o*	—	allect*i* du*o*.	A.
II,	94, 4.	praecipu*is* omni*bus*	—	praecipu*is* omn*ium*.	A.
II,	111, 4.	delectu*s*, revocatu*s*	—	delectu*s*, revocat*i*.	P. A.

II, 107, 1. ulterio*ra* arma*ta* pro ulterio*r* arma*ta*. A.
II, 119, 4. equi*tem* pedi*tem* — equi*te* pedi*tem*. P. A.

Aliis locis *duarum vocum terminationes* inter se *permutatae* reperiuntur, velut:

II, 12, 5. bon*a* mal*is* pro bon*is* mal*a*. P. A.
II, 34, 2. usur*ae* glori*a* — usur*a* glori*ae*. P. A.
II, 13, 5. necessitat*e* servient*is* — necessitat*i* servient*es*. A.

Denique scribae somnolentia interdum tanta fuit, ut eiusdem vocabuli syllabas transponeret et inter se confunderet, velut:

I, 14, 6. *ins*uessam pro *Sin*uessam. A.
II, 40, 4. Lab*eni*us — Lab*ien*us. P. A.
II, 52, 3. con*sil*io — con*lis*a. P. A.
II, 106, 3. *la*bi — *Al*bi. A.
II, 114, 1. *geni*tio — *nego*tio. B. A.
II, 119, 2. su*is* — *usi*. A.

Alius, isque longe uberrimus, corruptelarum fons fuit *compendiorum scribendi* usus. Nam quum codex, unde descriptus fuit liber Murbacensis, non plenas voces haberet, sed compendiis exaratus esset, in iis legendis recteque intelligendis tam saepe haesit lapsusque est librarius, ut auctoris verba incredibiliter obscuraret atque foedaret. Quare in iis emendandis haud mediocriter adiutum se sentiet, qui ex quibus scripturae compendiis falsae lectiones fluxerint, assecutus fuerit. Quamquam magna in ea re cautio adhibenda est; nam multis, qui, quid ex palaeographiae ratione liceret, non perspectum haberent, accidit, ut vanis commentis indulgerent, locosque corruptos non sanarent, sed magis etiam corrumperent.

Tribus autem modis compendia scribendi librario fraudi fuerunt, unde tria vitiorum genera discernenda sunt. Primum enim ortum est eo, quod scriba compendiis exaratas voces agnovit quidem in suo exemplo, sed in iis interpretandis vel ad iustam formam revocandis a vero aberravit. Alterum constat iis vocabulis, in quibus non sensit librarius compendii caussa aliquid omissum esse, sed pro integris et plene scriptis habuit, quae aliquot litteris aut syllaba essent decurtata. Ad tertium pertinent ea vocabula, quae, quum plene scripta essent, librarius pro compendiose exaratis habuit, et litteris nonnullis inferendis vitiavit. Singulorum generum potiora exempla subiiciemus.

Compendia scribendi perperam lecta

I,	9, 4. *per*fugit	pro	*pro*fugit. P. A.
II,	7, 3. *per*secuto	—	*pro*secuto. P. A.
II,	24, 2. *pro*fugissent	—	*per*fugissent. P. A.
II,	128, 4. *pro*duxit	—	*per*duxit. B. A.
I,	2, 1. *ncies*	—	*iniiciens*. P.
I,	14, 6. *quintum* Fabio*que*	—	Q. Fabio *quintum*. P. A.
I,	15, 5. *sexies*	—	*sextum*. P. A.
I,	16, 2. *eam*	—	*eandem*. P. A.
I,	17, 2. *et ut*	—	*etiam* ut. P. A.
I,	17, 5. *inq.* (i. e. nūq.)	—	*nun*quam. B. A.
II,	8, 1. *Cos.* Cato	—	*C.* Cato. P. A.
II,	12, 3. Aurelium *cos.*	—	Aurelium *consularem*. P. A.
II,	22, 2. *Cos.* abdicaverat	—	*consulatu* abdicaverat. P. A.
II,	33, 1. ex *cos.*	—	ex *consulatu*. P. A.
II,	16, 4. leger*antque*	—	legerant, *atque*. P. A.
II,	26, 3. *patria*	—	*propria*. P. A.
II,	27, 5. *ima*gine	—	*magnitudine*. P. A.
II,	28, 3. hist*oriarum*	—	histrioni. B. P. A.
II,	28, 3. civis *Reipublicae*	—	civis *Romani* publ*ice*. P. A.
II,	28, 4. ta*men*	—	tantum. P. A.
II,	29, 5. cele*riora*	—	colu*erat*. P. A.

Compendia scribendi perperam lecta

II,	32, 6.	tum (tū)	pro tamen (tn̄). P. A.
II,	35, 2.	non (nō)	— homo (hō). P. A.
II,	37, 2.	soc*erum*	— socium. P. A.
II,	37, 2.	qu*ia*	— qu*a*. P. A.
II,	38, 1.	stipendia pacta	— stipendiaria facta. P. A.
II,	42, 1.	destitu*ere*	— destitu*erit*. P. A.
II,	44, 1.	quo*que*	— quamquam. P. A.
II,	44, 4.	ius *ab his*	— ius *civitatis*. P. A.
II,	47, 3.	*a*nimo	— *om*nino. P. A.
II,	50, 1.	*ve*nerant	— *volu*erant. P. A.
II,	51, 3.	non (n̄ in)	— non in. P. A.
II,	54, 2.	*Iu*bae	— *vive*bat. P. A.
II,	54, 3.	a*mbi*tus	— a militibus. P.
II,	66, 5.	quam cedet / quām ccedet	— quam *M. Cicero* cedet. P. A.
II,	68, 2.	im*perator*	— impetrato. A.
II,	72, 1.	fec*it*	— fa*cti*. P. A.
II,	73, 1.	cogitator (cogitat^{oe})	— cogitatione. P. A.
II,	80, 4.	in dis*similli*mam	— indignissimam. P. A.
II,	83, 3.	*pater* Silii	— *P.* Silii. P. A.
II,	85, 4.	*eni*m	— e*tiam*. A.
II,	88, 2.	clavi *pene*	— clavi *insigni*. P. A.
II,	90, 2.	praetor (P. R.)	— populi Romani. P. A.
II,	95, 3.	*foret*	— *fuerat*. P. A.
II,	102, 1.	dignior	— ignoro. A.
II,	103, 4.	spem *quae*	— spem*que*. A.
II,	103, 4.	tentemus	— contenti simus. P. A.
II,	103, 5.	qua*m*	— quanti. P. A.
II,	104, 4.	elicitae	— felici*tate*. A.
II,	107, 1.	*virt*ute	— iuventute. A.
II,	112, 3.	*utilit*atem	— voluntatem. P. A.
II,	112, 5.	vindic*atum*	— vindic*avit*. P. A.
II,	112, 6.	*prae*rupta	— *per*rupta. A.
II,	114, 3.	in*erat*	— interdum. P. A.
II,	114, 4.	*a se* (alt^{a})	— *alte*rum. P. A.
II,	114, 5.	*eo*rum	— *Caes*arem. P. A.
II,	115, 1.	*Ulli*flano	— Velleiano. P. A.
II,	116, 2.	qui*busd*am	— quamvis. P. A.
II,	116, 2.	*lo*co	— *h*oc. P. A.
II,	116, 4.	prae*ferens*	— prae*rep*tus. P. A.
II,	116, 4.	imaginis	— magn*itudin*is. P. A.

Compendia scribendi perperam lecta

II, 118, 4.	postu*labat* etiam pro	obstabant iam.	P. A.
II, 121, 1.	ingressa *ani*mam —	ingressi *Germa*niam.	P. A.
II, 121, 3.	mi*liti* —	m*ihi*.	P. A.
II, 125, 4.	ignav*e* —	ignov*it*.	P. A.
II, 125, 4.	*us*us —	*min*us.	P. A.
II, 127, 1.	*aut st*itit —	haud obstitit.	A.
II, 131, 2.	h*anc* pac*em* —	hunc principem.	P. A.
II, 24, 5.	poss*et* —	poss*ent*.	A.
II, 118, 4.	praestruxer*at* —	praestrinxer*ant*.	P. A.
II, 120, 5.	minab*at*ur —	minab*ant*ur.	P. A.
I, 9, 1.	fu*it* —	fu*erit*.	B. A.
II, 59, 5.	pollic*ent*ur —	pollic*erent*ur.	B. A.
II, 90, 3.	poter*it* —	potu*erit*.	B. A.
II, 1, 4.	in*sc*ia —	inscientia.	B.
II, 10, 1.	A*el*ium —	Ae*mi*lium.	P. A.
II, 15, 1.	Serv*i*um —	Servil*i*um.	P. A.
II, 105, 2.	Athi*l*am —	aut hila*r*em.	A.
II, 36, 2.	dir*ep*tos —	dir*emp*tos.	B.
II, 45, 1.	*qui*que —	*qui* neque.	P. A.
II, 47, 3.	coert*i*onem —	coerc*iti*onem.	P. A.
II, 74, 2.	iu*ste* —	inst*ituta*.	P. A.
II, 78, 1.	m*o*mentis —	mo*li*mentis.	P. A.
II, 84, 2.	r*eg*es —	rem*ig*es.	P. A.
II, 86, 2.	*et hi* —	e*iecti*.	P. A.
II, 104, 3.	v*iri*bus —	vir*tuti*bus.	P. A.
II, 118, 1.	pro*cac*(t)es —	pro*vocan*tes.	P. A.
II, 118, 2.	Rom*ae* —	Roman*ae*.	P. A.
II, 118, 4.	sp*em* —	spec*iem*.	P. A.
II, 119, 1.	av*iq*ue —	av*iti*que.	B. A.

Pro *compendiis* scribendi habita, quae *nulla* fuere:

I, 6, 2.	ex *tricesimo* factum	*tricensimo*.	B.
II, 37, 5.	„ *occupaverat* —	*occupaverant*.	P. A.
II, 42, 3.	„ *redderetur* —	*redderentur*.	B.
II, 90, 3.	„ *rescidit* —	*rescindit*.	A.
II, 84, 2.	„ *hic — illic* —	*hinc — illinc*.	P. A.
II, 103, 4.	„ *hic* —	*hinc*.	P. A.
I, 11, 6.	„ *extentum* —	*extenuatum*.	P. A.
I, 17, 1.	„ *eum* —	*eorum*.	P. A.

Pro *compendiis* scribendi habita, quae *nulla* fuere.

II,	7, 5.	ex	*vini*	factum *vicini* A.
II,	9, 3.	„	*euectis*	— *eius aetatis.* P. A.
II,	12, 2.	„	*exuissent*	— *exercuissent.* A.
II,	25, 4.	„	*post*	— *posuit.* P. A.
II,	28, 3.	„	*histrioni*	— *historiarum.* P. A.
II,	48, 1.	„	*Afranium*	— *Africanium.* B.
II,	52, 6.	„	*corrupit*	— *corrumpit.* P. A.
II,	59, 1.	„	*praenitet*	— *praevenit et.* P. A.
II,	59, 5.	„	*ordinem*	— *ordinationem.* P. A.
II,	85, 4.	„	*detracto*	— *detrectato.* P. A.
II,	116, 5.	„	*Horum*	— *honorum.* B. A.
II,	118, 1.	„	*credat*	— *credebat.* P. A.
II,	120, 6.	„	*infert*	— *interfecti.* P. A.
II,	121, 3.	„	*mihi*	— *militi.* P. A.
II,	126, 2.	„	*opsitae* (obs.)	— *oppositae.* B. A.
II,	130, 5.	„	*aegritudinem*	— *egreditudinem.* A.

His exemplis, quae multis augeri possunt, subiungemus ea inscitiae pariter ac negligentiae librarii documenta, quae cernuntur in vocabulis syllabisque vel *divulsis*, *quae cohaerent*, vel *conflatis*, *quae disiuncta sunt*, ex quo scribae stupore plurima monstra vocabulorum aut sensus orta sunt. Imprimis frequens est hoc corruptelae genus in nominibus propriis, quae interdum ita vitiata reperiuntur, ut appareat scribam rerum historicarum prorsus fuisse ignarum. Quae huc pertinent, haec fere sunt:

I,	4, 1.	pro	*in Asia Magnesiam*	legitur *in Asiam ac Nesiam.* P.
I,	15, 5.	„	*in Bagiennis Eporedia*	— *in Bagienni seporedi.* A.
II,	8, 3.	„	*ex Scordiscis*	— *excordiscis.* P. A.
II,	9, 3.	„	*Acci usque*	— *Acciusque.* P. A.
II,	12, 2.	„	*exercitu Scaurum*	— *exercitus caurum.* A.
II,	25, 4.	„	*Tifata*	— *ti fata.* P. B. A.
II,	26, 2.	„	*Scaevolam Mutium*	— *Scaevola etiam.* P. A.
II,	32, 3.	„	*Otho Roscius*	— *ut Horoscius.* P. A.

II,	38, 5.	pro	*ab Attalis*	legitur	*habita lis.* P. A.
II,	39, 2.	„	*Isauricus et*	—	*visa vicisset.* P. A.
II,	40, 3.	„	*Hiberia, deinde*	—	*Hiberi ac deinde.* P. A.
II,	42, 3.	„	*Iunium, Nicomedeam*	—	*Iunium, cum idem.* P. A.
II,	51, 1.	„	*Pompei obtinentur*	—	*Pompeio retinetur.* P. B.
II,	51, 3.	„	*Hispania ex cive*	—	*Hispaniae Asiae.* P. A.
II,	78, 1.	„	*Ventidi una*	—	*Venti divina.* A.
II,	84, 2.	„	*Dellius, exempli sui tenax, ut a*	—	*de illius exemplis uitae naxuta.* P. A.
II,	85, 2.	„	*Publicolae Sosioque*	—	*Pulico Laesosioque.* P. A.
II,	86, 2.	„	*At Sosium L. Aruntii*	—	*ad solium alarunt in.* P. A.
II,	94, 3.	„	*Ostiae atque*	—	*ostia eratque.* P. A.
II,	105, 1.	„	*Caninefates, Attuarii*	—	*cam ui faciat ruari.* P. A.
II,	112, 4.	„	*Rhoemetalces*	—	*Rhomo et Alces.* P. B. A.
II,	114, 5.	„	*a Caesare M. Lepidus*	—	*Caesarem Lepidus.* P. A.
II,	115, 4.	„	*Perustae ac Desitiates*	—	*perusia aedesitiales.* P. A.
II,	116, 2.	„	*diligentique Vibius*	—	*diligenti quib. ius.* A. *diligenti quib. Iulius.* P.
II,	119, 2.	„	*Vala Numonius*	—	*Valnumonius.* P A.
II,	120, 4.	„	*Alisone*	—	*a Lisone.* P. A.

Inverso modo aliquot locis imperitia librarii nomina propria procudit ex aliis vocabulis, quae legere vel intelligere non valuit. Ita v. c.

II,	47, 2.	pro	*potentiae male*	legitur	*Ponti et Camiliae.* P. A.
II,	42, 3.	„	*is iam*	—	*Asiam.* P. A.
II,	68, 1.	„	*acri eaque*	—	*Africaque.* P. A.
II,	89, 3.	„	*bella civilia*	—	*bellaci Iulia.* A.
II,	105, 2.	„	*aut hilarem*	—	*Athilam.* A.
II,	119, 2.	„	*marcore ducis*	—	*Marco reducis.* A.

Sed hoc male divulsarum conflatarumque syllabarum genus non nominibus propriis tantum contineri,

sed latius patere, ac cum aliis depravationibus coniunctum gravissimis mendis Velleii verba affecisse, ex his exemplis patebit:

I, 10, 4.	pro	*is cum*	legitur	*istum.* A.
II, 73, 3.	„	*is tum*	—	*istum.* P. A.
I, 15, 3.	„	*in eo moliendo*	—	*in demoliendo.* P. A.
I, 18, 3.	„	*existimatum. Quae urbes*	—	*existimatumque urbes.* B. A.
I, 18, 3.	„	*cunctae liberalium*	—	*et initalia talium.* B. A.
II, 1, 5.	„	*post tergum*	—	*postergum.* A.
II, 2, 3.	„	*publico stanti*	—	*publicos tanti.* A.
II, 2, 3.	„	*triumviros agris*	—	*triumviro sanis.* A.
II, 3, 3.	„	*antea condicionibus*	—	*ante a conditionibus.* P.
II, 6, 4.	„	*nomine, re autem*	—	*nominaverat, eum.* P. A.
II, 10, 3.	„	*triumphi autem*	—	*triumphantem.* A.
II, 12, 2.	„	*repellendis tantis*	—	*repellendi stantis.* A.
II, 21, 2.	„	*consulatus ita*	—	*cos. sulta.* A.
II, 22, 2.	„	*in mediocris*	—	*immediocri.* B. A.
II, 23, 6.	„	*multatum*	—	*multa tum.* P. A.
II, 28, 3.	„	*exoleto*	—	*ex alto.* P. A.
II, 30, 3.	„	*non miretur*	—	*nominetur.* A.
II, 30, 4.	„	*inanem*	—	*in iure.* P. A.
II, 31, 1.	„	*maior aevo*	—	*maiore vi.* P. A.
II, 31, 4.	„	*extraordinaria reformidant*	—	*extraordinaria re formidant.* A.
II, 38, 4.	„	*initio*	—	*in otio.* A.
II, 40, 3.	„	*secum trahere moris*	—	*fata remoris.* P. A.
II, 42, 3.	„	*custodiae quos*	—	*custodia equos.* A.
II, 42, 3.	„	*tamquam*	—	*eam quam.* P. A.
II, 45, 4.	„	*quaestore mitteretur*	—	*quaestor emitteretur,* P. A.
II, 47, 1.	„	*directa acie*	—	*de recta acie.* A.
II, 51, 1.	„	*ut rebatur*	—	*virebatur.* P. A.
II, 52, 6.	„	*victor iam*	—	*victoriam.* P. A.
II, 55, 1.	„	*fortuna, mox pugnavit sua*	—	*fortunam expugnavit via.* P. A.
II, 59, 1.	„	*praenitet*	—	*praevenit et.* P. A.
II, 61, 4.	„	*est et*	—	*esset.* A.
II, 66, 5.	„	*citiusque*	—	*citius quem.* A.
II, 66, 2.	„	*aut ab ullo*	—	*aut bullo.* P. A.
II, 69, 2.	„	*imperatoribusque*	—	*imperatoribus qui.* P. A.

II,	69, 2.	pro *ad ictum*	legitur	*adiectum.* P. A.
II,	72, 5.	„ *ad quem et e*	—	*adque me T e.* B. A.
II,	73, 3.	„ *perque*	—	*per quem.* A.
II,	75, 3.	„ *sinu per avia*	—	*si nuper avia.* A.
II,	82, 2.	„ *ac tot*	—	*acto.* P. A.
II,	84, 2.	„ *in illa marcebant*	—	*illam arcebant.* B. A.
II,	85, 5.	„ *ut dubites, suo*	—	*uidebites ne.* A. P.
II,	87, 2.	„ *ab eo devictum*	—	*ab eodem victum.* P. B. A.
II,	88, 2.	„ *equestri sed splendido genere*	—	*equestris et splendido genere.* P. A.
II,	90, 1.	„ *ut concordia invaluere*	—	*et coram aliero.* P. A.
II,	99, 4.	„ *privato, si illa*	—	*privatos illa.* P. A.
II,	101, 1.	„ *ad visendum*	—	*adsidendum.* B. A.
II,	102, 1.	„ *fama vulgavit*	—	*iam avulgavit.* P. A.
II,	102, 4.	„ *deinde reluctatus*	—	*diu de re luctatus.* A.
II,	105, 1.	„ *utinam minus*	—	*et inamminus.* P. B. A.
II,	106, 1.	„ *insequenti*	—	*in sequenti.* A.
II,	112, 5.	„ *a more*	—	*amore.* P. A.
II,	112, 7.	„ *et iam*	—	*etiam.* P. A.
II,	113, 1.	„ *X alis et*	—	*XIIII sed.* P. A.
II,	114, 3.	„ *equo*	—	*eo quo.* A.
II,	114, 4.	„ *insequenti*	—	*in sequenti.* A.
II,	115, 2.	„ *per gentis*	—	*pergentis.* P. B. A.
II,	115, 5.	„ *nec unquam*	—	*necum quod.* B. A.
II,	119, 2.	„ *occasio iis*	—	*occasionis.* P. A.
II,	119, 2.	„ *quia Romanis*	—	*qui a Rom.* A.
II,	119, 4.	„ *fuga cum*	—	*fugatum.* B. A.
II,	121, 1.	„ *aequum ei ius*	—	*equum eius.* P. A.
II,	123, 2.	„ *expectato revolavit*	—	*expectatore volavit.* A.
II,	127, 1.	„ *complura eveherentur*	—	*complurae numerentur.* P. B. A.
II,	129, 1.	„ *singula recenseamus*	—	*singulare censeamus.* A.
II,	130, 1.	„ *quod unquam*	—	*quidem quam.* P. A.
II,	131, 1.	„ *hanc Romani*	—	*honor omni.* B. A.

Aliquoties etiam factum est, ut librarius, quum avulsam syllabam reperisset, eam non suo vocabulo rursus adiiceret, sed ex ingenio, i. e. crassa Minerva,

aliquot litteras adderet, ad novam inde vocem formandam.

II, 21, 2. pro *potentiae se* primo fuit *potentia͡e se,*
inde factum postea *potentia esse.* A.

II, 40, 1. „ *Hiberia deinde* — *Hiberi͡a deinde*
— — *Hiberi ac deinde.*
P. A.

II, 114, 3. „ *equo vectus* — *e͡quo vectus*
— — *eo quo vectus.* A.

II, 94, 3. „ *Ostiae atque* — *Ostia͡e atque*
— — *Ostia er atque.* P. A.

II, 32, 1. „ *liberae reipublicae* — *liber͡ae reipubl.*
— — *liber aere reipubl.*
P. B.

II, 114, 4. „ *ferocem illam* — *fero͡cem illam*
— — *fero vocem illam.* A.

II, 75, 3. „ *Caesaris manus* — *Caesaris ma͡nus*
— — *Caesaris arma nus.*
P. A.

II, 130, 3. „ *audeo cum deis* — *au͡deo cum deis*
— — *auro deo cum deis.*
P. A.

II, 109, 1. „ *custoditum* — *custodi͡tum.* P. A.
— — *custodia tum.*

Accedimus ad alium depravatae lectionis fontem. Ut enim ea, quae hucusque tractavimus vitia, oculorum potissimum errore orta esse patet, quo factum est, ut verba per compendium, aut negligenter et male exarata false legerentur, ita aliis locis non magis legendi difficultas, quam perverse instituta verborum constructio ac sententia male intellecta corruptelae novae caussa fuit. Nimirum vocabulorum, quae vel per compendia, vel alio modo obscure scripta sunt, recte legendorum primaria norma est et adiumentum maximum iusta constructio; quae ut sensum adiuvat haud mediocriter,

ita rursus sensu perspecto haud difficile est rectam inire verborum structuram. Sed in utraque re quum coecutirent librarii, saepe id modo agentes, ut verba proxima utcunque componerent, de universa sententia securi, facile intelligitur multas corruptelas non aliunde, quam ex eorum stupore et ignorantia sensus ac structurae esse repetendas. Eius rei, in aliorum quoque scriptorum codicibus frequentis, sed ad quam, quantum memini, solus Drakenborchius ad Liv. VI, 3, 8. animum attendit, haec exempla observavimus:

Vera lectio	Falsa lectio
I, 11, 1. *assumptis* regni *insignibus.*	*assumpti regni* insignibus. P. A.
I, 13, 3. *diversi* imperatoribus *mores.*	*diversis imperatoribus* mores. A.
I, 15, 5. neque *facile* memoriae *mandaverim.*	neque *facili memoriae* mandaverim. A.
I, 16, 4. *philosophorum* ingenia Socratico ore *defluentium.*	philosophorum *ingenia* Socratico ore *defluentia.* P. A.
I, 18, 1. Attica pluribus annis *eloquentia floruit.*	Attica pluribus *annis eloquentiae* floruit. P. A.
II, 3, 1. Scipio Nasica — pronepos *Cn. Scipionis,* P. Africani *patrui.*	Scipio Nasica — *pronepos* Cn. Scipionis, P. Africani *patruus.* P. A.
II, 9, 4. *iuvenes* Iugurtha ac Marius *didicere.*	*iuvenis Iugurtha* ac Marius didicere. P. A.
II, 10, 1. prosequamur *notae severitatem* censorum.	*prosequamur notam severitatem* censorum. P. A.
II, 22, 2. *excelsissimi* atq. *eminentissimi* civitatis *viri.*	*excelsissimae* atque *eminentissimae civitatis* viri. P. A.
II, 34, 2. ne ab *huius* quidem usura *gloriae*	ne ab *huius* quidem *usurae* gloria. P. A.
II, 35, 2. id solum — quod *haberet iustitiam*	id solum — *quod* haberet *iustitiae.* P. A.

Vera lectio	Falsa lectio
II, 43, 1. cum — *amisisset id* sacerdotium, festinans in Italiam.	cum — amisisset, *ad sacerdotium festinans* in Italiam. P. A.
II, 47, 4. *exemplo inutili*, facto salutari reipubl.	exemplo *inutiliter facto* salutari reipubl. P. A.
II, 49, 4. *cum* alter cos. — *esset* ferocior	*cum altero* cos. — esset ferocior. P. A.
II, 52, 5. *postea*	post *eam.* P. A.
II, 62, 5. cum eam iniuriam *dissimulando* Caesar *ferret*	cum eam iniuriam *dissimulando Caesari* ferret. P. A.
II, 64, 2. cuius *cum* primus omnium amicorum *fuisset*	cuius *cum primis* omnium amicorum fuisset. P.
II, 69, 3. Antonium bello lacessierat, *Vatinium* dignatione *obruerat*	Antonium bello *lacessierat Vatinius*, dignatione obruerat. P. A.
II, 73, 3. vindicatum *armis ac ductu* patris sui mare	*vindicatum* armis *ac ductum* patris sui mare. A.
II, 84, 2. navium *haec magnitudo* modica	navium *hac* magnitudo modica. P. A.
II, 88, 3. aequetur praedictae iam *Antisti* Servilia Lepidi *uxor*	aequetur *praedictae* iam *Antistiae* Servilia Lepidi uxor. P. A.
II, 89, 3. *finita* vicesimo anno *bella*	*finito* vicesimo *anno.* A.
II, 100, 5. Scribonia *voluntaria* exili permansit *comes.*	Scribonia *voluntarii exilii* permansit comes. P. A.
II, 100, 2. *magnificentissimis* gladiatorii muneris naumachiaeque *spectaculis* animos repleverat.	*magnificentissimi* gladiatorii *muneris* naumachiaeque spect. an. repl. P. A.
II, 103, 4. *spem conceptam* perpetuae securitatis.	spem *conceptae* perpetuae *securitatis.* P. A.

Vera lectio	Falsa lectio
II, 105, 3. pietas Caesarem in urbem traxit; *at tutela* imperi eum — *reduxit.*	pietas Caesarem in urbem *traxit ad tutelam imperii;* eum — reduxit. P. A.
II, 106, 1. *iuventus infinita* numero.	iuventus *infinito* numero. A.
II, 108, 1. *incinctos Hercinia silva* campos incolebat.	incinctos *Herciniae silvae campos* incolebat. P. A.
II, 109, 3. *Maroboduus totus*— agebat aemulum.	Maroboduus *totum* — agebat *aemulum.* P. A.
II, 114, 1. o rem *virtute atque utilitate* maximam.	o rem virtute atque *utilitatem maximam.* A.
II, 126, 5. cum facere recte civis suos *princeps* optimus faciendo *docet.*	cum facere recte *civis suos principes* optimus faciendo docet. A.
II, 127, 3. Seianum principe *equestris ordinis* patre natum.	Seianum *principe equestri* ordinis patre natum. A.
II, 127, 3. *sufficiente* etiam vigori animi *compage* corporis.	*sufficiente* etiam *vigore* animi compage corporis. A.
II, 129, 2. quibus iuventam eius exaggeravit honoribus, *respondente cultu* triumphi rerum magnitudini.	quibus *iuventam* eius exaggeravit honoribus *respondentem* cultu triumphi rerum magnitudini. B. A.

Inscitiae scribarum confinis fuit negligentia atque festinatio cum oscitantia coniuncta, quae effecit, ut multis locis litterae, aut syllabae, aut integrae voces similitudine vel praecedentium vel sequentium absorberentur.

I, 15, 3. pro *quamquam* legitur *quam.* A.
I, 16, 1. „ *mihi in hac* — *mihi hac.* A.
II, 1, 5. „ *quippe poenam* (*quippepe*) — *quippe.* P. A.
II, 8, 1. „ *lis eius H-S IIII* — *lis eius IIII.* P. A.

II,	11, 2.	pro *virtute utique*	legitur	*virtutique.* P. A.
II,	16, 4.	„ *legerant atque*	—	*legerantque.* P. A.
II,	21, 2.	„ *praestitit ut*	—	*praestitit.* A.
II,	22, 2.	„ *in mediocris saevitum*	—	*immediocri saevitum.* B. A.
II,	25, 3.	„ *exarmatum Q. que*	—	*exarmatumque.* P. A.
II,	26, 1.	„ *quam ingeni*	—	*quam aevi.* P. A.
II,	26, 3.	„ *virtute feminae eminet*	—	*virtute eminet.* P. A.
II,	28, 2.	„ *in immodicae*	—	*immodicae.* P. A.
II,	30, 6.	„ *reip. per omnia*	—	*reip. omni.* A.
II,	37, 4.	„ *neque ei inhoneste*	—	*neque inhoneste.* P. A.
II,	43, 1.	„ *locum, cum paene*	—	*locum paene.* P. A.
II,	44, 2.	„ ut *praedixi mus, multi*	—	*ut praedixi multi.* A.
II,	45, 5.	„ *laude fraudari*	—	*laudari.* P. A.
II,	49, 2.	„ *et ante annos*	—	*et annos.* P. A.
II,	69, 2.	„ *Laodiciae expugnata*	—	*Laodicia expug.* B. A.
II,	70, 2.	„ *altiora se receperat*	—	*altiora receperat.* P. A.
II,	110, 2.	„ *Caesare se iuncturae*	—	*Caesare iuncturae.* P. A.
II,	77, 2.	„ *patriae attulit*	—	*patriae tulit.* A.
II,	114, 2.	„ *cuius usum cum*	—	*cuius cum.* P. A.
II,	84, 2.	„ *nec celeritati*	—	*ne celeritate.* P. A.
II,	90, 1.	„ *Delmatia a. XX* (i. e. *Delmatia annos XX*)	—	*Delmatia XX.* B. A.
II,	90, 2.	„ *dediti imperatoris*	—	*dedit imper.* A.
II,	91, 1.	„ *Crasso oppresso*	—	*Crasso presso.* P. A.
II,	91, 4.	„ *habent ut publica*	—	*habent publica.* P. A.
II,	95, 3.	„ *vis censoria alteri*	—	*vis censori alteri.* P. A.
II,	102, 2.	„ prospere *rem* gessit	—	*prospere gessit.* P. A.
II,	102, 2.	„ deinde *c.* ingressus (i. e. *deinde Caius ingr.*)	—	deinde ingressus. P. A.
II,	104, 3.	„ *quisque quam*	—	*quisquam.* A.
II,	115, 3.	„ *senatus donatus est*	—	*senatus est.* P. A.
II,	118, 4.	„ *benevolentiae ex*	—	*benevolentia ex.* P. A.
II,	121, 1.	„ *mollisset et senatus*	—	*mollisset senatus.* P. A.

II, 128, 1. pro *antiqui, qui ante* legitur *antiqui ante.* P.
II, 129, 3. „ *vicisse se, quam* — *vicisse, quam.* A.
II, 130, 2. „ *Coelio omnis* — *Coeli omnis.* P.
II, 29, 2. „ *constantiaque, quae in* — *constantiaque in.* P. A.
II, 94, 4. „ *ordinandasque, quae* — *ordinandas, quae.* A.
II, 28, 2. „ *imperio, quo priores* — *imperio priores.* P. A.
II, 20, 2. „ *Sulpicioque Cinna* — *Sulpicio Cinna.* P.
II, 34, 3. „ *utriusque ordinis* — *utrius ordinis.* B. A.
II, 39, 1, „ *Fabioque nepoti* — *Fabio nepote.* P. A.
II, 104, 3. „ *tractumque omnem* — *tractum omnem.* P. A.

Initio trunca vocabula reperiuntur his locis:

II, 3, 1. pro *circumdata* legitur *cum data.* P. A.
II, 21, 3. „ *vix verbis* — *vix bis.* A.
II, 24, 5. „ *a nullo nisi* — *a nullo si.* A.
II, 26, 1. „ *nomine consulis* — *nomine sulis.* A.
II, 45, 2. „ *viros dividendo* — *viros videndo.* A.
II, 51, 1. „ *regum atque* — *regumque.* P. A.
II, 65, 2. „ *igitur inita* — *tur inita.* P. A.
II, 69, 2. „ *interfecerat* — *fecerat.* P. A.
II, 112, 5. „ *discrepantes* — *crepantes.* P. A.
II, 114, 1. „ *imbecillus* — *becillus.* A.
II, 127, 1. „ *obstitit* — *stitit.* A.
II, 129, 1. „ *nunquam* — *quam.* P. A.

Integra vocabula exciderunt partim culpa eius librarii, qui codicem Murbacensem scripsit, partim Rhenani, partim Amerbachii. Quae ne confundantur, singula seorsim afferemus exempla, brevitatis caussa omissas voces uncinis appositis notantes.

Cod. Murbacensis.

I, 17, 4. *eminentia cuiusque operis* [*ingenia*].
II, 34, 2. [*Ne*] *ab huius quidem usura gloriae.*
II, 74, 1. [*in*] *corrupto animo.*
II, 76, 1. *corpore* [*cum*] *comes esse.*

II, 85, 6. *militis functum* [*officio*].
II, 86, 2. *victoriae suae facturus fuerit* [*modum*].
II, 86, 2. *diu* [*cum*] *clementia luctatus.*
II, 87, 3. *dederat* [*primus*] *Trebonius.*
II, 90, 2. *secundi* [*belli*] *punici.*
II, 109, 1. *voluntatem resistendi* [*ostenderet*].
II, 110, 1. *admovere* [*copias*] *placuerat.*
II, 110, 4. *in Macedoniam* [*se*] *effuderat.*

Rhenanus.

II, 7, 6. *ab eo* [*sint*] *ad te.*
II, 34, 4. *metu* [*consularis*] *imperi.*
II, 69, 4. *deformitas* [*corporis*] *cum turpitudine.*
II, 87, 1. *proximo* [*deinde*] *anno.*
II, 130, 4. *indignari* [*erubescere*] *coactus est.*

Amerbachius.

II, 5, 2. *Macedonici* [*in his*] *gentibus.*
II, 16, 2. *domestici* [*sanguinis*] *gloriae.*
II, 30, 2. *Metellus* [*et*] *Pompeius.*
II, 31, 2. *quasdamque* [*etiam*] *Italiae urbis.*
II, 40, 4. *cultu triumphantium* [*uteretur*].
II, 53, 2. *quae* [*obviam*] *processerat.*
II, 53, 3. *praestantissimi* [*viri*] *in id evecti.*
II, 67, 1. *fuisse* [*in*] *proscriptos.*
II, 79, 6. *spectaculo* [*quod*] *praebebat.*
II, 80, 5. *hominis pravissimi* [*tela*] *in eum iacta.*
II, 86, 2. [*si*] *sic licuisset.*
II, 87, 2. *dignitatis quoque* [*servandae*] *dedisset.*
II, 91, 4. *proteri* [*et*] *idem.*
II, 95, 3. *usui fuerat* [*cum alteri vis censoria, alteri vis deesset, Paulus vix posset implere censorem, Plancus timere debere*] *nec.*
II, 103, 3. *in senatu* [*recusante*] *et eum.*
II, 104, 1. [*adoptatus*] *eodem die.*
II, 104, 4. [*at*] *vero militum.*
II, 104, 4. *adiicerent* [*videmus te, imperator? salvum recepimus? ac deinde, ego*] *tecum.*
II, 110, 3. *hosti* [*relinquere*] *Italiam.*
II, 112, 2. *amplius XX milia* [*hostium*] *fudit.*
II, 115, 5. *conscientiae* [*quam*] *famae.*
II, 119, 5. *ulta est* [*non enim desertis superfuit, sed desertor occidit*] *Vari.*

II, 123, 1. *post* [*se*] *salva.*
II, 127, 1. *consulatus* [*triumphosque*] *et complura.*
II, 128, 1. *ante* [*primum*] *bellum.*
II, 128, 2. *honoribus* [*tum*] *pontificatu.*

Praeter hunc singulorum vocabulorum defectum, qui in Murbacensi modo codice aliquid incommodi habet, in duobus ceteris documento est a Rhenano Amerbachium multum superari fide atque diligentia, complures loci sunt, in quibus aperte plura vocabula, vel potius integri versus exciderunt. Quod quum iam in eo codice, unde fluxit Murbacencis, factum sit, aut certe eius librarii, qui hunc descripsit, culpae tribui debeat, nullo modo fieri potest, ut coniectura vera auctoris manus restituatur. Quare sufficiat locos attulisse, ubi asteriscis positis lacunas indicandas putavimus. Sunt autem hi: II, 52, 5; II, 81, 2; II, 84, 3; II, 117, 1; II, 129, 2; II, 130, 3.

Iam ad novum et priori contrarium accedimus corruptelarum genus, quippe quod non constet omissis quibusdam, quae ad integram orationis formam pertinent, sed illatis in auctoris verba alienis ac vitiosis. Id primo factum *geminata littera proxima* vel praecedente, vel sequente. Ita

I, 14, 1.	ex	iussu *s*enatus	factum	iussus *s*enatus. A.
II, 17, 2.	„	nobili, *s*extus	—	nobili*s s*extus. A.
II, 14, 1.	„	liber *a* conspectu	—	liber*a a* conspectu. P. A.
II, 39, 6.	„	fine *m*ultata	—	fine*m m*ultata. A.
II, 41, 1.	„	munificentia *e*ffusissimus	—	minificentiae *e*ffusissimus. P. A.
II, 74, 3.	„	belli *s*edem	—	bellis *s*edem. P. A.

II, 76, 1. ex redderem, eo factum redderem meo. P.
II, 107, 1. „ ulterior armata — ulteriora armata. A.
II, 114, 1. „ utilitate maximam — utilitatem maximam. A.
II, 116, 3. „ Postumi operum — Postumio operum. B. A.
II, 116, 4. „ civi simplicissimo — civis simplicissimo. A.

Similiter *syllabae geminatae* reperiuntur his locis:

II, 16, 1. ex dilucide Q. Hortensius factum dilucideque Q. Hortensius. P. A.
II, 33, 1. „ Piraticum et — Piraticum cum et. P. A.
II, 48, 4. „ Caesare stetit — Caesare restitit. P. A.
II, 58, 1. „ id patravere — id id patravere. A.
II, 49, 5. „ legione retinere — legione ne retinere. A.
II, 73, 1. „ rudis sermone — rudis is sermone. A.
II, 115, 2. „ gentis integras — gentis in integras. B. A.

Aliis syllabis temere in textum illatis non geminatio, sed similis forma proximae litterae vel syllabae originem dedit, quod factum est his locis:

II, 33, 1. ex pecuniae pellebatur factum pecuniae expellebatur. P.
I, 10, 4. „ diem ordinem — diem in ordinem. A.
II, 11, 2. „ Iugurtham acie — Iugurtham in acie. A.
II, 18, 3. „ fidem Mytilenaeorum — fidem in Mytilen. A.
II, 35, 1. „ praenitentem altissime — praenitentem in altissimo. P. A.
II, 46, 2. „ Parthicum animo — Parthicum in animo. P. A.
II, 80, 4. „ quam tueri — quam intueri. B. A.

Apertam librarii somnolentiam produnt ii loci, ubi vel idem vocabulum bis scriptum est, vel aliud quoddam illapsum reperitur, velut in his:

I, 10, 4. ante [triumphum] *triumphi* diem. A.
II, 12, 3. belli [acto] *ac to*gae dotibus. A.
II, 44, 2. Pompei [viri] *viri*bus. B. A.
II, 25, 2. Felici deinde [eventu] circa Capuam *eventu*. A.
II, 30, 3. *iniquo* tulisse [iniquo]. A.

II, 35, 5. quem spiritum *supplicio* debuerat [supplicio] reddidit. P.
II, 54, 1. *non* fuit [non] maior. B. A.
II, 55, 1. Caesar [in] pervectus *in* Asiam. A.
II, 62, 2. quincunque [se] iis *se* exercitus. A.
II, 85, 6. qui ad eius [fugam] arbitrium direxit *fugam*. A.
II, 83, 2. *mox* autem hunc [mox] avunculum. B. A.
I, 14, 2. Aricini [et] in civitatem recepti. A.
II, 80, 2. inutilis [in] alienae victoriae comes. B. A.
II, 82, 2. ne [prae]destinatum iter peterent. A.
II, 89, 1. ne[dum] in operis [si]quidem iusti materia. A.
II, 100, 5. quasi cuiuslibet uxore violata poenas [pependissent] pependere. A.
II, 100, 2. foeda [in] dictu. A.
II, 105, 2. de cuius viri claro [ingenio] celebrique consulatu. A.
II, 107, 2. appulso lintre [et] diu tacitus contemplatus. P. A.

Ab his vitiis, quae unice a supina librarii negligentia profecta sunt, probe discernenda esse ea additamenta, quae consilio ac de industria in textum illata *glossematum* nomine appellantur, vix est quod moneam, quamquam paucissimi sunt loci, quibus Velleii verba isto modo corruptelam traxerunt. Nam praeter I, 11, 1., ubi librarius constructionis caussa inseruit *erat*, haec tantum glossemata deprehenduntur: II, 1, 4. *hic primus e Pompeiis consul fuit;* II, 10, 1. *in vitia a vitiis;* II, 27, 6. *Sullanae;* II, 65, 2. *abhinc*. Paullo alius generis est locus I, 6, 6., ubi longior verborum complexio ex Aemilio Sura propter argumenti similitudinem margini ascripta, ab imperito librario ipsis Velleii verbis adiecta est. Ceterum, licet corruptissimus sit Velleii contextus et plurimis vitiis inquinatus, tamen interpolationis perpetuae et consilio quodam factae nulla vestigia repe-

riuntur. Id eo magis tenendum est, quod nulla re imperiti editores magis grassati sunt in miserum auctorem, quam glossematum interpolationumque, scilicet quas sibi reperisse visi essent, eiectione. In quo perversitatis genere cum multum ausus esset Gruterus, tum nuper Bothius ad insaniam usque progressus est.

In recensendis Velleii depravationibus ultimo loco nobis dicendum est de *traiectione verborum*. Ea plerumque iam in codice Murbacensi facta est, sed aliquoties etiam Rhenani et Amerbachii culpae debetur. Maiores autem particulae in alienum locum deiectae olim legebantur II, 15, 1. et II, 120, 1—2., quae in hac editione in suum locum repositae exhibentur II, 7, 7—8. et II, 120, 5—6. Singulorum vocabulorum in codice Murbacensi transpositorum haec sunt exempla:

I,	9, 6.	pro	*bis miliens-ut omnium*	legitur *ut bis miliens omnium.*
I,	10, 1.	„	*ut exposuit*	— *exposuit ut.*
I,	16, 1.	„	*pronive verticis ac gurgitis.*	— *pronive gurgitis ac verticis.*
II,	1, 4.	„	*nunquam plura quam X milia*	— *nunquam X milia plura quam.*
II,	5, 3.	„	*non deterritus proposito perseverantia ducis — Tantum effecit*	— *non deterritus — Tantum effecit perseverantia ducis.*
II,	13, 3.	„	*collegarum eius, quam*	— *collegarum quam eius.*
II,	9, 1.	„	*C. Fannius, Carbo Papirius, et ante omnes L. Crassus, et M. Antonius*	— *Metellus Numidicus et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius.*

II,	38, 1.	pro	*ut quae partibus notavimus, facilius*	legitur *notavimus facilius, ut quae partibus.*
II,	41, 1.	„	*constat antiquissima*	— *antiquissimos constabat.*
II,	57, 3.	„	*dati neque protinus ab eo lecti*	— *dati ab eo neque protinus lecti.*
II,	68, 2.	„	*senatus et consulis auctoritate*	— *senatus et auctoritate consulis.*
II,	69, 5.	„	*damnatis aqua ignique*	— *aqua ignique damnatis.*
II,	90, 2.	„	*nonnunquam etiam*	— *etiam nonnunquam.*
II,	91, 2.	„	*et ante hoc*	— *et hoc ante.*
II,	96, 1.	„	*filia eius Iulia*	— *filia Iulia eius.*
II,	111, 4.	„	*exercitus nostri hostis — elanguesceret*	— *exercitus nostri — hostis elanguesceret.*
II,	119, 2.	„	*aut egrediendi*	— *egredie aut.*
II,	129, 1.	„	*Ti. Caesaris forma — evocavit*	— *Ti. Caesaris — formam evocavit.*

Rhenanus peccavit in verborum ordine:

II,	9, 1.	pro	*eodem tractu temporum*	scribens *eodem temporum tractu.*
II,	124, 2.	„	*magis ratione*	— *ratione magis.*

Amerbachii errores in eadem re hi sunt:

II,	5, 3.	pro	*timori pudor*	scripsit *pudori timor.*
II,	41, 2.	„	*et somno et cibo*	— *et cibo et somno.*
II,	110, 6.	„	*quin tantus etiam*	— *quin etiam tantus.*
II,	119, 3.	„	*exempli successor*	— *successor exempli.*
II,	123, 1.	„	*eum simulque*	— *eumque simul.*

Iam expositis potioribus corruptelis id putamus nos consecutos esse, ut intelligatur verissime Rhenanum codicem Murbacensem dixisse depravatissimum ac talem, in quo omnia restituere non sit humani ingenii. Simul ex allatis exemplis hoc patebit, tantae corruptelae culpam non solius esse librarii Murbacen-

sis, sed magnam partem ad superiora recedere tempora. Multa enim vitia committi non potuissent, si librarius Murbacensis emendatum exemplar, quod sequeretur, ante oculos habuisset. Ex quo intelligitur ad emendanda auctoris verba plurimum interesse, ut ante omnia, quid in codice Murbacensi scriptum fuerit, perspiciatur, quia sic tantummodo quasi per varios mutationum gradus coniecturâ retro ad id veniri potest, unde scribae culpa est aberratum. In quo quum quaeri possit, utrum magis adiuvemur editione principe, an Amerbachii apographo, Orellius, ut supra demonstratum est, tanquam rem exploratam et non dubiam pronunciavit, Amerbachium accuratissime ac summa fide referre codicem Murbacensem, editionisque principis nullam esse in constituenda lectione auctoritatem. Sed nihil esse hac opinione falsius et ad obscurandam veritatem efficacius, iam supra significavimus, et, si post tot allata corruptelarum exempla opus esset, certissimis argumentis facile demonstrare possemus. Nam in unum congestis omnibus iis Amerbachiani apographi locis, quibus vel deteriorem Rhenaniana lectionem, vel meliorem exhibet, primo aspectu in oculos incurrit malarum scripturarum numerum bonas tantopere superare, ut de maiore auctoritate Amerbachii libro tribuenda cogitari non possit. Quod quum iam ex iis, quae supra alias ob caussas contulimus, exemplis facili negotio cognosci possit, denuo iis afferendis supersedebimus, quo lectorum otio

parcamus. Ceterum inter multas pessimas scripturas Amerbachianus codex aliquot tum bonas habet, tum eiusmodi, ex quibus facilius, quam ex Ed. pr. veram lectionem eruas. Quod quum ita sit, rectam emendandi viam is ingredietur, qui non praeiudicata opinione ductus alteri libro omnem fidem derogaverit, alteri tanquam oraculo confisus, sed qui hoc tenuerit, Rhenanum, Burerium et Amerbachium vario tempore eundem codicem Murbacensem oculis perlustrasse, et unumquemque eorum hic illic quaedam rectius legisse, quam ceteros duos; neque rursus ullum esse, quin passim a vero aberraret, ceteris rectum assecutis. Quum autem Rhenanus atque Burerius Amerbachium non solum doctrina et ingenio, verum etiam codicum antiquorum legendorum peritia multum superarent, recta ratio postulat, ut tum has ob caussas, tum quia duorum testium auctoritas plus valere debet quam unius, editioni principi primus in usu critico locus, Amerbachio secundus assignetur. Quodsi cauta et circumspecta discrepantis scripturae consideratione exploratum fuerit, quantum quoque loco vel Rhenano et Burerio, vel Amerbachio tribuendum sit, Velleii emendatio licet non firmissimo, tamen aliquo fundamento nitetur, et, ubi coniectura opus est, paullo probabilius perfici poterit, quam si quod re vera in codice Murbacensi scriptum fuit vel ignoretur, vel non respiciatur.

Quare ubique quam accuratissime editionis prin-

cipis, Burerii et Amerbachii lectiones respeximus, excepta *orthographia*, quam ita instituimus, ut in singulis vocibus non eam scribendi rationem, quae esset vel in editione principe vel in Amerbachii exemplo, retineremus, sed certam normam ex ipso codice Murbacensi ductam aequabiliter sequeremur omniaque ad eundem modum exigeremus. Quod ne temere et sine idonea caussa fecisse arguamur, paucis quid de universa orthographiae ratione in edendis scriptoribus adhibenda nobis videatur, explicabimus. Satis constat veteres ipsos non omnia vocabula eodem modo scripsisse, sed in aliis aliam rationem esse secutos; v. Reisigii Gramm. Lat. §. 167. p. 278 sq. Sed ne eosdem quidem homines in scribendis vocabulis sibi constitisse quamquam nullo testimonio proditum est, tamen non difficile est ad videndum, si quis ex nostra consuetudine de eo, quod apud Romanos valuit, coniecturam fecerit. Nam quum nihil frequentius sit, quam ut nostri scriptores se excusent, quod non aequalem per totum opus scribendi rationem tenuerint, quanto magis id apud veteres factum esse necesse est, qui neque tantum huic rei tribuebant, quantum nos, neque, si tribuissent, ea adiumenta aequandae orthographiae habebant, quibus nos utimur. Nam ut nobis minuta ac versatilis librorum forma facillimam copiam praebet varias libri partes relegendi atque comparandi, ac si quid discrepuerit, exaequandi, haud minima ex parte eorum studio, qui typographorum

specimina corrigunt, in id intento, ita veteres iniquiore utebantur condicione, qui et in magnis impeditisque voluminibus libros scriberent, neque omnino ea oportunitate, quam ars typographica praebet, uterentur. Quare maxime est probabile auctores ipsos opera sua inaequali scriptura exarata emisisse, non quo ita vellent, sed quod aliter non possent. A librariis autem quis credat aequabiliorem rationem institutam esse, qui assumpta posteriore vel adeo suae aetatis consuetudine magis etiam fluctuarent, quam auctores, et, ut fieri solet in describendi negotio, diversas scribendi formas negligentia miscerent, cf. Freundium ad Cic. orat. p. Mil. p. 24. Quae quum ita sint, quamvis in constituendis emendandisque auctorum verbis plurimum tribuam codicum auctoritati, tamen in orthographia nihil iis puto tribuendum, quia quae iis in hac re esse dicitur auctoritas, nulla est. Nam sive unum, sive plures sequeris, perinde turbata res erit. Nam quum non magis plures codices orthographiae ratione inter se conspirent, quam singuli sibi ipsis consentiant, prout vel hunc, vel illum, vel plures elegeris, vel omnes sumpseris, semper aliam habebis scribendi rationem, neque unquam talem, quae aequaliter per totum librum diffusa sit. Quare quum ii, qui in hac re vano auctoritatis nescio cuius nomine se ipsos decipiunt, rei fortuitae obnoxii arbitrium ac libidinem ducem sequantur, a nobis impetrare non potuimus, ut eorum morem imitaremur.

Certam autem normam atque legem sequendam esse quum contendimus, nihil aliud volumus, quam ut editoris opera id perficiatur, quod auctor, si loqui posset, ipse eum perficere iuberet. Iuberet autem sublatis orthographiae discrepantiis, quae vel ipsius fluctuatione, vel librariorum perversa consuetudine orta essent, universam scribendi rationem ad aequabilem exigere modum, et quidem eum, quem ipse, si licuisset, sequi non dubitasset. Qui qualis sit ut cognoscatur, ea scriptura, quam probabile est auctoris aetate valuisse ab ipsoque usurpatam esse, discernenda est ab ea, quam librarii intulerunt. Neque id admodum videtur difficile esse. Nam si quae ab ea, quae medio aevo invaluit, verba scribendi ratione discrepant, haud a vero aberraverit, qui coniiciat ea veteris scripturae potius vestigia esse, nondum plane evanida, quam a librariis novata et ex libidine receptis ac vulgatis substituta. His igitur orthographiae antiquae vestigiis caute collectis ubi assecutus fueris quid a scriptoris usu non abhorruerit, recta ratio postulat, ut is usus ubique restituatur, ubi librariorum culpa obscuratus fuit, vel incuria ipsius auctoris hic illic neglectus. Quod quum accurate feceris, talem verborum formam habebis, in qua nihil sit, quod auctor non ut suum agnoscat, et a qua id modo absit, quod librariorum consuetudo genuit.

Tribus autem rebus potissimum ea scribendi ratio, quam probabile est librarios deseruisse, cernitur,

tum singulorum quorundam vocabulorum scriptura, tum peculiari forma grammatica, tum verborum cum praepositionibus compositorum ratione. In quibus omnibus quis Velleii proprius usus esset explorare studuimus iis locis collectis, in quibus antiquiorem orthographiam servatam videremus. Haud contemnendo autem usui in ea re nobis fuit apographum Amerbachianum, quippe in quo multa orthographiae respectu habito fidelius expressa sint, quam in editione principe. Rhenanus enim, qui id modo ageret, ut verba Velleii commode legi possent, plurima, quae a recepto usu discederent, vulgari scribendi ratione exhibuit, v. c. accusativos tertiae declinationis in *is* exeuntes saepe vel in *es*, vel in *eis* mutavit, ut tunc mos erat. Amerbachius autem, in omnibus serviliter codici Murbacensi se addicens, summaque fide litteras potius, quam sensum assequi studens, hac ipsa re effecit, ut paullo certior antiquioris orthographiae notitia nobis servata sit. Ad singulas igitur voces quod attinet, Velleio vindicavimus has scribendi formas:

quattuor	pro	*quatuor*	ex	I, 10, 3; I, 11, 6; II, 109, 3. A.
intellego	„	*intelligo*	„	I, 9, 3; I, 16, 1; II, 62, 6; II, 114, 5. A.
contio	„	*concio*	„	I, 10, 4; II, 4, 4; II, 32, 2; II, 50, 2. A.
condicio	„	*conditio*	„	I, 18, 1; II, 7, 2; II, 15, 1; II, 48, 5; II, 65, 1; II, 108, 2. A.
dicio	„	*ditio*	„	II, 37, 4. A.
quicquid	„	*quidquid*	„	I, 12, 2; II, 3, 1; II, 7, 1; II, 16, 2; II, 22, 5; II, 23, 4; II, 52, 2. 4; II, 55, 2; II, 71, 1; II, 123, 2; II, 131, 1. P. A.

adulescens	pro	*adolescens*	ex	II, 24, 1; II, 27, 4; II, 30, 6; II, 35, 3; II, 55, 2; II, 73, 1; II, 95, 3; II, 97, 2; II, 103, 3. P. A.
epistula	„	*epistola*	„	II, 42, 3; II, 117, 1. A.
Gaius	„	*Caius*	„	II, 6, 7; II, 96, 1; P. A. II, 101, 3. A.
cotidianus	„	*quotidianus*	„	II, 60, 5; II, 79, 2; II, 84, 2; II, 129, 4. P. A.
volt	„	*vult*	„	II, 44, 5. A.
voltus	„	*vultus*	„	II, 127, 4. A.
Volso	„	*Vulso*	„	I, 15, 2. P. A.

Ad formas grammaticas tantummodo pertinet genitivus secundae declinationis vocabulorum in *ius* et *ium* exeuntium, et accusativus pluralis tertiae declinationis eorum vocabulorum, qui genitivum in *ium* exeuntem habent. Illum autem a Velleio constanter in *i*, hunc in *is* terminatum fuisse, ex his coniecimus exemplis.

Genitivus sing. II. decl. simplici *i* terminatus:

Octavi, I, 9, 5. et 6. P. A.
Fulvi, I, 10, 6. P. A.
Servi, I, 17, 3. P. A.
Servili, II, 1, 3. II, 12, 6. P. A.
Fulvi, II, 7, 2. II, 8, 2. P. A.
Tiberi, II, 7, 4. A.
Afrani, II, 9, 3. B. A.
Atti, II, 9, 3. P. A.
Lucili, II, 9, 4. P. A.
Apulei, II, 12, 6. P. A.
Pompei, II, 18, 6. A. II, 20, 1. A. II, 34, 2. P. A. II, 38, 6. P. A. II, 40, 1. A. II, 40, 1. P. A. II, 44, 2. P. A. II, 47, 2. 4. P. A. II, 49, 4. P. A. II, 49, 4. P. A. II, 79, 1. P. A. II, 80, 1. P. A. II, 90, 3. P. A. II, 130, 1. P. A.
Mari, II, 22, 3. P. A. II, 27, 6. P. A.

Antisti, II, 26, 3. P. A.
Sergi, II, 34, 3. P. A.
Manli, II, 38, 2. P. A.
Anni, II, 45, 3. P. A.
Corfini, II, 50, 1. P. A.
Antoni, II, 63, 2. P. A. II, 65, 2. P. A. II, 83, 1. P. A.
Luci, II, 96, 1. P. A. II, 120, 2. P. A.
Gai, II, 96, 1. P. A.
convici, II, 28, 3. P. A.
imperi, II, 34, 4. P. A. II, 37, 5. P. A. II, 38, 2. A. II, 52, 3. A.
fili, II, 40, 1. P. A. II, 129, 1. P. A.
consili, II, 118, 3. P. A.
ministeri, (depravatum in *ministri*), II, 111, 3.

Accusativus plur. III. decl. in *is* terminatus:

Gadis, I, 2, 3. P.
Alpis, II, 6, 3. A. II, 12, 4. 5. A.
immortalis, I, 10, 4. A.
incipientis, I, 11, 2. A.
excellentis, *acris*, *innocentis*, I, 11, 6. A.
praecellentis, I, 13, 3. A.
fecialis, II, 1, 5. A.
tris, II, 4, 2. A.
negotiantis, II, 11, 2. A.
exitiabilis, II, 12, 6. A.
omnis, II, 15, 1. 2. A. II, 25, 4. A. II, 32, 4. A. II, 37, 4. A. II, 97, 4. A. II, 108, 2. A. II, 121, 3. A.
mediocris, II, 22, 2. A.
multiplicis, II, 23, 3. A.
gratis, II, 25, 4. B. A.
faventis, II, 26, 2. A.
partis, II, 27, 4. A. II, 97, 4. *parteis*, II, 49, 4. P.
insontis, II, 28, 4. A.
gentis, II, 39, 2. A. II, 115, 2. A.
navis, *mortalis*, II, 42, 1. A.
immanis, II, 46, 1. A.
coalescentis, II, 48, 5. A.
fugientis, II, 50, 1. A.
volentis, II, 60, 5. A. II, 69, 3. A.
militaris, II, 67, 4. A.
frequentis, II, 90, 4. A.

difficilis, II, 116, 1. A.
pluris, II, 118, 3. A.
intolerabilis, *inexsuperabilis*, II, 120, 4.
obsidentis, II, 125, 4. A.
immunis, II, 126, 3. A.
civis, II, 126, 5. A.
multiplicis, II, 127, 1. A.
consularis, II, 127, 3. A.

Verba cum praepositionibus composita constat a veteribus ita scripta esse, ut praepositionis forma vel ubique integra maneret, vel ut ultima eius littera ante certas quasdam litteras, quibus alterum vocabulum inciperet, aut mutaretur, aut abiiceretur. Ad hanc posteriorem rationem quoniam ipsa natura duxit et pronunciandi consuetudo (v. Reisigii Gramm. Lat. §. 168. p. 279 sqq. et quae diximus in Praef. ad Sall. Catil. p. XIII.), plerique veterum eam secuti sunt. Paucioribus altera placuit, qui naturae in formanda lingua nihil concedentes, omnia ad etymologiae severitatem exigere studerent. Utraque autem ratio quum temporis progressu librariorumque imperitia atque inconstantia confusa esset, nullus paene ex antiquitate ad nos pervenit liber manu exaratus, in quo non ambae passim et sine consilio adhibitae reperiantur. Quare cui absonum et incredibile videtur ab auctore ipso eadem pagina scriptum esse *subcedo* et *succedo*, *obcupo* et *occupo*, *conmendo* et *commendo*, *conrigo* et *corrigo*, *conlega* et *collega*, *adcido* et *accido*, *adligo* et *alligo*, *subficio* et *sufficio*, *inpedio* et *impedio*, *adficio* et *afficio*, *inlustris* et *illustris*,

adpareo et *appareo*, et quae sunt alia huiuscemodi, ei in edendo aliquo scriptore nihil aliud relinquitur, quam ut probata altera scriptura, altera damnata, ea, quae repugnant, mutet, omniaque ad eandem normam exigat. In quo quum ea scribendi ratio amplectenda sit, quae frequentius quam altera in codicibus adhibita est, in Velleio dubii esse non potuimus, utram eligeremus. Nam quum, universa scriptura spectata, appareat, vix quartam vocabulorum compositorum partem ita esse scriptam, ut etymologiae ratio postulat, in relicuis tribus partibus praepositionem assimilatione esse immutatam, quivis videt non solum facilius, sed etiam probabilius ac verius omnia aequari, si assimilatio, quam si etymologia pro orthographiae norma habeatur. Ceterum facile largimur hanc nostram rationem improbantibus, totam rem non magni esse momenti, neque parem editori ex bene et aequaliter instituta scriptura laudem, atque ex perversa et confusa vituperationem parari.

Cap. IV.

De Velleii editionibus emendandique auxiliis.

A codice Velleii ad editiones transeuntes non id nobis agendum putamus, ut textus historiam, quam dicunt, exhibeamus, quippe quae, ut nobis quidem

videtur, in Velleio aut nulla sit, aut non digna, cui aliquid studii impertiatur. Nam quum critica Velleii tractatio absque librorum manu scriptorum usu suscipienda esset, omnis editorum cura paene unice coniectandi libidine constitit. Quotquot igitur editiones prodierunt, hoc omnes inter se habent commune, quod coniecturis scatent maximam partem falsissimis, incertis, aut non necessariis, peculiare autem, quo multum inter se discrepent, offerunt nihil. Nam etiamsi in aliis aliquot loci correcti fuerint, quos aliae corruptos exhibent, tamen universa omnium ratio fere par est, quippe in quibus pauca vera cum plurimis falsis varie permixta sint, ita ut is, qui textus historiam velit persequi, non aliam habeat materiam, quam ut ingenii vel lusum, vel abusum, vel apertam perversitatem, quae omnia in aliis editionibus aliis locis atque modis recurrunt, recenseat. Quod quum nullam aut admodum exiguam utilitatem habeat, multo fructuosius operam putamus in eo collocari posse, si quis, non ad singulas editiones respiciens, via et ratione ostendere conetur, quibus modis in tractando Velleio ab editoribus hucusque peccatum sit. Nam si universo genere proposito intelligatur, non unum atque alterum, sed omnino omnes ita se in exercenda critica praestitisse, ut multum ab eo, quod assequi vellent, aberrarent, ea res haud dubie plurimum valebit, ad rectam emendationis viam monstrandam.

Qui igitur virorum doctorum coniecturas accura-

tius examinaverit, inveniet eos in locis corruptis feliciter sanandis saepissime propterea frustra laborasse, quod vel scribendi compendia, quae depravationem genuerant, non assequerentur, vel corruptelae caussam alieno loco quaererent, vel simplicissima medela spreta impeditissimam ac longe arcessitam adhiberent. Quod vero etiam locos sanos in dubium vocarunt futilibusque coniecturis depravarunt, non una de caussa factum est. Primum iis offecit ignoratio usus latini, vel nimis exilis de recte dicendi ratione sententia. Tum plures etiam errores genuit ignoratio usus Velleiani, et perversa opinio de auctoris elegantia, brevitate et limata oratione. Deinde haud raro videmus peccatum perverso studio doctrinam ostentandi, aut Velleii verba ad aliorum scriptorum locos exigendi. Praeterea multis fraudi fuit, quod in tentanda editionis principis scriptura id, quod potest quodammodo fieri, confuderunt cum eo, quod utique fieri debet. Denique coniectandi caussas a rebus externis fortuitisque repetentes non potuerunt, quin plurimos novos errores ac depravationes textui inferrent. Qui autem ita titubarent in factitanda critica, ut tot modis integra verba corrumperent, medicorum similes, qui sanis hominibus medicinam obtrudendo morbos excitant, iidem non minus contraria ratione peccarunt, locos revera corruptos pro integris venditantes et infirmissimis argumentis tueri conantes.

Universa haec felicis emendationis impedimenta,

quae per omnes editiones, etiam optimas, quamquam non aequaliter, diffusa reperiuntur, plurimis exemplis illustrare decreveramus, ita ut quot caussas fuisse diximus parum emendati textus, tot fere capita vel partes faceremus disputationis nostrae, qua quid a singulis editoribus in quovis genere erratum esset doceremus. Sed quoniam verendum erat, ne libri moles nimium in modum cresceret, bibliopola contendente ut intra constitutos fines nos contineremus, premenda duximus quae de ea re commentati eramus, lectoribus relinquentes, ut singulas virorum doctorum coniecturas, quas suo loco in commentario nostro collectas reperient, ad ea, quae supra breviter significavimus, exigant. Quod qui fecerit, non solum cur plurimae coniecturae damnandae sint continuo intelliget, sed etiam quid in vera scriptura investiganda sequendum fugiendumque sit, exploratum habebit.

His praemissis ad *editiones* ipsas enumerandas accedimus, in quo negotio id temperamentum ineundum putavimus, ut non omnes sine discrimine afferremus, sed delectu habito eas modo apponeremus, quarum aliquis in constituendo textu usus fuit.

Editio princeps. *P. Vellei Paterculi Historiae Romanae duo volumina, ad M. Vinicium Cos. progenerum Tiberii Caesaris, per Beatum Rhenanum, Selestadiensem, ab interitu utcunque*

vindicata. In calce: *Basileae in aedibus Ioānis Frobenii mense Novembri Anno* 1520. fol.

Repetitam esse hanc editionem statim postquam evulgata fuit, mirificus error est Krausii, levi discrepantia, quae in variis editionis principis exemplis observata est, genitus. Nimirum p. 3. v. 11. (I, 4, 1.) in aliis est *Chalcide Erethryam*, in aliis *Chalcida Erethriam;* — p. 30. (II, 42, 1.) in aliis in margine legitur: *al's * destituerit, nisi paulo ante velis legere obtinebant*, in aliis haec absunt; — p. 40. v. 7. (II, 67, 1.) alia habent *ne deflere*, alia *nec deflere;* — p. 45, v. 8. (II, 78, 3.) in aliis est *fusti*, in aliis *fuste;* — p. 68, v. 9. (II, 129, 1.) alia in margine habent *Tacitus Rhescuporim*, alia *Tacitus Rescuporim;* denique in Burerii Appendice critica p. 1. v. 4. alia ostendunt *erratutulum*, alia *erratulum.* Quae discrepantiae si varias editiones proderent, non duas, sed innumeras exstitisse necesse foret, quum eadem exempla non eodem modo singulis locis differant, ac paucissima reperiantur, quae sex illis locis inter se concordent. Sed res longe aliter se habet, atque Krausius suspicatus est. Quippe illae diversitates eo ortae sunt, quod, dum singulae plagulae typis describuntur, aliqua exemplorum parte iam perfecta, in relicuis pauca quaedam editor mutari iussit. Quae correctae plagulae quum vario modo cum ceteris permiscerentur, eo factum est, ut summa exemplorum existeret varietas, ceterum per se

levissima et nullius momenti in re critica. cf. Orellii Praef. p. XIII. Laurentii Praef. ad Locos Vellei. p. XIX sqq. et Froehlichium in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 74. p. 616 sqq. — *Duas* fuisse editiones principes, alteram a Rhenano, alteram a Burerio curatam, tradit Bernhardius in Hist. Litt. Rom. p. 269., qui error facile refellitur iis, quae supra de Burerii opera ad Rhenani editionem collata disputavimus.

Iuntina, simul Iustinum et Nepotem complexa. *P. Velleii Paterculi historiae Romanae duo volumina nuper reperta diligentissimeque excusa.* In fine: *Florentiae, per heredes Philippi Iuntae, Anno domini* 1525. 8.

Bonhommaeana, curata ab *Ant. Bonhommaeo, Avenione* 1532. fol.

Vascosana, Appiano addita, ex Candidi versione latine excuso, prodiit *Parisiis apud Vascosanum* 1538. fol.

Basileensis. *Vitae Caesarum, quarum scriptores hi: C. Suetonius Tranquillus, Aelius Spartianus* etc. *Annotationes D. Erasmi Roterod. et Bapt. Egnatii in vitas Caesarum. Accesserunt in hac editione Velleii Paterculi Libri II. ab innumeris denuo vendicati erroribus. Basileae, apud Frobenium* 1546. fol.

Hanc editionem, quae olim perperam Erasmo tribuebatur, curavit *Sigismundus Gelenius;* cf. Vee-

senmeyerum in libro, qui inscribitur *Neuer Litterar. Anzeiger*, a. 1806. No. 1. p. 7., Bardilium in Seebodii Bibl. crit. rei schol. a. 1820. VIII. p. 668 sqq. et Orellii Praef. p. X. Ex eadem fluxit vulgatus Velleii textus.

Aldina. *C. Velleii historiae Romanae ad M. Vinicium cos. Libri II. ab Aldo Manutio, Paulli F. Aldi N. emendati, et scholiis illustrati. Venetiis in aedibus Manutianis*, 1571. 8.

Praeter suas Manutius etiam protulit nonnullas docti iuvenis Petri Delbenii coniecturas.

Sylburgiana, contenta *Scriptorum historiae Rom. Tomo I. editorum a Frider. Sylburgio. Francofurti, apud Wechel.* 1588. fol.

Schegkiana, *cum Aldi et Schegkii notis prodiit Francofurti, apud Wechel.* 1589. 12.

Acidaliana. *Velleius Paterculus recensitus et cum Velleianarum lectionum libro editus a Valentino Acidalio. Patavii apud Paul. Meiettum.* 1590. 12.

Passim Acidalius etiam commemorat coniecturas amici cuiusdam sui Bucretii.

Lipsiana. *Velleius Paterc. animadversionibus I. Lipsii castigatus, typis Raphelengii. Lugd.* 1591. 8.

Adiectae sunt a *Raphelengio* tum variae lectiones ex Aldi et Schegkii notis excerptae, tum coniecturae ex Lipsii docentis ore exceptae, neque ab

ipso animadversionibus suis illatae. Repetita est Lipsii ed. *Lugd.* 1592. 8; — *ibid.* 1594. 8; — *Antwerpiae*, 1600. 4, cum Tacito; — *ibid.* 1607. fol., cum Tacito.

Gruteriana. *Velleium Paterculum cum eruditorum variorum notis atque suis edidit Ianus Gruterus, Francofurti* 1607. 12.

Repetita *Genevae*, 1609. fol. inter *Scriptores histor. Rom. Latinos*, editos a *Petro de la Rivière*; — *Hanoviae* 1611. fol. inter *Scriptores hist. Aug. minores*, a *Grutero* editos.

Puteana. *Velleius cum notis varr. Rhenani, Burerii, Manutii, Schegkii, Lipsii, Ursini et Claudii Puteani.* (Post eius mortem simul cum Tacito editus a *Car. Auberto.*) *Parisiis*, 1608. fol.

Popmana. *P. Velleii Paterculi historiae Rom. libri II. ex recensione et cum scholiis Auson. Popmae, Franequerae* 1620. 12.

Boxhorniana. *Velleius Paterc. cura Zuerii Boxhornii.* Inter Historiae Aug. scriptores min. Vol. I. Lugd. 1632. 12.

Vossiana. *M. Velleii Paterculi historiae Romanae, quae supersunt, cum notis Gerardi Vossii, G. F., Lugd. Bat.* 1639. 12.

Repetita *Amstelod.* 1664. 12; — *Francofurti* 1687. 8; — *ibid.* 1703. 12.

Boecleriana. *Velleius Paterculus cura Io. Henr. Boecleri, Argentor.* 1642. 8.

Repetita *ibid.* 1663. 8. et 1682. 8.

Rigueziana. *C. Velleii Paterculi historiae Rom. libri duo. Interpretatione et notis illustravit Rob. Riguez, e Soc. Iesu, in usum Delphini. Parisiis apud Freder. Leonard,* 1675. 4.

Heinsiana. *C. Velleii Paterculi quae supersunt. Nic. Heinsius recensuit et castigationum libellum addidit. Amstelod. apud. Elzevir,* 1678. 12.

Insunt praeterea ineditae coniecturae Ortuini, Munckeri, Perizonii et Cuperi, quas illi cum Heinsio communicaverant.

Hudsoniana. *C. Velleii Paterculi quae supersunt, cum variis lectionibus optimarum editionum, doctorum virorum coniecturis et castigationibus, et Indice locupletissimo. Praemittuntur Henr. Dodwelli Annales Velleiani. (Cura Ioannis Hudsoni). Oxonii, e Theatro Sheldoniano.* 1693. 8.

Cellariana. *Velleius Paterculus cum notis Christoph. Cellarii, et indice rerum verborumque. Lips.* 1707. 12.

Burmanniana. *C. Velleii Pat. quae supersunt ex historiae Rom. voluminibus duobus, cum integris scholiis, notis, variis lectionibus et animadversionibus doctorum, curante Petro Burmanno. Lugd. Bat.* 1719. 8.

Repetita auctior duobus Voll. 1744. 8.

Milleriana. *Velleius Paterculus, curante Io. Petro Millero. Berolini* 1756. 8.

Gruneriana. *C. Velleii Pat. quae supersunt ex historiae Rom. voluminibus duobus recensuit et commentario perpetuo illustravit Io. Fridericus Gruner. Coburgi* 1762. 8.

Ruhnkeniana. *C. Velleii Paterc. quae supersunt ex historiae Romanae voluminibus duobus, cum integris animadversionibus doctorum, curante Davide Ruhnkenio. Lugd. Bat.* 1779. II. Voll. 8.

Repetita multisque accessionibus aucta a *Car. Henrico Frotschero.* Lips. T. I. 1830. T. II. 1839. 8.

Bipontina. *Velleius Paterculus, novissime emendatus et illustratus studiis Societatis Bipontinae. Editio accurata. Biponti, apud Petr. Hallanzy.* 1780. 8.

Repetita auctior et emendatior *Argentorati,* 1811. 8.

Krausiana maior. *C. Velleii Paterculi quae supersunt ex hist. Rom. libris duobus. Recensere et commentario perpetuo illustrare coepit Chr. Dav. Iani, continuavit Io. Chr. Henr. Krause. Accesserunt Caroli Morgenstern Commentatio de Velleii fide historica* etc. *et Io. Frid. Herel Annotationes criticae in Velleium. Lipsiae,* 1800. 8.

Krausiana minor. *C. Velleii Pat. quae*

supersunt etc. *Denuo recognovit, et cum codicis et editionis primae lectione coniecturisque virorum doctt. selectis, nec non Indicibus in scholarum usum edidit Io. Chr. Henr. Krause. Lipsiae,* 1803. 8.

Cludiana. *C. Velleii Pat. historiae Romanae libri duo. Textu recognito, insigniori varietate lectionum, indicibusque adiectis edidit Armin. Heimart. Cludius. Adiectae sunt Dav. Ruhnkenii notae integrae. Hanoverae,* 1815. II Voll. 8.

Corrigendis et Addendis inserta sunt *Seebodii* atque *Moebii* de nonnullis locis iudicia.

Waltheriana. *C. Velleius Paterculus. Urschrift, Uebersetzung und Rechtfertigungen, von Fr. Walther. Passau,* 1826. 8.

Fiedleriana. *Scriptores historiae Rom. minores sex, C. Velleius Paterculus* etc. *In usum scholarum curavit Francisc. Fiedler. Vesaliae,* 1828. 8.

Praefatio continet editoris emendationes Velleianas p. V—IX.

Orelliana. *C. Vellei Pat. quae supersunt ex historiae Rom. libris duobus. Ex codice Amerbachiano addita varietate lectionis Rhenanianae, Bureriana, Gelenianae, Ruhnkenianae, cum reliquae delectu expressit Io. Casp. Orellius. Accedunt C. Crispi Salusti orationes et epistolae ex deper-*

ditis historiarum libris, expressae ex codice Vaticano MMM. DCCC. LXIV. Lipsiae, 1835. 8.

Insunt complures Baiteri, Sauppii atque Halmii coniecturae, ab illis cum Orellio communicatae, ac nonnullae Gelenii ineditae, exemplo Basileensi editionis principis ascriptae.

Kreyssigiana. *C. Velleii Pat. quae supersunt ex hist. Rom. libris II. Ad codicis Amerbachiani fidem et virorum doctorum coniecturas denuo recognovit, atque epistolam ad Io. Casp. Orellium praemisit Io. Theoph. Kreyssig. Misenae*, 1836. 8.

Bothiana. *Velleii Paterculi historiarum ad M. Vinicium cos. libri duo. Emendavit Frid. Henr. Bothe. Turici*, 1837. 8.

Praeterea multa virorum doctorum conamina Velleium illustrandi emendandique exstant, vel peculiaribus libellis proposita, vel Ephemeridibus litterariis inserta, vel in commentariis in scriptores antiquos, aliisve locis, ubi de Velleio agendi occasio fuit, prolata. Quae quoniam minime negligenda sunt Velleii editori, quantum fieri potuit studiosissime collegimus et in usum vocavimus, quotquot in notitiam nostram venerunt. Sunt autem haec:

I. Disputationes de Velleio ac de argumento, quod tractavit, in universum.

Christoph. Adami Ruperti Observationes ad C. Velleii Pat. historiae Rom. libros II. Norimbergae, 1663. 8.

Hae observationes, quae ethici sunt ac politici generis, simul prodierunt cum eiusdem auctoris Dissertationibus ad Valer. Maximum.

I. Henr. Boecleri Characteres politici, in Velleii Paterculi expositione quadam demonstrati. Argentor. 1672. 8.

C. Laurus, de Velleio Paterc. Altdorf. 1685.

Henrici Dodwelli Annales Velleiani. Oxoniae, 1698. 8.

Repetiti sunt in multis Velleii editionibus, velut in *Hudsoniana*, *Cellariana*, *Burmanniana*, *Gruneriana*, *Ruhnkeniana*, *Bipontina*, *Krausiana maiore*.

Schedel: De Velleio Paterculo, qui studiosae iuventuti commendetur dignissimo. Helmstadii, 1819.

Gottfr. Ephr. Müller, historisch-kritische Einleitung zu nöthiger Kenntniss und nützlichem Gebrauche der alten latein. Schriftsteller. Tom. V. Dresdae, 1751. 8. p. 255—329.

Caroli Morgenstern, Commentatio critica de fide historica Velleii Paterculi, imprimis de adulatione ei obiecta. Gedani, 1798. 4.

Eadem inserta est etiam editionibus Krausianae maiori, Prolegom. p. 105—144., et Ruhnkenianae a Frotschero repetitae, Tom. I. Proleg. p. CXLVII—CLXXXVI.

Hermanni Sauppii Commentatio de Velleio Paterculo, in: *Schweizerisches Museum für historische Wissenschaften. Frauenfeld*, 1837. Tom. I. Fasc. 2. p. 133—180.

Hermanni Ulrici Disputatio de Velleio Paterc. in libro, qui inscribitur: *Characteristik der antiken Historiographie.* Berol. 1833. 8. p. 132—135. et p. 268.

II. Emendationes Velleianae diurnis litterariis insertae. — Censurae editionum.

Thomae Wopkensii Adversaria critica in Velleium, in Miscellaneis Observatt. criticis in auctores vett. Amstel. 1737. 8. Vol. VIII. p. 21—80.

Repetita in Wopkensii Adverss. critt. ed. Frotscher. Lips. Voll. II. p. 67 sqq.

Petri Burmanni ad Thomae Wopkensii Adversaria critica animadversiones. ibid. Vol. VIII. p. 353—408.

Thomae Wopkensii Adversaria critica in Velleium a P. Burmanni animadversionibus vindicata, in Misc. Obss. Vol. IX. p. 237—281.

Repetita in ed. Frotscheriana, Vol. II. p. 435. sqq.

Schefferi Adversaria in Velleium, in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 456—460; — ibid. Vol. IX. p. 168—178; — ibid. Vol. IX. p. 345—350.

Anonymi Observationes in Tacitum et Velleium, in Novis Actis Eruditorum. Lipsiae 1732. p. 290—292.

I. Georg. Waltheri Emendatio loci Velleiani I, 6, 1. in Miscell. Lips. Novis. Lips. 1745. Vol. III. P. 3. p. 521—533.

C. Crusii Emendationes fortuitae, in Miscell. Obss. criticis novis. Amstelodami 1751. Tom. X. p. 382—387.

Warburtoni Observationes criticae, in Biblioth. Britannica, Vol. VII. p. 160 sqq.

Io. Sterkii Suspicionum criticarum Spec. I. cap. 3., in Actis litt. Societatis Rheno - Traiectinae. 1793. Tom. I.

Car. Ferd. Nagelii Obss. in auctores Latt. et Graecos. Ibid. Tom. IV. p. 283 sqq.

Salmasii Emendationes in Velleium in Seebodii Bibl. critica rei schol. a. 1828. Tom. I. No. 36. p. 287—8.

Hottingeri Libellus emendationum in Velleium, in Museo Turicensi a. 1782. Vol. I. P. 2. p. 349—363.

B. W. Luxdorphii Emendationes Velleianae, evulgatae per *T. Baden*, in Iahnii Novis Annall. Philol. et Paedag. a. 1832. Supplem. Vol. I. fasc. 2. p. 168—173.

Bardilii Emendationes Velleianae, in Friedemanni et Seebodii Miscell. critt. a. 1822. Vol. I. fasc. 2. p. 383—386.

Gensleri Observationes in Velleium Paterc., in Seebodii Bibl. crit. rei schol. a. 1821. fasc. 9. p. 818—821; et in Nov. Bibl. crit. a. 1823. fasc. 2. p. 180 sqq.

Theod. Bergkii Schedae criticae, in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1835. No. 113. p. 911 sqq.

Censurae exstant:

Ed. Burmannianae, in Actis Erud. Lips.

a. 1721. p. 114 sqq., auctore *Cortio*, ut suspicatur Ruhnkenius ad II, 11, 1.

Ed. Ruhnkenianae.

1. in Bibl. Critica. Amstel. a. 1779. Vol. I. 4. p. 45—66., auctore *Wyttenbachio*.
2. in Ephemeridd. litt. Gotting. a. 1779. Additam. p. 119—122., auctore *Heynio*.
3. in libro, qui inscribitur: Allgem. deutsche Biblioth., Berol. et Stetin. a. 1781. Tom. 48. p. 528—588.
4. in Biblioth. philol. Lips. Vol. I. p. 40. sqq.

Ed. Bipontinae, in libro, qui inscribitur: Bibliothek der neuesten Litter. Turici, a. 1784. Tom. I. auctore *Hottingero*.

Ed. Cludianae, in Ephem. Litt. Hall. a. 1817. No. 40., auctore *Seebodio*.

Ed. Orellianae:

1. in Annalibus critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 41—43. p. 321—343., auctore *Halmio*.
2. in Ephemerr. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 55—57. p. 433—451., auctore *Haasio*.

Ed. Bothianae, in Zimmermanni Annall. Studd. antiquitatis, a. 1837. No. 109—110. p. 889—903., auctore *Halmio*.

Ed. Kreyssigianae et *Laurentii Locorum Velleianorum*, in Annall. critt. Berol. a. 1837. Vol. I. No. 60. p. 476—480., auctore *Halmio*.

Ed. Kreyssigianae, *Laurentii Locorum Velleianorum* et *Halmii Emendationum Velleian.* in Ephemerr. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 100—104. p. 189—218., auctore *Haasio*.

Ed. Orellianae, *Kreyssigianae*, *Laurentii Locorum Velleianorum*, et *Halmii Emendd. Vell.*:

1. in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 8—11. et No. 13—16. p. 79—104. et p. 119—138., a nobis conscripta.
2. in Diurnis doctt. Monacenss. a. 1837. No. 34—41. No. 45—47. No. 65—74., auctore *Froehlichio*.

Schoepferi Adnotationum criticarum, in Ephemerr. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 131—2. p. 436—442., auctore *Haasio*.

Sauppiani libelli de *Velleio Paterculo*, in Mus. Helvet. editi, *Ieepii Emendationum Vell.* et *Ed. Ruhnkenianae a Frotschero repetitae*, in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1840., a nobis conscripta.

De universa editionum atque textus Velleiani condicione, qualis inde a Krausio fuit, disputavit *Reinh. Klotzius*, in Iahnii Novis Annall. Philol. et Paedag. a. 1836. Vol. XVII. fasc. 2. p. 193—206.

III. Peculiares emendationum libelli.

Fulvii Ursini notae ad Vell. Paterc., evulgatae in *Fragmentis Historicorum Rom.* Antwerpiae 1595. 8. p. 409—422.

Andreae Schotti in Velleium Paterc. de coloniis notae. Ex schedis Heinsianis primum evulgatas a P. Burmanno repetiit Ruhnkenius, Tom. II. p. 1247—1254. (ed. Frotsch. Tom. II. p. 702—709).

Herelii: Kritische Beobachtungen über die Röm. Gesch. des Velleius. Erfurti, 1791. 4.

Hunc libellum retractatum ac latine redditum auctor Krausio permisit maiori editioni inserendum,

ubi legitur hoc titulo: *I. Fr. Herelii Adnotationes criticae ad Velleium*, p. 559—578.

Io. Ad. Nodelli Criticarum Observationum libellus. Campis, 1781. c. 7. p. 79.

Everwini Wassenberghii Dissertatio de nominibus hominum et locorum propriis, librariorum culpa aliisve de caussis in veterum scriptorum libris frequenter obliteratis aut vitiatis. Franequerae, 1790. 4. §. 22.

Io. Hildebr. Witthofii Kritische Anmerkungen über Horaz und andre Röm. Schriftsteller. Düsseldorf, 1791—1801. Fasc. III. p. 102—110.

Gurlitti Animadversionum ad auctores vett. specimen III., Hamburgi, 1806. Insunt coniecturae *Susii* Icti.

I. S. Rosenheynii Lectionum Velleianarum Specimen. Berolini, 1810. 4.

Faehsii Sylloge Lectionum in Gloss. — Accedunt Animadversiones in Graecos et Romanos auctores. Lipsiae, 1813. 8.

Bachii in Loca quaedam T. Livii et Velleii Paterculi animadversiones. Schafhusae, 1827. 4.

Io. Ern. Huthii Quaestiones criticae de locis nonnullis Velleii Paterculi. Altenburgi, 1833. 4. cf. Iahnii Nov. Annall. Phil. et Paedag. a. 1833. Vol. VII. fasc. 3. p. 342.

Caroli Morgensternii Probabilia critica expensa. Dorpati, ex offic. academ. 1834. fol.

Quae ad Velleium spectant leguntur p. XXXV—XXXIX. De iis cf. Iahnii Nov. Ann. Philol. et Paedag. a. 1835. Vol. XII. fasc. 4. p. 432; — a. 1836. Vol. XVII. fasc. 2. p. 194 sqq.; — et

Iacobsium in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1835. No. 58. p. 470 sqq.

Caroli Halmii Emendationes Velleianae. Monachii, 1836. 4.

I. C. M. Laurentii Loci Velleiani. Altonae, 1836. 4.

Car. Schoepferi Adnotationes criticae, quibus C. Velleii Paterc. ex historiae Rom. libris duobus quae supersunt pristinae integritati reddere conatus est. Quedlinburgae, 1827. 8.

Reinh. Forsteri Disputatio de loco Velleii I, 3, 1., in Prooemio lectionum aestivarum Academ. Hallensis a. 1781. 4.

Schoberi Disputatio de loco Velleii Paterc. II, 9. Neissae, 1831. 4.

Chr. Schneideri Disputatio de Velleii Lib. II. c. 42. in Prooemio lectionum hibernarum Acad. Vratislav. 1836. 4.

I. W. L. Ieepii Emendationes Velleianae. Guelpherbyti, 1839. 4.

IV. Loci Velleiani obiter tractati vel emendati inveniuntur:

in *Christii Noctibus Acadd.* Halae Magdeburgicae, 1727. P. I. Obs. 2. p. 30—46.

in *C. Sigonii Fastis consularibus capitolinis.* Mediol. 1732. fol. Tom. I.

in *I. C. M. Laurentii Fastis consularibus capitolinis.* Altonae, 1838. 8. p. 79—84. p. 112—3.

in *Is. Pontani Analectorum libris III.* Rostockii, 1599. 4.

in *Thomae Wopkensii Lectionibus Tullianis.* Amstelodami, 1728. 8.

[Lipsiae 1828. ed. Frotsch., Ienae 1829. ed. Hand.]

in *Sylloge Epistolarum virorum illustrium, edita a Petro Burmanno*, Lugd. Bat. 1726. 4. Tom. III. et IV.

in *Io. Friderici Gronovii Observationibus.* Lipsiae, 1755.

in *Drakenborchii Editione Livii.* Amstel. 1735—46.

in *Oudendorpii Ed. Apuleii.* Lugd. Bat. 1786—1823.

in *Friderici Iacobsii Versione germanica Velleii Paterculi.* Lips., 1793. Praef. p. XXVII—XXXII.

in *Georg Ludov. Walchii Meletematum critt. Specimine.* Ienae, 1809.

in *Io. Nicol. Madwigii Opusculis acadd.* Havniae, 1834. 8.

in *Car. Friebelii Graecorum Satyrographorum fragmentis*, post auctoris mortem editis a F. Larsow. Berol. 1837. 8. [Insunt *Emendationes Velleianae*, p. 146—153. cf. Halm. in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. 1837. No. 110. p. 902.]

in *Ludov. Doederlini Synonymis Lat. Linguae*, Lips. 1826—1838.

in *Ferd. Handii Tursellino.* Lips. 1829—1836.

in *Reisigii Grammatica Latina, a Fr. Haasio edita.* Lipsiae, 1839.

M. VELLEI PATERCULI

HISTORIAE ROMANAE

LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

I. Epeus tempestate distractus a duce suo 1
Nestore Metapontum condidit. Teucer, non receptus a patre Telamone ob segnitiam non vindicatae fratris iniuriae, Cyprum appulsus cognominem patriae suae Salamina constituit. Pyrrhus, Achillis filius, Epirum occupavit, Phidippus Ephyram in Thesprotia. At 2

I, 1. *Epeus tempestate distractus*] Ed. pr. *tempestate distractus.* Sed *Epei* nomen in antecedentibus fuisse patet ex Iustino XX, 2, 1. *Metapontini quoque in templo Minervae ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum Troianum fabricavit, ostentant.* Quod nescio an Trogus sumpserit ab Aristotele Mirab. Auscultat. p. 709. Ἐγγὺς Μεταπόντου Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἶναί φασιν Ἑλληνίας, ἔνθα τὰ τοῦ Ἐπειοῦ λέγουσιν ὄργανα ἀνακεῖσθαι, οἷς τὸν δούριον ἵππον ἐποίησεν, ἐκείνου τὴν ἐπωνυμίαν ἐπιθέντος. Ruhnk. Cludius inconsideratius scripsit: *Qua tempestate — Epeus Metap. condidit.*

cognominem] Ed. pr. *cognomine; m* litteram, in fine vocabulorum saepe in cod. Murb. omissam (v. Prolegg. c. III. p. XCII.), restituit Ed. Basil.

patriae suae] *Suae* pronomen Herelius p. 559. tanquam ortum ex proximis syllabis *sala...*, et Velleii usui repugnans, delendum censet, cui temere assentitur Krausius in Addend. p. XXIX. v. ad I, 10, 5.

Phidippus] Ed. pr. *Philippus*, quod Aldus Nepos correxit ex Homero Il. *B*, 678. Τῶν αὖ Φείδιππός τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην, Θεσσαλοῦ υἷε δύω Ἡρακλείδαο ἄνακτος. Saepe sic erratum esse in hoc nomine docent Lipsius ad h. l., coll. Strabone IX. p. 444., et Wesseling. ad Diod. Sic. V. p. 373. Ruhnk.

§. 2. *reiectus*] Burmannus vulgatam mutari vult in *eiectus*, quasi hoc verbum rei esset accommodatius, collata annotatione

rex regum Agamemnon tempestate in Cretam insulam reiectus tris ibi urbis statuit, duas a patriae nomine, unam a victoriae memoria, Mycenas, Tegeam, Pergamum. Idem mox scelere patruelis fratris Aegisthi, hereditarium exercentis in eum odium, et facinore
3 uxoris oppressus occiditur. Regni potitur Aegisthus per annos septem. Hunc Orestes matremque socia

sua ad Petron. c. CXV. p. 537. et ad Ovid. Heroid. VII, 89. Sed *eiici* tantummodo de *naufragis* dicitur, ut recte observarunt Gronovius et Drakenborchius ad Liv. XLIV, 19, 2. Rursus Ruhnkenius auctore Drakenborchio ad Liv. XXIII, 34, 16. *deiectus* censet scribendum, probante Censore in Bibl. German. univ. Vol. XLVIII. p. 530., quia *deiici* elegans et legitimum verbum sit de navigantibus, qui ab instituto cursu depellantur, coll. Tacito Ann. II, 60, 1. Verum hoc; sed non minus verum, quod illi omnes neglexerunt, *reiici* non solum dici de navigantibus, *eodem, unde profecti sunt, repulsis*, sed etiam de iis, qui, *quo tendunt*, quum prope accesserunt, tempestatum vi rursus *avertuntur et in alienum locum deferuntur;* cf. locos a Grunero allatos, Cic. p. Caecin. c. 30, 88. *Siqui ex alto, cum ad patriam accessisset, tempestate subito reiectus, optaret, ut, cum esset a patria depulsus, eo restitueretur* etc. Id. Tuscc. I, 49, 119. *Portum paratum nobis putemus. Quo utinam velis passis pervehi liceat! Sin reflantibus ventis reiiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur necesse est.* Agamemnon igitur cum patriam petens averteretur in Cretam insulam, recte a Velleio dicitur *reiectus* esse.

Tegeam] Ed. pr. *Tegaeam.* — Stephan. Byz. in v. ἔστι καὶ Τεγέα ἐν Κρήτῃ. Ruhnk.

Aegisthi] Ed. pr. *Aegisti*, et statim post *Aegistus.*

§. 3. *socia*] Rhenanus, structuram ablativi absol. non assecutus, coniecit *cum socia*, sententia prorsus inepta. Per eum in errorem inductus Lipsius tentavit *conscia;* — Warburton. in Biblioth. Brit. Tom. VII. p. 259. *consorte.*

quin se etiam] Ed. pr. *qui se etiam.* — Quod edidimus *quin se etiam* debetur Wopkensio in Miscc. Obss. T. VIII. p. 21., haud improbante Ruhnkenio. Nam relativum nullo modo ferri potest copulae loco; neque simpliciter addi quae sequuntur

consiliorum omnium sorore Electra, virilis animi femina, obtruncat. Factum eius a diis comprobatum spatio vitae et felicitate imperi apparuit; quippe vixit annis nonaginta, regnavit septuaginta; quin se etiam a Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. Nam quod pactae eius, Menelai atque Helenae filiae, Hermiones nuptias occupaverat, Delphis eum interfecit.

apparet ex *etiam* particula, qua res maior annectitur; et profecto maius quoddam est *eminere virtute* i. e. *fortitudine*, occiso Pyrrho, fortissimo viro, conspicua, quam *longa vita frui*. Quare unice conveniunt tali sententiae nectendae *quin etiam* particulae; cf. II, 6, 3. *C. Gracchus nihil in eodem statu relinquebat; quin alterum etiam continuavit tribunatum.* II, 18, 6. *Sulpicius leges perniciosas tulit; quin etiam Q. Pompei filium interfecit.* II, 110, 6. *Omnia et in omnibus locis igni ferroque vastata. Quin tantus etiam huius belli metus fuit.* II, 125, 2. *Novum statum, novam quaerebant rempublicam; quin etiam ausi sunt minari.* Ceterum Wopkensius in Lectt. Tull. II, 13. p. 201. (275. ed. Hd.) vulgatam defendit, assentiente Handio; — Heinsius coniecit *pari* excidisse ante *virtute*; — Munkerus apud Heinsium *seque etiam*; — Halmius apud Orellium *quibus etiam*; — Seebodius apud Cludium in Addend. p. 233. *quis etiam.*

pactae eius] In promptu est *pactae* vi substantivi esse positum, ut apud Virg. Aen. X, 79. *Gremiis abducere pactas.* Pariter in substantivum cessit *sponsa* et *nupta*; cf. Ter. Andr. II, 1, 24. *Sponsam hic tuam amat.* Ovid. Fastt. II, 794. *Et venit in thalamos, nupta pudica, tuos.* Alia huius generis congessit Ruddimann. Institt. Gramm. Tom. I. p. 306., ut non sit, cur de genitivo *eius* dubitetur. Nihilominus Ruhnkenius cum Dukero ad Liv. XLIV, 30, 4. praeferendum censet *ei*, quod Aldus Nep. proposuit; Heinsius vero, cui Cludius astipulatur, *sibi* contendit necessario requiri, quod Ianius recte vidit vitiosum esse et alieni sensus. Neque tamen demonstrativum pronomen pro reflexivo positum est, ut Schoepferus censet, et ipse olim iudicavi ad Sall. Iug. c. IV, 6. p. 25., sed Velleius, e sua persona omnia dicens, quum diversa subiecta in verbis *occupaverat* et *interfecit* insint, ita alterum ad alterum retulit, ut,

4 Per haec tempora Lydus et Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi sortiti sunt, uter cum parte multitudinis patria decederet. Sors Tyrrhenum contigit; pervectus in Italiam et loco et incolis et mari nobile ac perpetuum a se nomen dedit. Post Orestis interitum filii eius Penthilus et Tisamenus regnavere triennio.

1 II. Tum fere anno octogesimo post Troiam captam, centesimo et vicesimo quam Hercules ad deos excesserat, Pelopis progenies, quae omni hoc tempore pulsis Heraclidis Peloponnesi imperium ob-

Pyrrhi et Orestis personis non discretis, in utroque membro *is* pronomen adhiberet. Cuius generis ambiguitates quum etiam optimis scriptoribus interdum exciderint, (v. quae monuimus ad Sall. Iug. c. XXXV, 9. p. 211.) multo magis in Velleio ferendae sunt; cf. Prolegg. c. III. p. LXXII. — Hottingerus in Mus. Turic. Vol. I. T. II. p. 349. *eius* censet delendum, assentiente Krausio in Addend. p. XXIX.

§. 4. *pervectus*] Munkerus apud Heinsium coniicit *is pervectus;* — Cludius edidit *qui pervectus.* Neutro opus est, quum Velleius orationis per particulas aut pronomina nectendae non admodum sit studiosus, et haud raro in narrando abruptiore dicendi genere utatur; cf. infra ad I, 12, 4. II, 61, 4.

Orestis] Heinsius doctrina abusus mavult *Orestae,* haud dubie illud praelaturus, si Velleius hoc, quod suadet, habuisset. De utraque genitivi forma v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 40.

Penthilus] Ed. pr. *Penthelus.* Vitium correxit iam Ursinus ex Pausania II, 18, 7. *Τὸν δὲ Ὀρέστου νόθον Πενθίλον Κυναίθων ἔγραψεν ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἡριγόνην τὴν Αἰγίσθου τεκεῖν.*

II, 1. *Temenus*] Ed. pr. *Teminus.* Veram nominis formam restituit Puteanus ex Strabone, VIII. p. 548, A. Almelov. et ex Pausan. II, 18, 7.

tinuerat, ab Herculis progenie expellitur. Duces recuperandi imperi fuere Temenus, Cresphontes, Aristodemus, quorum abavus fuerat. Eodem fere tempore Athenae sub regibus esse desierunt; quarum ultimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non praetereundus. Quippe cum Lacedaemonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores, deposita veste regia pastoralem cultum induit, immixtusque castris hostium de industria, imprudenter, rixam iniiciens, interemptus est. Codrum cum morte ae- 2

progenie] Hanc vocem Bothius pro spuria habet propter procedens *progenies*. v. Prolegg. c. III. p. LXVII sqq.

abavus] Ed. pr. *atavus*. — *Abavus* legunt Meursius de regno Lacon. c. VI. p. 30. et Scaliger Animadv. ad Euseb. p. 58. Recte. Quis enim in tam facili lapsu non citius librarium errasse, quam scriptorem parum accurate locutum credat? Ruhnk. Stemma hoc est: Aristomachus *pater*, Cleodaeus *avus*, Hyllus *proavus*, Hercules *abavus* fuit. Vossius.

fere] Ed. pr. *ferme*. Burerius *fere*.

imprudenter, rixam iniiciens, interemptus est.] Ed. pr. *impr. rixanincies int. est;* Burerius *impr. rixam· ncies int. est*. — Quam Rhenanus proposuit coniecturam *rixam iniiciens*, eam plane confirmat Burerii lectio e codice eruta (nam *n* nihil aliud est, quam duplex *i*, quorum prius cum lineola significavit *in*, alterum suffecit librariis pro geminato, qui ex more scriberent *adicere, reicere, inicere*), quamquam ipse Burerius coniecit *rixam ciens*. Hoc, licet probatum a Ruhnkenio, Orellio, Laurentio p. 79., nollem ipse nuper probassem in Zimmermanni Annall. studd. antiquitt. a. 1837. No. 9. p. 84 sq., per Laurentium maxime seductus, ne, quanta vis in externa auctoritate *iniiciens* verbi esset, viderem; cf. Kraus. in Addend. p. XXX. et Fr. Haasium in Ephemerr. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 435. et a. 1837. No. 103. p. 213. Ad commendandum dicendi usum Krausius bene contulit Liv. III, 64, 6. *Iniecta contentione Duilius*

terna gloria, Athenienses secuta victoria est. Quis eum non miretur, qui iis artibus mortem quaesierit, quibus ab ignavis vita quaeri solet? Huius filius Medon primus archon Athenis fuit. Ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidae; sed hic insequentesque archontes usque ad Charopem dum viverent eum hono-

in concionem processit; ubi Drakenborchius congessit plura. — Praeterea Acidalius, assentientibus Heinsio et Ruhnkenio, *imprudenter* transposuit ante *interemptus*, ut *de industria* coniungeretur cum *iniiciens* participio. Idem voluit Orellius, *de industria* collocans post *imprudenter*, quod eius factum nos laudasse in Annall. Studd. antiqq. l. l. nunc nos poenitet. Nam *de industria*, id quod Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 538., Ianius ad h. l., ac nuper Klotzius in Novis Annall. Phil. et Paedag. Vol. XVII. fasc. 6. p. 198. bene viderunt, ad *immixtus* pertinens, eleganter, i. e. ad sententiae vim accuratius oppositione quaesita declarandam, in confinio *imprudenter* adverbii collocatum est, tali fere sensu: *quamquam* non fortuito in castra delatus, sed *immixtus de industria*, ita ut facile suspectus fieri posset, *tamen*, non agnitus, *imprudenter — interemptus est.* Parem adverbii in fine sententiae locum habes II, 70, 5. *Uno ictu transfixus expiravit protinus.* — Pro *imprudenter* Ursinus malebat *ab imprudente.*

§. 2. *Quis eum*] Ruhnkenius *enim* excidisse putat ante *eum*, probante Wyttenbachio in Bibl. crit. Vol. I, 4. p. 53; Grunerus *eum* ex *enim* ortum esse suspicatur. Utrumque vanum.

iis artibus] Ed. pr. *his artibus.* Verum dedit Orellius; nam ut *hic* pronomen usurpatur de re, quam praesentem oculisque subiectam intuemur, ita *is* ponitur, ubi rem, qualis sit, mente tantummodo et cogitatione informamus; v. Herzog. ad Caes. B. G. III, 11. ad Sall. Catil. c. VII, 6. p. 37. LI, 16. p. 287. et Grysar. Art. lat. scrib. p. 42. coll. infra I, 3, 3; I, 8, 5; II, 41, 3; II, 46, 1; II, 50, 3; II, 64, 1; II, 80, 2; II, 87, 2; II, 90, 2; II, 98, 2.

sed hic] Ed. pr. *scd hii.* — Ed. Bas. *sed hi;* — Ruhnk. *sed ii*, ineptâ sententiâ; nam *Medontidae* et *insequentes archontes usque ad Charopem* iidem sunt; cf. C. Fr. Hermanni Antiqq. Graec. §. 103. n. 4. p. 220. ed. II. Quare Susius in Gurlitti Animadverss. ad auctt. vett. Spec. III. verissime coniecit *hic*, sc.

rem usurpabant. Peloponnesii digredientes finibus Atticis Megaram, mediam Corintho Athenisque urbem, condidere. Ea tempestate et Tyria classis plu- 3
rimum pollens mari, in ultimo Hispaniae tractu, in extremo nostri orbis termino, insulam circumfusam Oceano, perexiguo a continenti divisam freto, Gadis

Medon, quod etiam a Bachio in Animadverss. p. 9. probatum Orellius primus in verborum ordinem recepit.

Peloponnesii] Ed. pr. *Peloponnesi.* Iustam nominativi formam restituit Ed. Basil.

Megaram] Heinsio melius videtur *Megara.* Sed feminina forma est apud idoneos scriptores, quos laudant Duker. ad Liv. XXXI, 22, 6. et Oudendorp. ad Sueton. Tiber. c. IV. Ruhnk. v. infra ad II, 102, 2. Valer. Max. IV, 1, 3. ext. Cic. de Divin. I, 27, 57.

§. 3. *in ultimo Hispaniae tractu*] Haec verba Bothius ut glossema delenda censet.

in extremo] Ruhnkenio *in* visum est abiiciendum, ut sequentia per appositionem ad priora referrentur. Potuisset sane ita dici; sed in *ἀδιαφόροις* auctor non est corrigendus.

insulam] Ed. pr. *insula;* vitium emendavit Iunta et Ed. Bas. In sententia haerens Lipsius, quippe qui quid esset *insulam condere* non recte caperet, scribi voluit *insula circumfusa — divisa freto.* Sed Salmasius ad Tertull. de Pall. c. II. p. 121. vulgatam bene tuetur, docens *condere* non solum de urbibus dici, quarum *fundamenta iaciuntur,* sed etiam de regionibus, *in quas vel primi incolae vel novi cives deducuntur,* quae verbi vis ex graeco *κτίζειν* expressa est. cf. Herod. I, 149. *Οὗτοι δὲ οἱ Αἰολέες χώρην ἔτυχον κτίσαντες ἀμείνω Ἰώνων.* Id. IV, 178. *Ταύτην τὴν νῆσον Λακεδαιμονίοισί φασι λόγιον εἶναι κτίσαι.* Diod. Sic. V, 80. p. 396. *Ἀργεῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι ἄλλας τέ τινας νήσους ἔκτισαν,* ubi v. Wesseling. coll. eiusdem Obss. II, 15. Schoepferus, qui Lipsianam coniecturam amplexus in Adnotatt. critt. p. 2. „non video, inquit, quomodo quis dicere possit *insulam Gades condidit,* pro *in insula Gades condidit,* nisi forte locum referre velis ad eas ineptias, quas elegantias argenteae aetatis scriptores credidisse videntur", — coecutit incredibiliter; *Gades* enim h. l. *insula* in-

condidit. Ab iisdem post paucos annos in Africa Utica condita est. Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi iactatique cum variis casibus, tum saevitia maris, quinto decimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam.

1 III. Tum Graecia maximis concussa est motibus. Achaei, ex Laconica pulsi, eas occupavere sedis, quas nunc obtinent, Pelasgi Athenas commi-

telligitur; cf. Steph. Byz. h. v. *Γάδειρα πόλις καὶ νῆσος ἐν τῷ ὠκεανῷ.* Strab. III. p. 206. A. Almel. *Εἶτα Γάδειρα, πορθμῷ στενῷ διειργομένη νῆσος ἀπὸ τῆς Τουρδιτανίας.* Liv. XXVIII, 32, 8. Gruterus verba *in extremo — divisam freto* pro glossemate habet.

in Africa] Bothius haec ut glossema delenda iudicat.

condita èst] Hac voce Ruhnkenius, quia praecedit *condidit*, ita offensus est, ut coniiceret *constituta est*, non deterritus iis, quae Vossius ad I, 6, 3. et Burmannus ad II, 111, 1. de Velleii negligentia in vitanda earundem vocum repetitione monuerunt. V. Prolegg. c. III. p. LXVII sqq.

circa Lesbum] Vulgatam primus defendit Walchius in Emendd. Liv. p. 25., quem sequitur Handius de Particc. Lat. Vol. II. p. 62. Sed non assentimur huic dicenti „intelligimus ipsam Lesbum *et circumiectas insulas.*“ Quamquam enim verum est etiam circumiectas Lesbo insulas ab Orestis posteris fuisse occupatas (cf. Hermanni Antiqq. Graec. §. 70. p. 150. ed. II.), tamen Velleii verba de sola Lesbo sunt capienda. Nam quum res *circa* aliquem locum fieri dicitur, aut excluditur is locus ipse, qui vulgaris est praepositionis usus, aut res cogitatur *in* eo loco, et quidem variis partibus, fieri, exclusis ceteris omnibus, quae *extra* eius loci fines sunt. Quare *circa Lesbum* aut significat *in vicinia Lesbi*, neque tamen in Lesbo ipsa, aut *variis in ipsa Lesbo partibus (auf L. umher)*, neque simul extra Lesbum, quod foret *sedem cepere Lesbum insulam circaque*, ut coniecit Heinsius ad I, 3, 3. probante Cortio ad Sall. Cat. c. XXX, 3. Eundem particulae usum ut h. l. Velleius habet infra II, 21, 1. *Pompei praeclara opera bello Marsico praecipue circa Picenum agrum usa erat respublica.* II, 23, 3. *Sulla*

gravere, acerque belli iuvenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cum magna civium manu eam regionem armis occupavit, quae nunc ab eius nomine Thessalia appellatur, ante Myrmidonum vocitata civitas. Quo nomine mirari convenit eos, qui Iliaca 2
componentes tempora de ea regione ut Thessalia commemorant. Quod cum alii faciant, tum tragici frequentissime faciunt, quibus minime id concedendum

circa Boeotiam et Macedoniam ita dimicavit. cf. Liv. XXXI, 3, 5. *Rex circa omnes non continentis modo urbes, sed etiam insulas — concivit homines ad arma.* Plin. H. N. XIX, 3, 16. *Quod circa Syriam nascitur.* Hunc *circa* praepositionis sensum non assecutus Lipsius tentavit *sedem cepere circa Lesbum insulas*, aut *sedem cepere Lesbum insulam*, quod etiam Censori in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 539 in mentem venit. — Ianius scripsit *contra Lesbum.* Praeterea Io. Reinh. Forsterus in Praef. indicis lectt. aestivarum acad. Halensis a. 1781. verba *iactatique — Lesbum insulam* transponenda censuit post cap. 3, 1. *Pelasgi Athenas commigravere*, merito refutatus a Krausio in Addend. p. XXXI.

III, 1. *acerque belli*] Gelenius apud Orellium malebat *bello*, sed sine iusta caussa; cf. Tacit. Hist. II, 5, 1. *Acer militiae.* Vel. II, 27, 1. *Vir animi bellique fortissimus.* I, 12, 4. *Modicus virium.* Sall. Fragm. Hist. II, p. 959. Cort. *Belli promptissimus.* Plurima huius generis v. apud Ruddimann. Instt. Gramm. Vol. II. p. 73—78.

ante Myrmidonum] Lipsius, quem sequitur Cludius, scripsit *antea Myrm.*, contra fidem Ed. pr.

§. 2. *mirari convenit eos*] Acidalius pro *convenit* mavult *subvenit*, i. e. in mentem mihi venit; Cludius in Addend. p. 233. aut hoc probandum censet, ut fecit Censor Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 539, aut pro *mirari* scribendum *notari.* Utrumque falsum; nam *convenit* h. l. significat *par est, licet*; german: *man kann sich wundern.*

tum tragici] *Tum*, quod in Ed. pr. deest, non dubitavi ex coniectura addere, quum et constans dicendi usus id postulet, et in promptu sit compendio scriptum ali t̃ inter duas *t* litteras

est; nihil enim ex persona poëtae, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerint. Quodsi quis a Thessalo, Herculis filio, eos appellatos Thessalos dicet, reddenda erit ei ratio, cur nunquam

excidisse. cf. II, 13, 2. *Equites cum in multos saevissent, tum P. Rutilium — damnaverant.* II, 48, 5. *Harum rerum ordo cum aliorum voluminibus promatur, tum nostris explicabitur.* II, 92, 2. *Sentius cum alia prisca severitate gessisset, tum in comitiis habendis praecipuum egit consulem.* Praeterea de particularum *cum — tum* usu videndi sunt Herzog. ad Caes. B. G. II, 4. Otto Excursu IV. ad Cic. de Finn. I, 6, 19. p. 397. Kuehnerus ad Cic. Tusc. V, 39, 113. p. 424. Reisigius in Gramm. Lat. §. 307. ibique Haasius p. 535., unde patebit de omittenda *tum* voce praegresso coniunctivo nullo pacto cogitari posse. *Faciant* omittendum censuit Gruterus; idem placuit Heinsio, quamquam is *tum* inseri voluit.

dixerint] Ed. pr. habet *dixerunt*, quod editoribus magnae offensioni fuit propter praecedens *vixerunt*. Defendit vulgatam Wopkensius in Miscell. Obss. Vol. VIII. p. 22. et in Lectt. Tull. p. 23. ed. Amstel. contra Heinsium, qui *vixere* scripsit ad *κακοφωνίαν* vitandam. Eodem aliorum coniecturae spectant, Ianii et Herelii *vixerant, dixerunt*, Cludii *vixerunt, dicunt*, Huthii in Quaestt. critt. p. 27., quam Haasius probavit in Ephemerr. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 436., *vixerunt, disserunt*. Sed nihil horum satisfacit, ut ostendimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiquit. a. 1837. No. 15. p. 132; gravius enim, quam in ingrato sono, vitium inest in *sententia*, istis coniecturis minime sanatum. Nam ut taceamus *disserere* verbum de philosophorum tantum disputationibus usurpari, a tragoediae dialogo prorsus esse alienum, quid est, quod Velleius, quum tragicos, *sua tempora cum Iliacis confundentes*, vituperaverit, statim adiiciat, *nihil eos ex sua persona dixisse, sed omnia ad priorum temporum ingenium composuisse*, i. e. *diversa tempora non confudisse?* Hoc auctor, nisi fuit homo ineptissimus, non potuit dicere. Sed quum dicat *quibus minime id concedendum est*, id tale est, ut eius rei ratio fuerit reddenda; quae quum non alia re constet, quam *lege* aliqua, qua tragici tenentur, haec ipsa lex afferenda fuit, nimirum tragicos *ita scribere debere, ut omnia personis ac temporibus conveniant, neque quicquam ex suo tempore in alienum inferatur*. Quam sen-

ante hunc insequentem Thessalum ea gens id nominis usurpaverit. Paulo ante Aletes, sextus ab Hercule, 3
Hippotis filius, Corinthum, quae antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit.

tentiam accurate praestat emendatio Froehlichii in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 45. p. 383. proposita, si coniunctivum perfecti vi imperativi acceperis. Qui usus quamquam in secunda potissimum persona obtinet, tamen nihil obstat, quominus etiam ad tertiam transferatur. Eandem sententiam ipsi nuper quaesivimus, in Zimmermanni Annal. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 132. pro *dixerunt* coniicientes *dicenda sunt*. Sed quanto proprius *dixerint* ad Ed. pr. scripturam accedat, in oculos incurrit.

Quodsi] Ed. pr. ac relicuae omnes *quod si*. Caussam, cur duas voces coniunctim scripserimus, explicavimus ad Sall. Catil. c. II, 3. cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 78. §. 806. p. 647 ed. VIII.

§. 3. *sextus ab Hercule*] Aletem *sextum* ab Hercule ponit Velleius, *quintum* Apollodor. II, 3. Pausan. II, 4, 3. et Schol. Pindari Olymp. XIII, 17., quem numerum praeferunt Lipsius ad h. l., Scaliger Animadv. ad Euseb. p. 58. et Wesseling. ad Diodor. Sic. Fragm. p. 635. Ruhnk. In re incerta maluimus cum Velleio errare, quam committere, ut non librarium, sed auctorem corrigeremus.

Corinthum, quae] Scioppius in Gramm. philosophica p. 178. et in Consultat. IV. p. 88. scribi vult *Cor. qui;* nulla de caussa ac ne ulla quidem verisimilitudinis specie, ut iam dudum iudicavit Ger. I. Vossius de Analog. I, 12. cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 47.

claustra Peloponnesi continentem] Gruterus *continentem* expunxit; — Heinsius a Velleio scriptum esse putavit *claustra Peloponnesi, continente in Isthmo, condidit,* quo sensu, non recte assequor; — Burmannus, quocum facit Ruhnkenius, coniecit *claustra Peloponnesi ac continentis,* quamquam hic in Addendis, abiecta priore sententia, significat veram lectionem sibi restitutam videri a Petro Fonteinio, qui coniecerit *claustra Peloponnesi a continente.* Quibus omnibus quominus verum viderent hoc offecit, quod in *continentis* voce substantivum quaesiverunt. Participium agnoverunt Vossius et Oudendorpius ad Caes. B. G. VII, 11, 6., sed intellexerunt perperam, quorum ille explicat *contingentem,* hic *amplectentem,* Verum sensum perspexerunt Puteanus, Ianius, et Censor in

Neque est quod miremur ab Homero nominari Corinthum; nam ex persona poëtae et hanc urbem et quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur aetate eius, multo post Ilium captum conditae.

1 IV. Athenienses in Euboea Chalcida et Eretriam colonis occupavere, Lacedaemonii in Asia Magnesiam. Nec multo post Chalcidenses, orti, ut prae-

in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 540.; quippe *claustra continere* nihil aliud est quam *tenere, habere,* sive ex vernacula ratione *facere,* similiterque de eadem re locutus est Cicero or. de lege Agrar. II, 32, 87. *Corinthus erat posita in angustiis atque in faucibus Graeciae, sic, ut terra claustra locorum teneret.* De re ipsa cf. Wachsmuthii Antiquitt. Graec. Vol. I. P. I. §. 6. n. 52. p. 17.

conditae] Schoepferus Animadverss. critt. p. 3. scribendum coniicit *condita,* ut referatur ad *aetate.* Pingui Minerva! Nam ut taceam de insolenti dictione, non vidit ille Velleium exemplum afferre urbium aliquanto post Ilium captum conditarum, ac nihilominus ab Homero in rebus Troicis memoratarum, poeta sua tempora in Iliaca transferente.

IV, 1. *Chalcida*] Editionis principis alia exempla recte tenent *Chalcida,* alia vitiose *Chalcide;* v. Prolegg. c. IV. p. CXXIX.

et Eretriam] Ed. pr. *Erethriam,* sine *et* copula. Veram nominis scripturam restituit editor Basil. Idem recte inseruit *et,* cui Ruhnkenius immerito non obsecutus est, seductus locis corruptis I, 14, 7. et II, 20, 2., quibus Handius quoque de Particc. Lat. Vol. II. p. 473. fidem tribuit. Sed quamquam iis infirmari censet, quae ad Sall. Cat. c. XLIII, 2. p. 199. de ratione omittendae inter duo nomina propria copulae disputavimus, tamen etiamnum in sententia ibi proposita nobis perstandum putamus. cf. II, 39, 1.

in Asia Magnesiam] Ed. pr. corrupte *in Asiam ac Nesiam,* quod feliciter emendavit Ed. Basil. cf. C. F. Hermanni Antiqq. Graec. §. 76. n. 18. p. 161. ed. II. Dormitabat Rhenanus, quum coniiciebat *in Asiam ac Moesiam.*

ut praediximus] Haec verba Raphelengius propter fa-

diximus, Atticis, Hippocle et Megasthene ducibus Cumas in Italia condiderunt. Huius classis cursum esse directum alii columbae antecedentis volatu ferunt, alii nocturno aeris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet. Pars horum civium magno post intervallo Nea- 2
polim condidit. Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amoenitate sua dignissimas. Sed illis diligentior ritus patrii man-

ctam ante duos versus Chalcidis mentionem pro glossemate habet; sed profecto quid Velleio concedendum sit non perspexit. V. Prolegom. c. II. p. LXVII sqq.

Megasthene] Ed. pr. *Megesthene*, quod correxit Ed. Basil. Uterque dux eodem nomine commemoratur a Strabone V. p. 372. B. Almel. *Οἱ δὲ τὸν στόλον ἄγοντες Ἱπποκλῆς ὁ Κυμαῖος καὶ Μεγασθένης ὁ Χαλκιδεύς κ. τ. λ.* Ruhnk.

antecedentis] Acidalius coniecit *anteducentis;* — Bucretius apud eundem *ante se dantis.* Quae somnia, a pruritu quodam docto profecta, vix opus erat collato Curtio IV, 7, 15. refelli a Boeclero.

qualis Cerealibus] Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 146. coniecit *qualisque Rheae diebus.*

§. 2. *horum civium*] Wassenbergius in Dissert. de Nominibus propriis in vett. scriptt. libris vitiatis p. 29. scriptum fuisse coniicit *Cumanorum civium*, quod Cludius in Addend. p. 234. recipiendum censet, quia non sit, ad quod *horum* commode referatur. At non magni est acuminis videre pronomen per synesin, de qua statim dicetur, ad *Cumas* referri.

Sed illis] Ed. pr. *aliis;* pro quo repone *illis*, scilicet *Neapolitanis*, quod ex voce *Neapolim* assumendum, more utriusque linguae scriptoribus satis usitato, de quo vide Gronov. et Drakenborch. ad Liv. VIII, 11, 12. IX, 41, 3. Davis. ad Cic. de Finn. V, 6, 16. [addе annotat. nostram ad Sall. Cat. c. XXXIX, 3. p. 183. ad Iug. c. XV, 1. p. 93. Bremium ad Nep. Milt. c. V, 1. Daehnium ad Eiusd. Praef. §. 5. Herzog. ad Caes. B. C. III, 87. p. 469. K.] Sic Velleius [paullo ante I, 2, 3. *Tyria classis Gadis condidit. Ab iisdem — Utica condita est.* II, 8, 1. *Mandetur memoriae severitas iudiciorum. — Adeo illi*

sit custodia; Cumanos Osca mutavit vicinia. Viris autem veteres earum urbium hodieque magnitudo
3 ostentat moenium. Subsequenti tempore magna vis Graecae iuventutis, abundantia virium sedes quaeritans, in Asiam se effudit. Nam et Iones, duce Ione

viri (sc. iudices) voluntatem intuebantur. II, 117, 3. *Varus, cum exercitui, qui erat in Germania, praecesset, concepit esse homines (sc. Germanos)* etc. cf. II, 17, 3. ac v. Halmii Emendd. Vell. p. 18. K.] infra II, 15, 2. *Universa Italia — arma adversus Romanos cepit. Quorum ut fortuna atrox, ita causa fuit iustissima.* Graeci mores, instituta, leges, lingua nondum Velleii aetate *Neapoli* exoleverant. E multis unum Strabonem, eundemque Velleii aequalem, laudasse satis sit, lib. V. p. 377. B. Almel. *Πλεῖστα δ' ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα* (sc. Neapoli) *σώζεται, γυμνάσιά τε καὶ ἐφηβεῖα καὶ φράτρια, ὀνόματα Ἑλληνικά, καίπερ ὄντων Ῥωμαίων.* Id. VI. p. 389. B. *Νυνὶ δὲ πλὴν Τάραντος καὶ Ῥηγίου καὶ Νεαπόλεως ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα.* Reliqui magnae Graeciae populi bilingues erant, i. e. Osce et Graece loquebantur; v. Festum s. v. *bilingues,* et ibi Ios. Scaligerum [p. 29. et 350. ed. Lindemann.] Ruhnk. Docta hac Ruhnkenii annotatione luce clarius patet errare Cludium, qui vulgatam retinens, *alias* i. e. *ceteras magnae Graeciae colonias,* solis Cumis exceptis, patrios ritus diligentius servasse dicat, imprudenterque Wassenbergium l. l. pro *aliis* scribendum coniicere *Neapolitanis,* quod re quidem melius, verbo nullam habet veri similitudinem. Qui vero cum Ianio ad h. l. et cum Krausio in Addend. p. XXXII. *aliis* pro *alteris* (sc. Neapolitanis) dictum censent, videant ne barbaram dicendi rationem sequantur; nam *alius* pro *alter,* nisi in illo attractionis genere, de quo egimus ad Sall. Cat. c. LIV, 1. p. 287, aut in enumeratione, quam illustravit Herzogius ad Caes. B. G. I, 1, 1., dici non potest. — De confusione vocum *aliis* et *illis* cf. ad II, 13, 3. et Drakenborch. ad Liv. XXIII, 7, 3.

§. 3. *Graecae*] Ita Burerius; in Ed. pr. typographi errore est Graeciae, quod Acidalius temere defendit.

abundantia virium] Male Burmannus *virium* mutat in *virorum. Vires* intellige iuventutis subolem. Seneca Consol. ad Helv. c. 6. *Alios nimia superfluentis populi frequentia ad*

profecti Athenis, nobilissimam partem regionis maritimae occupavere, quae hodieque appellatur Ionia, urbisque constituere Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, Erythras, Clazomenas, Phocaeam, multasque in Aegaeo atque Icario

exonerandas vires emisit. Ammian. Marcell. XV, 9. *Dein secutis aetatibus oppida aucta virium copia.* — *Vis virium* non magis in Velleio quemquam offendere debet, quam in Plauto Amphitr. I, 1, 79. *Cadunt vulneris vi et virium;* aut in Livio IX, 16, 13. *Seu virium vi, seu exercitatione multa.* Ruhnk. — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 146. maluit *abundantia urbium.*

Iones, duce Ione profecti] Ionicarum coloniarum auctores fuisse Codri filios testantur fere omnes scriptores, ut Strabo VIII. p. 588. C. Alm. et Paus. VII, 2, sq. cf. C. Fr. Hermanni Antiqq. Graec. §. 77. p. 162. Quare Boeclerus coniecit *Ionas, duce Ione profectos quondam* etc.; — Burmannus *Iones, duce olim Ione profecti Athenas;* — Simsonus in Chron. p. 406. ed. Wessel. *Iones, duce non uno profecti,* qua coniectura sane ingeniosa dissensus inter Velleium et ceteros auctores tollitur. Sed quum Vitruvius IV, 1. eandem de Ione famam sequatur, res talis videtur, quae coniecturis expediri non possit. cf. Sauppium in Mus. Helvet. a. 1837. Vol. I, 2. p. 146. et Bernhardii Encyclop. Philol. p. 103.

Myuntem] In recensione duodecim Ioniae civitatium *Teum* non habet Ed. pr. Sed quoniam nunquam in earum enumeratione *Teus* omittitur, ut apud Herodot. I, 142., Strabon. XIV. p. 939 A., Aelian. V. H. VIII, 5. Vitruv. IV, 1., recte vidit Vossius, probante Ruhnkenio, inserendum esse id nomen inter *Myuntem* et *Erythram,* quod ab ultima syllaba in *Myuntem* facile absorberi potuit statim subsequens *teum.* Ianius. Nihilominus res incerta est, licet Orellius quoque et Kreyssigius Ianio assentiantur; Velleius enim minime accuratus est in rebus et personis cuiusque generis ordine afferendis; ita I, 17, 1. inter comicos omisit *Plautum;* II, 9, 3. inter tragicos *Ennium;* II, 36, 2. inter oratores *Antonium;* ibid. §. 3. inter poetas *Horatium.* Quanto facilius igitur unius urbis memoriam omittere potuit, qui vel more suo, vel ob festinationem in talibus esset negligentior?

Erythras] Ed. pr. *Erythram.* Quod quamquam omnes edd.

occupavere insulas, Samum, Chium, Andrum, Te-
4 num, Parum, Delum aliasque ignobilis. Et mox Aeolii, eadem profecti Graecia longissimisque acti erroribus, non minus illustris obtinuerunt locos clarasque urbis condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam Mytilenenque, et alias urbis, quae sunt in Lesbo insula.

1 V. Clarissimum deinde Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum, qui magnitudine operis et

tenent, tamen in pluralem mutandum putavimus, quem numerum omnes et Graeci et Latini scriptores summa constantia tuentur. De frequenti litterarum finalium *m* et *s* permutatione in cod. Murb. v. Prolegg. c. III. p. XCV.

Parum] Ed. pr. *Pharum;* correxit Ed. Basil.

§. 4. *Larissam*] Nescio quid Ed. Basileensem impulerit, ut *Larissam* mutaret in *Antissam.* Vide Herodot. I, 149. et Holsten. ad Steph. Byz. v. *Λαρίσσα.* Ruhnk.

Mytilenenque] Ed. pr. *Mytilenemque.* Rectam accusativi formam reposuit Ruhnkenius cum Munckero ad Hygini Fabb. 137. Idem *Mytil.* mutavit in *Mityl.*; sed in hoc non est cur scriptura Ed. pr. deseratur; cf. Plehnii Lesbiaca, p. 11. et, quos laudat Krausius infra ad II, 18, 3., Duker. ad Thucyd. III, 25. Wesseling. ad Herod. I, 160. Oudendorp. ad Sueton Caes. c. II. Cellar. Not. Orb. ant. Vol. II. lib. III, 2, 10. n. 8. p. 13.

urbis, quae sunt] Haec tria verba tanquam putidum glossema deleri voluit Gruterus. Paullo minus suspicax Ruhnkenius *urbes* tantum damnat propter molestam eiusdem vocis repetitionem, assensum nactus Ianii, Krausii, Kreyssigii. Sed quis credat librarium, cui otium erat omnia cum cura examinandi ac perpendendi, *urbis* vocem h. l. desiderasse et ad perspicuitatem sententiae iuvandam inseruisse? Quanto facilius auctori ipsi in scribendi impetu supervacanea vox excidere potuit? Concedamus igitur negligenter Velleium ac nulla stili arte scripsisse, sed eo corrigendo abstineamus. cf. Prolegg. c. II. p. LXVII. et quae Halmius in eandem sententiam disputavit in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 41. p. 328. et ibid. a. 1837. Vol. I. No. 60.

fulgōre carminum solus appellari poëta meruit; in 2
quo hoc maximum est, quod neque ante illum quem
ille imitaretur, neque post illum qui eum imitari
posset, inventus est. Neque quenquam alium, cuius
operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum
praeter Homerum et Archilochum reperiemus. Hic 3
longius a temporibus belli, quod composuit, Troici,
quam quidam rentur, abfuit; nam ferme ante annos
nongentos quinquaginta floruit, intra mile natus est.

p. 477. v. infra ad I, 16, 3. Aliter visum est Froehlichio, qui in Diurn. doctt. Monacc. a. 1837. No. 66. p. 552. *urbes* necessarium iudicat ad ambiguitatem vitandam.

V. 1. *illuxit*] Heinsius in margine coniecit *eluxit*, quod ut nihili damnavit Burmannus; Homerus enim comparatur cum novo *sidere* vel *sole oriente*.

sine exemplo maximum] Haec verba Bothius delenda censet, ut interpretationem proximorum verborum, quam et antecedens *clarissimum* arguat, et sequens *maximum*. v. Prolegg. c. II. p. LV. sqq.

§. 2. *maximum est*] Herelius p. 560., quia proximo versu praecedit *maximum*, h. l. mavult *rarissimum*, inani coniectura pravam efficiens sententiam. v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

posset] Ed. pr. *possit;* quod ab Aldo in imperfectum mutatum Orellius nuper reposuit, quia sententia sit „*etiamnunc* neminem eiusmodi exstare." Sed ut in hac sententia dicendum fuisset *potuerit*, ita Velleius ne *possit* quidem voluit dicere aut potuit, siquidem coniunctivo praesentis significaret, mirum esse *suo* tantum tempore neminem Homeri similem exstare; quod certe noluit. Sin vero totum illud tempus intellexit, quod inde ab Homeri aetate usque ad suam effluxit, quoniam praeteritum est, necessario debuit dicere *posset*, neque quicquam impedit, quominus cum praeterito simul praesens comprehendat; cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 76, 13. §. 514. p. 444. ed. VIII. — De *e* littera in *i* depravata v. Prolegg. c. III. p. LXXXVIII sq.

§. 3. *Troici*] G. Cuperus in Sylloge Epist. Noribergae edita III. p. 449. malit *Troii*, ut II, 86, 2. *in campis Philipptis*.

Quo nomine non est mirandum, quod saepe illud usurpat *οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν;* hoc enim ut hominum, ita seculorum notatur differentia. Quem si quis caecum genitum putat, omnibus sensibus orbus est.

1 VI. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis mile septuaginta, translatum est ad Medos, abhinc annos ferme octin-
2 gentos septuaginta. Quippe Sardanapalum eorum re-

Quasi Velleius non usus esset altera forma II, 114, 1. *belli Pannonici.* Tutius est in talibus codices sequi. Vide Bentlei. ad Horat. Carm. III, 3, 32. RUHNK.

illud usurpat] Herelius p. 560. pro *illud* mavult *ille*, nescio quam vulgatae scripturae insolentiam amovisse se ratus.

οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν] Haec verba, quae desunt in Ed. pr., acute restituit *Ursinus* ex Iliade ε, 304. μ, 383. 449. Exciderunt, quia haud raro graeca vocabula in codd. latinis alii manui scribenda relinquebantur; quo interdum fiebat, ut negligentia aut casu spatium inane relictum non expleretur.

VI, 1. *octingentos septuaginta*] Ed. pr. DCCLXX., quem numerum, nimis a vero recedentem, Lipsius addita nota centenaria probabiliter correxit, assentiente Scaligero Canon. Isagog. III. p. 520. et Christio in Noctt. Acadd. I. p. 41. cf. Prolegg. c. II. p. XLIII.

§. 2. *fluentem*] Aldus ex libidine dedit *florentem*, quod Lipsius perperam recepit. cf. Duker. ad Flor. IV, 12, 65.

malo suo] Warburtonus in Bibl. Brit. Vol. VII. p. 162. coniecit *in aula sua.*

tricesimo] Ed. pr. *trecentesimo;* Burerius *tricensimo;* quod ut facili lapsu ortum fuit ex *tricesimo*, lineola fortuito super *e* littera orta, ita Rhenanum in eum errorem induxit, ut pro compendio numeri CCC haberet. v. Prolegg. c. III. p. LXXIX.

Arbaces] Ed. pr. *Pharnaces.* Correxit Ed. Basil. et Fabricius ad Oros. II, 2. probantibus fere omnibus et Ruhnkenio in textu. Firmatur ex Strabone XVI. p. 1071. C. Almel., Athenaeo XII, 7. p. 528., Diodoro II, 23. et Iustino I, 3. KRAUSIUS in Addend. p. XXXIII.

§. 3. *Graii*] Ed. pr. *Grai.* Rectam formam restituit Ed. Basil.

gem mollitiis fluentem et nimium felicem malo suo, tertio et tricesimo loco ab Nino et Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut semper successor regni paterni foret filius, Arbaces Medus imperio vitaque privavit. Ea aetate clarissimus Graii nominis 3
Lycurgus Lacedaemonius, vir generis regii, fuit severissimarum iustissimarumque legum auctor et disciplinae convenientissimae viris, cuius quam diu Sparta

vir generis regii] Haec verba Gruterus ab interpolatore profecta somniat.

convenientissimae viris] Ed. pr. *conv. vir;* quae scriptura ferri nequit, non propter repetitionem *vir* vocis per se ipsam, sed tum quia ineptum est *hoc loco* commemorare *qualis vir* fuerit Lycurgus, tum quia *disciplina* quo sensu dictum sit, ac *convenientissimae* quonam pertineat, nullo pacto intelligitur; quamquam eam defendunt Ianius ad h. l. Gronovius ad Ammian. Marcell. XXVII, 11. et Schoepferus Adnotatt. critt. p. 4 sq. Locum sanavit Lipsius *vir* mutando in *viris*, in eandemque emendationem incidit etiam Iacobsius in Praef. interpretationis germanicae p. XXVIII. Peculiare quippe erat Spartanis *virilem animum ac fortitudinem* excolere, ut prae ceteris populis *viri* sibi viderentur, neque quicquam magis vitarent, quam ne effeminarentur; cf. Periclis iudicium de Spartanis apud Thucydid. II, 39. *Ἐν ταῖς παιδείαις ἐπιπόνῳ ἀσκήσει εὐθὺς νέοι ὄντες τὸ ἀνδρεῖον μετέρχονται.* Apud eundem haec sunt Archidami in consilio Lacedaemoniorum verba, II, 83. *Καὶ ἀνανδρία μηδενὶ πολλοὺς μιᾷ πόλει μὴ ταχὺ ἐπελθεῖν, δοκείτω εἶναι.* Eodem pertinet gloriatio Spartanae mulieris, memorata a Plutarcho in vita Lycurgi c. XIV. *Μόναι γὰρ τίκτομεν ἄνδρας.* Ad haec igitur pervulgata omnibusque nota respiciens Velleius Lycurgum dicit *auctorem disciplinae convenientissimae viris*, neque motus, opinor, desiderio antiquae virtutis, cuius defectum verbis certe tegere studeat, ut visum est Haasio in Ephem. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 436. Ceterum Heinsius coniecit *virtuti*, quod ab Orellio probatum ipse quoque non satis circumspecte in Zimmermanni Annall. Studd. Antiq. a. 1837. No. 9. p. 86. commendavi; — Burmannus maluit *vindex;* — Ed. Bipont. *inventor;* — Bo-

4 diligens fuit, excelsissime floruit. Hoc tractu tempo-
rum ante annos quinque et sexaginta quam urbs Ro-
mana conderetur, ab Elissa Tyria, quam quidam Dido
5 autumant, Carthago conditur. Circa quod tempus Cara-

thius *viris inventor;* — Boxhornius *convenientissimaeque virtutis;* — Ruhnkenius *Lycurgus, vir generis regii, Lacedaemoniis fuit — convenientissimae viribus,* assentiente Wyttenbachio in Bibl. crit. Vol. I, 4. p. 54.; — Acidalius, quem multi sequuntur, *vir* ante *cuius* censuit delendum; — Aldus, ceteris non mutatis, pro *convenientissimae* suasit *continentissimae;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 10. *vir generis regii, sicut sev. iust. leg, auct., et disc. conv. fuit;* — Crusius in Misc. Obss. Nov. Vol X. p. 382. *v. g. regii suis sev. iust. leg. auctor et disc. conv. vixit;* vel *fuit sev. iust. l. auctor, et disc. convenientis suis suasor;* — Wopkens. in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 23. *convenientissimae; vir, cuius* etc., quam interpunctionem merito ineptam dicit Burmannus ibid. p. 361.

excelsissime] Hanc vocem Cludius suspectam habens coniicit *excellentissime;* — Crusius in Misc. Obss. Nov. Vol. X. p. 392. *excelsis viribus,* vel *excellenti virtute.* Male; cf. ad II, 35, 1. *Ille dies Catonis virtutem altissime illuminavit.*

§. 5. *Caranus*] Ed. pr. corrupte *Taronus,* quod correxit Ed. Basil. cf. Iustin. VII, 1, 7. XXXIII, 2, 6. Liv. XLV, 9, 3. Pausan. IX, 40. p. 631. Bekk.

vir generis regii] Haec verba, paullo ante etiam de Lycurgo dicta, non genuina censet Lipsius, quem secuti sunt Gruterus, Ruhnkenius, Ianius, Krausius, Bothius. Quibus iudicium praeiudicata opinione non corruptum est, facile videbunt caussam interpolandi huius loci nullam fuisse, ac Velleium, in hac antiquissimae historiae parte res abruptius, more annalium scriptorum, narrantem, facile in eadem re iisdem verbis uti potuisse; v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq. Quod quamquam non est eleganter scribere, certe non est inepte. Heinsius coniecit *vir generis egregii.*

undecimus] Ed. pr. *sextus decimus,* quem numerum falsum esse recte viderunt Scaliger Animadverss. ad Euseb. p. 64. Canon. Isagog. p. 343. et Wesseling. ad Diodor. Sic. Fragm. IX. p. 637. Nam Syncello auctore p. 158. et 209. *Κάραγος ἐνδέκατος ἦν*

nus, vir generis regii, undecimus ab Hercule, profectus Argis regnum Macedoniae occupavit; a quo Magnus Alexander cum fuerit septimus decimus, iure materni generis Achille auctore, paterni Hercule gloriatus est.

ἀπὸ τοῦ Ἡρακλέους, idque ipsum testantur Diodori verba l. l. Γενεαλογοῦσι δε Κάρανον οὕτως, ὥς φησιν ὁ Διόδωρος καὶ οἱ πολλοὶ τῶν συγγραφέων, ὧν εἷς καὶ Θεόπομπος· Κάρανος Φείδωνος, τοῦ Ἀριστοδαμίδα, τοῦ Μέροπος, τοῦ Θεοστίου, τοῦ Κισσίου, τοῦ Τημένου, τοῦ Ἀριστομάχου, τοῦ Κλεοδάτους, τοῦ Ὕλλου, τοῦ Ἡρακλέους. Vitium tale est, ut Velleio ipsi non tribuendum videatur; sed haud dubie ortum est ex notarum XI et XVI confusione, ut recte censet Krausius in Addend. p. XXXIV. v. Prolegg. c. II. p. XLIII.

Hercule gloriatus est] His verbis in Ed. pr. adiecta leguntur haec: *Aemilius Sura de annis populi Romani: Assyrii principes omnium gentium rerum potiti sunt, deinde Medi, postea Persae, deinde Macedones. Exinde duobus regibus Philippo et Antiocho, quia* (scrib. *qui a) Macedonibus oriundi erant, haud multo post Carthaginem subactam devictis, summa imperii ad populum Romanum pervenit. Inter hoc tempus et initium regis Nisi* (scrib. *Nini) Assyriorum, qui princeps rerum potitus, intersunt anni* MDCCCCXCV. — Haec non Velleii esse, sed a librario margini ascripta ac postea textui illata primus vidit Delbenius apud Aldum. Argumento est ipsa rerum commemoratio mirum quantum ἀπροσδιόνυσος, postquam auctor, iam dimissis Assyriorum rebus, ad Graecos rediit; tum quivis videt nihil in Surae verbis inesse, quod ad praecedentia accuratius illustranda pertineat, plurima autem prorsus aliena esse ab huius loci ingenio; ad hoc nullus scriptor, si quando alius testimonio utitur, eius verba tam abrupte ac nude nullaque caussa reddita affert, ut hic factum est, utque facere solent, qui similem aliquem locum *margini* ascribunt; praeterea sequentis capitis verba *huius temporis aequalis Hesiodus fuit* luce clarius tam arcte cohaerent cum iis, quae de *Carano* dicta fuere, ut nulla plane, nedum tam absona digressione a praecedentibus seiungi possint; denique quum Velleius a Nino usque ad Vinicii consulatum annos MDCCCXL, vel ex Lipsii emendatione MDCCCCXL computet, Sura autem ab eodem Nino usque ad sua tempora annos MDCCCCXCV numeret, utcunque est, hoc certe patet, eum multo esse quam

1 VII. Huius temporis aequalis Hesiodus fuit, circa centum viginti annos distinctus ab Homeri aetate, vir perelegantis ingeni et mollissima dulcedine carminum memorabilis, oti quietisque cupidissimus, ut tempore tanto viro, ita operis auctoritate proximus; qui vitavit, ne in id, quod Homerus incideret, patriamque et parentes testatus est, sed patriam, quia 2 multatus ab ea erat, contumeliosissime. Dum in externis moror, incidi in rem domesticam maximique erroris et multum discrepantem auctorum opinionibus. Nam quidam huius temporis tractu aiunt a Tuscis Ca-

Velleium iuniorem, neque ullam ab hoc operis eius rationem haberi potuisse. Quae quum ita sint omnes fere editores atque Salmasius ad Tertull. de Pall. p. 160. verba eiicienda putarunt; tuentur tamen Ger. I. Vossius de Hist. Lat. p. 691., Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 66. p. 552, in iis retinendis paene superstitiosus, et Ios. Scaliger Canon. Isagog. p. 320., quamquam hic transponenda censet post superiora illa §. 2. *imperio vitaque privavit.* Praeterea de h. l. egerunt Waltherus in Nov. Misc. Lips. Vol. III. P. III. p. 521 sqq. et Christius Noctt. Acadd. Obss. II. p. 41 sqq. Ceterum Bothius pro *initium regis Nini* scribi vult *initium regni.*

VII, 1. *temporis*] Ed. Bipont., quem secuti sunt Ianius, Krausius, Cludius, scripsit *temporibus*, quod libidine et inscientia latinae linguae fictum merito damnavit Kreyssigius Praef. p. X. cf. I, 16, 3. *Menandrus aequalesque eius aetatis Philemo ac Diphilus.* Cic. de Divin. I, 20, 39. *Ut scriptum apud Philistum est, aequalem temporum illorum.* Zumpt. Gramm. Lat. c. 72, 2. not. 2. §. 411. p. 365. ed. VIII.

vitavit] Hoc verbum tanquam otiosum in hac sententia delendum censet Vossius. Contra Heinsius mutari vult in *vitato*, absoluta scilicet participii constructione, de qua egit Zumptius in Gramm. Lat. c. 81, 8. §. 647. p. 543. ed. VIII. Cludius denique huic loco consultum putat, si scribatur: *qui quum vitavit* —

puam Nolamque conditam ante annos fere octingentos triginta; quibus equidem assenserim. Sed Marcus Cato 3
quantum differt! qui dicat Capuam ab iisdem Tuscis conditam ac subinde Nolam; stetisse autem Capuam, antequam a Romanis caperetur, annis circiter ducentis sexaginta. Quod si ita est, cum sint a Capua 4
capta anni ducenti quadraginta, ut condita est anni sunt fere quingenti. Ego, pace diligentiae Catonis dixerim, vix crediderim tam mature tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.

VIII. Clarissimum deinde omnium ludicrum cer- 1

patriam et *parentes*, deleta *que* particula. Hi omnes videntur obliti esse, aliud esse puerorum pericula corrigere, aliud veterem scriptorem religiose edere.

in id, quod Homerus] Baiterus apud Orellium mavult *in id, in quod Homerus*. Quod quum iam Burmannus monuisset non esse opus, coll. Nepotis vita Cimon. c. III, 2. *Incidit in eandem invidiam, quam pater suus*, tum nuper monuerunt Haasius in Ephemerr. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 436. et ad Xenoph. de Rep. Lac. c. XII, 2. atque Alb. Lion apud Orell. Praef. p. XVI., qui eundem Graecorum usum comparavit, laudans Heindf. ad Plat. Phaedr. p. 91. Stallbaum. ad Phileb. p. 34. Ast. ad Legg. p. 108. Bernhardi Syntax. p. 203. Adde infra II, 33, 2., Wopkens. in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 23., Zumpt. Gramm. Lat. c. 86, 20. §. 778. p. 630. ed. VIII. Grubitz. Emendatt. Oros. p. 9. Hand. de Particc. Lat. Vol. III. p. 354. 3. — Bothius, *quod* soloecum iudicans, scripsit *quo*.

incideret] Ed. pr. *inciderat*. Correxit Ed. Basil.

§. 2. *maximique*] Ed. pr. *maximeque*, quod iam vidit Rhenanus in genitivum esse mutandum.

§. 3. *anni sunt*] Heinsius, qui pro *sunt* requirit *sint* propter superiora, non satis animum ad rem advertit.

VIII, 1. *omnium*] Hanc vocem Susius, haud dubie eius collocatione offensus, eiiciendam censuit.

tamen et ad excitandam corporis animique virtutem efficacissimum Olympiorum initium habuit, auctorem Iphitum Elium. Is eos ludos mercatumque instituit ante annos, quam tu, M. Vinici, consulatum inires, 2 octingentos tris. Hoc sacrum eodem loco instituisse fertur abhinc annos ferme mile ducentos quinquaginta Atreus, cum Pelopi patri funebris ludos faceret; quo quidem in ludicro cuiusque generis certa- 3 minum Hercules victor extitit. Tum Athenis per-

excitandam] Acidalius tanquam melius proposuit *exercitandam*, nemini, excepto Aldo, probatum. — Idem mox *Olympiorum* mutavit in *Olympicum*.

auctorem Iphitum Elium] Aldus scripsit *auctore Iphito Elio*, quod per se, commodiore structura, haud malum foret, neque Ruhnkenio displicuit, sed externa auctoritate parum firmatur. Eodem spectat Acidalii coniectura *et* ante *auctorem* inserentis, Bothii, *initium* delentis, Lipsii *initum*, *habuit* scribentis. Sed scriptura ed. pr. ferri potest, quamquam quaesita neque huic loco optime conveniens subtilitas, qua distinguit Velleius inter *initium* et *auctorem*, paullo duriorem et quodammodo hiulcam fecit constructionem; cf. Prolegom. c. II. p. LIV.

octingentos tris] Ed. pr. $\overline{\text{DCCCXXIII}}$, quem numerum duabus notis denariis, librarii somnolentia illatis, vitiatum esse ostendimus in Prolegg. c. II. p. XLIII sqq. Lipsius, quem sequuntur Ruhnkenius et Ianius, dedit $\overline{\text{DCCCIV}}$, ac fortasse idem voluit Aldus, qui habet $\overline{\text{DCCCCIV}}$; Krausius in Add. et Corrig. p. XXXV. coniecit $\overline{\text{DCCCCXIII}}$, assentiente Cludio.

§. 2. *mille ducentos quinquaginta*] Ut Velleius magis accederet ad Clementem Alex., qui a primis ludis usque ad Iphitum numerat annos $\overline{\text{CCCCXXVII}}$, aut ad Eusebium, qui idem spatium facit annorum. $\overline{\text{CCCCXXX}}$, Lipsius scribi vult $\overline{\text{MCCXL}}$. Sed non attendit ad *ferme* vocem, qua auctor significat rotundo se numero uti.

patri] Ed. pr. *patris*. Correxit Ed. Basil.

cuiusque] Ed. pr. *omnisque;* quam scripturam Heinsius, Ianius, Halmius in Annall. litt. crit. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 41.

petui archontes esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmaeon, coeperuntque in denos annos creari: quae consuetudo in annos septuaginta mansit, ac deinde annuis commissa est magistratibus respublica. Ex iis, qui denis annis praefuerunt, primus fuit Charops, ultimus Eryxias; ex annuis primus Creon. Sexta Olympiade, post duo et viginti annos quam 4
prima constituta fuerat, Romulus, Martis filius, ultus iniurias avi Romam urbem Parilibus in Palatio

p. 324. et Haasius in Ephemerr. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 436. ita defendunt, ut dicant *que* significare *et quidem*, ut II, 26, 1. *multa fortiterque molitus.* Sed quum ista copulae vis tantummodo obtineat, ubi duo *eiusdem generis* vocabula componuntur, quorum posterius accuratius definiat prius, horum virorum sententia non magis valet, quam Schoepferi, qui in Annotatt. critt. p. 5. *que* pro *quoque* positum censet. Contra per se satis commoda est medela Ed. Basileensis, *que* delentis, Orellio quoque et Kreyssigio Praef. p. X. probata, nisi quod non intelligitur, quomodo aut quo consilio *que* adiici potuerit. Censor in Actt. Erudd. Lips. a. 1721. p. 116. tentavit *omnique genere certaminum;* — Susius in Gurlitti Animadd. ad auctt. vett. Spec. III. *omnis aeque;* — Ruhnkenius coniecit nomen excidisse ante *omnisque generis*, velut *luctae*, aut simile; sed haec quo sunt audaciora, eo minus habent probabilitatis. At longe verissima est et prorsus palmaris Gurlitti coniectura, qui vidit *omnisque* corruptum esse ex *cuiusque*, quae voces tam similes, aut potius pares habent apices, ut, praesertim non accurate scriptae, ab eo, qui non attente legat, dignosci non possint.

§. 3. *Eryxias*] Ed. pr. *Erix*, ex quo Aldus Nep. fecit *Eryx*, quod sequitur Scaliger Can. Isag. p. 330. Verum nomen *Eryxias* ex Eusebii Chron. p. 28. 43. restituerunt Meursius de Archontt. I. c. 8. et alii. Ruhnk.

§. 4. *post duo*] Kreyssigius Praef. p. X. constantiae caussa scribendum censet *p. duos*. Nobis, quum in Velleio iudicium codicum auctoritate regi nequeat, res incertior videtur; quare in ea forma, quam ed. pr. exhibet, acquiescendum putamus. cf. ad Sall. Iug. c. XXI, 4. p. 135. et CII, 2. p. 544.

condidit, a quo tempore ad vos consules anni sunt septingenti octoginta unus. Id actum post Troiam captam annis quadringentis triginta septem. Id gessit Romulus adiutus legionibus Latinis avi sui. Libenter enim iis, qui ita prodiderunt, accesserim, cum aliter firmare urbem novam tam vici-

septingenti octoginta unus] Ed. pr. D. CCCC. LXXX. L. Hunc numerum duobus locis corruptum acute in integrum restituit Laurentius in Fastt. consull. capitt. p. 80. deletis binis notis centenariis et mutato L in I, quo efficitur annus u. c. 781, cui Vinicii consulatus a Velleio assignatur; v. Prolegg. c. II. p. XLIV. Ed. Basil. scripsit DCCCCLXXXV; — Bipont. DCCLXXXII; — Krausius DCCLXXXIII.

Id actum — septem] Hanc totam enunciationem censor in Ephemerr. litt. Gott. a. 1779. Addit. p. 120 pro glossa habet, e margine in textum illata, tanquam argumento usus gravissimo, quod sequens sententia rursus incipiat ab *id* pronomine; quae res tam certa visa est Cludio, ut verba velut spuria uncinis includeret. Sed facile est ad videndum, Velleium, qui in universum neque studiosus est neque peritus orationis artificiose vinciendae, toto hoc loco, qui est de antiquiore Graecorum historia, tam ieiune singula afferre, ut nullo modo, nisi imprudentissimus sis, ex tali negligentia scribendi coniecturam de facta interpolatione facere possis. v. Prolegom. c. II. p. LXVII sqq.

quadringentis triginta septem] Lipsius atque Popma scribendum censent CCCCXXX, omissa nota septenaria, ut annus Troiae captae sit 1184 a. Chr. n. Sed quum etiam aliorum scriptorum testimonia, utpote in re remotissimae antiquitatis, paullum inter se discrepent, Velleii numerus, parum a ceteris discedens, non videtur mutandus, licet Krausius quoque in Addend. p. XXXVI. eum corruptum iudicet.

Id gessit] Bothius scripsit *sed gessit.*

§. 5. *Latinis*] Ed. pr. *Latini.* Correxit Lipsius. cf. Niebuhrii Hist. rom. I. p. 236.

iis, qui] Ed. pr. *his qui.* Orellius recte scripsit *iis;* cf. ad I, 2, 2.

firmare] Lusit Burmannus, quum pro *firmare* coniecit *formare.* v. ad II, 123, 1.

nis Veientibus aliisque Etruscis ac Sabinis cum imbelli et pastorali manu vix potuerit, quamquam eam asylo facto inter duos lucos auxit. Hic centum homines electos appellatosque patres instar habuit consili publici. Hanc originem nomen patriciorum habet. Raptus virginum Sabinarum * * * * * * 6

cum imbelli et pastorali manu] Broukhusius ad Tibull. III, 5, 22. haec verba laudat omissa *et* copula, quod minime est necessarium, neque tamen per se malum; cf. ad Sall. Iug. c. XXX, 3. p. 172. Schoepferus Adnotatt. critt. p. 5. haec quinque verba manifestum glossema *aliter* vocis dicens manifesto errat.

quamquam eam] Ed. pr. vitiose *quamquam iam*, quod Heinsius simplicissima medela, *iam* in *eam* mutato, sanavit; saepissime enim cum in aliis codd., tum in Velleiano *e* littera in *i* depravata fuit; v. Prolegom. c. III. p. LXXXVIII. Aldus edidit *quam iam;* — Iacobsius in Praef. p. XXVIII. coniecit *quamquam etiam.* Quae licet falsa sint, tamen multo praestant Schoepferi sententiae, qui Adnott. critt. p. 6. *iam* dicit idem esse atque *etiam!*

auxit] Cludius scripsit *auxisse;* eius censor in Ephemerr. Litt. Hall. a. 1817. No. 40. suasit *auxerit.*

§. 6. *Raptus virginum Sabinarum*] Haec verba quum Vossius non esse Velleii suspicatus esset, sed a librario margini ascripta ad argumentum sequentis narrationis indicandum in textum irrepsisse, nimis facile persuasit editoribus plurimis, in his Ruhnkenio, Ianio, Kreyssigio, ac praeterea Halmio in Annall. critt. litt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 41. p. 325, et Haasio in Ephem. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 437. Isto modo glossemata oriri certum est, et a Kreyssigio Praef. p. XI. satis probatum; sed h. l. in manca oratione nihil plane est, quod istam suspicionem adiuvet, quum auctoris iudicium de raptu Sabinarum interciderit. Id veri sensu ductus Cludius tale fuisse coniicit: *Raptus virginum Sabinarum, non multo post insecutus, et bellum movit et civitatem auxit.* In quo licet verba vituperes, sententia certe vituperio caret. Vide etiam Froehlichium in Diurn. doctt. Monacc. a. 1837. No. 66. p. 553. Krausius in Addend. p. XXXVI. verba genuina habens tamen *at* ante *raptus* inserendum putat, quia transitus ad aliam rem fiat.

Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius Cimon. * * * * * * * * * * *

1 * * * * IX. quam timuerat hostis, expetit. Nam biennio adeo varia fortuna cum consulibus conconflixerat, ut plerumque superior fuerit magnamque

Nec minus] Haec verba non exstant in Ed. pr., hausta quippe ingenti lacuna, qua auctor et Graecas et Romanas res usque ad Persi bellum persecutus erat. Tenue fragmentum servavit Priscian. VI, 11, 63. p. 259. Kr.

IX, 1. *quam timuerat hostis, expetit.*] Haec lacunosa Ed. pr. verba Lipsius sic explenda censuit: *Perseus populo Romano gravior, quam timuerat, hostis exstitit.* Contra Burmanno sequentia hanc videntur sententiam exigere: *Perseo populus Romanus levior, quam timuerat, hostis exstitit.* Ianius autem, ne expetit mutaret, ita locum restitui posse coniicit: *in Macedonia Perseus pacem, contra quam timuerat hostis* (i. e. Romani), *expetit.* Nobis, nisi forte vana fingere est artem criticam exercere, a verbis tam obscuris emendandis prorsus abstinendum videtur, habemusque assentientem Haasium in Ephem. Litt. Hall. a. 1837. No. 103. p. 210., qui quum longe ingeniosissime lacunam sic expleverit, *quarum iniuriarum Populus Romanus poenam tardius, quam timuerat hostis expetit,* vel *expetiit,* nihil tamen huic coniecturae tribuit.

cum consulibus] Sauppius in Mus. Helvet. I, 2. p. 174. eo offensus quod nude *consules* memorantur, scriptum fuisse coniicit *cum III* (tribus)*consulibus.* Sed quum priora perierint, nexu sententiarum sublato iudicium de corrupta vulgata scriptura prorsus incertum videtur.

fuerit] Burer. et Amerb. *fuit;* Rhenanus, qui *fuerit* exhibuit, aut sibi visus est coniunctivum in cod. Murb. deprehendisse, aut, quod probabilius est, tacite vitiosam scripturam correxit. Gruterus et *fuit* et *que* pro glossa habet. Acidalius aequalitatis caussa cum sequenti verbo maluit *foret,* quod Ianius recepit, Vascosanus *fieret.* Schoepferus Adnotatt. critt. p. 6. *fuit* retinendum censet, si verbis *plerumque sup. fuit* parenthesi inclusis *magnamque* capias pro *magnam quoque.* Qua sententia nihil potest excogitari absurdius.

partem Graeciae in societatem suam perduceret. Quin 2
Rhodii quoque, fidelissimi antea Romanis, tum dubia
fide speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse
visi sunt; et rex Eumenes in eo bello medius fuit
animo, neque fratris initiis, neque suae respondit

perduceret] Lipsius necessarium putavit *perduxerit*, ut congrueret cum praegresso *fuerit*. Vulgatam defendit Wopkens. Lectt. Tull. III, 7. p. 279. exemplis magis, quam ratione usus, quam Handius p. 373. editionis suae ita explicat, ut dicat perfecti coniunctivo rem ἀορίστως enunciari, imperfecto adhaerere notionem certi temporis. Nobis temporis utriusque discrimen tale videtur, ut perfecti coniunctivus *iudicio* scriptoris, imperfectum *narrationi* inserviat. cf. Haasium ad Reisigii Gramm. Lat. §. 314. not. 480. p. 550.

§. 2. *Quin*] Ed. pr. et Burer. *quibus*, a quo non multum abit Amerbachii *quib.* Istam vocem depravatam esse ex *quin* particula iam vidit Ed. Basil., quem plerique omnes secuti sunt. Herelius tamen p. 560. maluit *ex quibus;* quod ut valde dubium est origine, ita sensum habet multo quam *quin* deteriorem; v. ad I, 1, 3.

antea] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *ante.*

dubia fide] Haec verba Bothius pro glossemate habet.

proniores] Amerb. *primores*, facili oculorum errore; v. Prolegg. c. III. p. LXXXIV.

fuit] Hoc verbum delendum censuit Heinsius, assentientibus Ruhnkenio, Krausio, Cludio, Kreyssigio. Quibus omnibus fraudi fuisse *neque — neque* particulas ostendimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 12. p. 102. Nimirum prius *neque* solvendum est in *et non*, quo fit, ut alterum quoque adiungat sententiam negantem, quod idem fere est, ac si dicatur *et neque — neque.* Vide quae diximus ad Sall. Cat. c. LVIII, 1. p. 303 et ad Iug. c. LXI, 1. p. 326. cf. infra I, 12, 7. Hunc dicendi usum non assecutus Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 66. p. 554. ut structurae consuleret pro *respondit* scribi voluit *respondens.*

animo] Heinsius maluit *animi;* — Ruhnkenius adeo coniecit *bello medius, dubiusque animi;* — Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 341. *medio fuit animo.*

3 consuetudini. Tum senatus populusque Romanus L. Aemilium Paulum, qui et praetor et consul triumphaverat, virum in tantum laudandum, in quantum intellegi virtus potest, consulem creavit, filium eius Pauli, qui ad Cannas quam tergiversanter perniciosam reipublicae pugnam inierat, tam fortiter in ea

§. 3. *Paulum*] Ita hoc nomen scriptum exstat in Ed. pr. et cod. Amerb. Editiones pleraeque exhibent *Paullum*, non falso, sed non necessario; v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. P. II. p. 413.

qui et praetor et consul triumphaverat] Aldus Nepos scribendum censet *qui et priore consulatu triumphaverat*, quia ex Livio XL, 34. et Aurel. Victore c. LVI. constet Aem. Paullum semel tantum ante bellum Macedonicum, de Liguribus triumphasse, neque quicquam de triumpho a praetore acto memoretur. Quod quamquam verum est, nihil tamen videtur mutandum, quum probabile sit Velleium ipsum in errorem incidisse, quippe qui *supplicationem* Aemilio decretam (v. Liv. XXXVII, 58, 5.) ob res prospere ab eo propraetore in Hispania gestas (v. Liv. XXXVII, 57, 6. Plutarch. v. Aem. Paulli c. IV. Tom. II. p. 247. ed. Reisk.) cum triumpho confuderit. cf. Perizon. Animadvv. Historr. c. VI. p. 211., ac de simili auctoris errore v. ad I, 11, 6.

intellegi] Ed. pr. *intelligi*. Sed quum Amerbach. *intellegi* scripserit (de qua forma v. annotationem nostram ad Sall. Iug. c. VI, 2. p. 38.), probabilius est Rhenanum tacite vulgarem verbi formam exhibuisse.

consulem creavit] Haec verba desunt in cod Amerb.; cuius auctoritati nimium tribuens Orellius Rhenanum apertae ac falfalsissimae interpolationis arguit, quum senatus nullae partes fuerint in creando consule. Excidisse potius in cod. Murb. haec verba *ei bello praefecit;* quae Kreyssigius inconsultius in contextum admisit. Non peccavit enim Rhenanus inserendo, quae non Velleii essent, sed Amerbachius omittendo, quae ab auctore profecta sunt; qui, quum paullo liberiore ratione dixit *senatum populumque Rom. creasse Aemilium consulem*, nihil aliud voluit, quam creasse populum eum consulem, qui patribus valde acceptus esset et ad bellum contra Persen gerendum ma-

mortem obierat. Is Persam ingenti proelio apud ur- 4
bem nomine Pydnam in Macedonia fusum fugatumque castris exuit, deletisque eius copiis destitutum omni spe coëgit e Macedonia profugere; quam ille linquens in insulam Samothraciam perfugit templique se religioni supplicem credidit. Ad eum Cn. Octavius praetor,

xime idoneus videretur. cf. quae de hoc loco disserui in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 90. Vulgatam defendunt etiam Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 437. Laurent. Loc. Vell. p. 131. et Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 38. p. 318. sqq.

mortem] Ita Rhenanus in Ed. pr. recte, sed tacite, emendavit lectionem cod. Murb.; nam Burerius et Amerb. habent *morte*, quod frustra defendit Schoepferus Adnotat. crit. p. 6. collato Suetonio vit. Octaviani c. IV. Non melius Burerius coniecit legendum *in eo Marte obierat*, quam coniecturam Ruhnkenius merito ineptam dicit.

obierat] Heinsius coniecit *obiit*, assentientibus Herelio p. 559. et Bothio, qui non assecuti videntur utrumque plusquamperfectum referri ad praecedens *creavit;* cf. Halm. in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 110. p. 898.

§. 4. *Persam*] Ed. Basil. scripsit *Perseum*, Vossius aliique maluerunt *Persen;* sed insolentiorem nominis formam non sollicitandam esse recte censuit Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 320.

Pydnam] Amerbach. perperam *Pidnam.*

perfugit] Ed. pr. et Amerb. *profugit*, quod a Ianio recte mutatum est in *perfugit*, quamquam parum valet eius ratio petita a vicinitate eiusdem vocis (v. Prolegom. c. II. p. LXVII sqq.) et a facili confusione *per* et *pro* praepositionum. Sed verissime idem monuit *perfugere* solenniter dici de iis, qui ad locum aliquem, ut ibi tuti sint, confugiunt, qui sensus prorsus alienus est a *profugere* verbo; v. quae diximus ad Sall. Cat. c. LIV, 3. et in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 96. quibuscum consentiunt quae de iisdem vocabulis acute disputavit Doederlinus in Synonym. Lat. Vol. IV. p. 239 sq. cf. infra II, 23, 3. *Maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit.* Wopkensius, qui in Lectt. Tull. II,

qui classi praeerat, pervenit, et ratione magis quam
5 vi persuasit, ut se Romanorum fidei committeret. Ita
Paulus maximum nobilissimumque regem in triumpho
duxit. Quo anno et Octavi praetoris navalis et Anici
regem Illyriorum Gentium ante currum agentis trium-
6 phi fuere celebres. Quam sit assidua eminentis for-

11. p. 189. vulgatam alienis defendit exemplis, pariter a vero aberrat, atque Burmannus, qui pingui Minerva duas effundens coniecturas aut legendum censet *destit. omni spe exegit e Macedonia; quam ille* etc., aut *in ins. Samothraciam traiecit.*

ratione] Lipsius sine ulla ratione maluit *oratione.*

§. 5. *Anici*] Ed. pr. *Anicii,* Amerb. *Anitii,* pariterque §. 6.

agentis] Ed. pr. et Amerb. *agentium,* quod ortum videtur ex ignorantia structurae atque sensus, librario *Gentium* pro genitivo plurali nominis appellativi habente. *Agentis* restituit Ed. Basil. cf. Livius XLV, 43, 6. *Ante currum (Anicii) ducti Gentius rex cum coniuge et liberis.*

§. 6. *obniterentur*] Heinsio scribenti *conniterentur* male obsecutus est Ruhnkenius; neque melius egit Cludius, qui *anniterentur* edidit, aut Bardilius, qui in Friedemanni et Seebodii Miscell. Critt. Vol. I. P. II. p. 383. *impedire* deleri vult, ut ad *obniterentur* suppleatur *triumpho.* Qui omnes in errorem inducti sunt constructionis ignorantia. Quippe *impedire* infinitivus, quem cum *obniterentur* non poterant conciliare, ita pendet ex hoc verbo, ut consilium et finis obnitendi eo declaretur, hoc sensu: fuere qui, *ut* Pauli triumphum *impedirent,* obniterentur, sive contra niterentur. De hac infinitivi ratione, quam ex Velleii interpretibus solus perspexit Ianius, v. quae disputavimus ad Sall. Cat. c. LII, 24. p. 273 sq. et ad Iug. c. XVII, 1. p. 100. — Bachius in Animadv. in quaedam Velleii loca p. 6. vulgatam ita probat, ut dicat *obniti* esse i. q. *vehementer et magna virium contentione niti.*

priores] Ed. pr. *prioreis,* Amerb. *prioris.* Rectam formam primus restituit Ed. Basil. — Orellius, Amerbachio, qui statim post *omnium* omisit, nimium tribuens, scribendum coniecit *priores omnis,* ut sensus sit: et priores *aliorum ducum* omnes, et ante *a se* actos vicit; quam sententiam haud uno nomine falsam esse bene monuit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836.

tunae comes invidia altissimisque adhaereat etiam hoc colligi potest, quod, cum Anici Octavique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Pauli impedire obniterentur; cuius tantum priores excessit vel magnitudine regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniae, (bis miliens centiens sestertium aerario con-

No. 55. p. 438. Sana esse omnia quivis concedet, qui reputaverit *priores*, i. e. *proxime praegressos*, esse triumphos *Anicii Octaviique*, quibus opponuntur *omnes aliorum* ante illud tempus acti, ut recte vidit Ianius ad h. l. et Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 37. p. 306. Neque huic explicationi obstat, quod Anicius post Aemilium triumphavit, teste Livio XLV, 43, 1 sqq. Patet enim Velleium non id egisse, ut tempora accurate notaret, sed ut quam *diversis animis* homines in Aemilium et in Anicium Octaviumque fuissent ostenderet. Hos igitur quum paullo ante comprehendisset, concinnitatis caussa, quae temporum distinctione prorsus fuisset sublata, utrosque statim post ponit Aemilio priores.

(bis miliens centiens sestertium aerario contulerat), ut omnium ante actorum] Ed. pr. *ut bis milies centies S—H aerario contulerit his, et omnium a. a.*; Amerb. *ut bis miliens centiens sestertium aerario contulerit, his et ante actorum.* Huius loci valde corrupti emendatio in textu expressa, quam tetigimus iam in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 130., debetur Haasio, in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 438. Eundem sensum praeberent coniecturae Froehlichii in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 37. p. 309.: *cuius tantum priores excessit, — — ut, bis mil. cent. sest. in aerarium cum intulisset, omnium* etc., et Cludii: — — *ut, quum bis mil. cent. aer. contulerit, omnium ante actorum* etc., nisi *quum — contulerit* vel *contulisset* in tali nexu soloecum esset, ac corruptelae origo prorsus improbabilis videretur, quod aliter est in Haasii coniectura. Nam patet prius *ut* ex sequente versu, cui fortasse superscriptum fuit, irrepsisse in antecedentem; *bis* autem in inferiorem versum delapsum genuisse *his* iam viderunt Ed. Basil. et Ruhnkenius. Temere igitur Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 6. editionis princ. lectionem ita defendit, ut dicat *his* vitiose aspiratum nihil aliud esse quam

tulerat), ut omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit.

1 X. Per idem tempus, cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympieum inchoavit, tum rex Syriae, Ptolemaeum puerum Alexandriae obsideret, mis-

is sc. *triumphus*. Non magis ferendum est, quod Ianius scripsit *ut bis milies — contulerit, ut omnium* etc., aut quod Laurentius in Locis Vell. p. 132. proposuit *ut — contulerit, hisque omnium* etc.; nam consectaria enunciatio, id quod Haasius l. l. acute vidit, non potest nisi a verbis *ut omnium ante act.* incipere.

bis miliens centiens] Ed. pr. *bis milies centies;* Amerb. *bis miliens centiens,* quod ab hoc non effictum videtur; cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I, 2. p. 459 sq. et v. infra II, 56, 2. II, 60, 4. — Gronovius ad Plin. H. N. XXXIII, 3, legendum censet *bis milies trecentïes;* rursus autem ad verba Livii XLV, 40, 1. *Summam omnis captivi auri argentique translati sestertium millies ducenties fuisse Valerius Antias tradit,* et apud hunc et apud Velleium scribendum coniicit *bis millies ducenties*, utriusque numero ex altero aucto. Sed vanas esse istas coniecturas et Livius accurate inspectus declarat, et dudum vidit Drakenborchius ad l. l.

contulerat] Ed. pr. et Amerb. *contulerit*, quod simul cum *ut* particula, falso ante *bis* illata, ortum est. Ceterum Lipsius pro *contulerit* malebat *intulerit,* quod merito damnat Oudendorp. ad Appulei. Metam. VI. p. 411. b. cf. infra II, 39, 2. *in aerarium contulit.* Oros. V, 18. *Nihil tamen Pompeius ex ea gente aerario contulit.* Aurel. Vict. de vir. ill. c. LX, 3. *Mummius — in domum suam nihil contulit.*

X, 1. *Olympieum*] Ed. pr. et Amerb. *Olympicum.* — Bene Fr. Sylburgius scripsit *Olympieum;* male P. Faber Semestr. III, 3. p. 58. graeca forma *Olympieïum.* Graeci duplici forma dicunt Ὀλυμπίειον et Ὀλύμπιον, unde Latini *Olympieum* et *Olympium,* non *Olympicum.* Vide Wesseling. ad Diodor. Sic. XIII. p. 546. Et sic aliorum etiam templorum nomina ab utrisque efferri vi exemplorum ostendunt Fabricius ad Dion. Cass. L. p. 606. et Duker. ad Liv. XXXVIII, 5, 2. Ruhnk. cf. Halm. in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 110. p. 899.

rex] Ed. pr. et Amerb. *regem,* quod a scriba ortum histo-

sus est ad eum legatus M. Popilius Laenas, qui iuberet incepto desistere; mandataque ut exposuit, 2
regem deliberaturum se dicentem circumscripsit virgula, iussitque prius responsum reddere, quam egrederetur finito arenae circulo. Sic cogitationem regiam

riae pariter atque constructionis ignaro, aut oculis ad versum propinquum aberrante, Aldus certa coniectura correxit. Heinsius audacior hanc excogitavit scripturam: *qui Athenis Olympicum inchoavit templum, regem rex Syriae, Ptolemaeum.* Warburton in Bibl. Brit. Tom. VII. p. 162, proposuit: *inchoavit, iterum rediens e Syria.* Schoepferus in Anotatt. critt. p. 6. *regem* opinatur ortum ex *regens*, qua voce Velleius pro *rex* usus sit. Ceterum verbis *tum rex Syriae* tecte respici videtur ad prius aliquod tempus, quo Antiochus nondum fuit rex, fortasse, quum Romae obses degit, cf. Appian. Syriac. c. XXXIX. p. 595. Schweigh.

Popilius] Kreyssigius Praef. p. XI. ex Fastis coss. capitt. p. 27. ed. Laur. scribendum censet *Popillius*. Sed quum etiam altera nominis forma in usu sit (v. Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. Vol. I, 2. p. 408.), non recedendum est a. cod. scriptura; cf. ad. I, 9, 3.

§. 2. *mandataque ut exposuit, regem*] Ed. pr. *mandataque exposuit, et regem;* Amerb. *mandataque exposuit, ut regem.* Ex hac scriptura, quam Rhenanus ambigue exaratam vel non recte legisse, vel tacite mutasse videtur *et* pro *ut* posito, Haasius in Ephem. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 438. feliciter Velleii manum restituit, *ut* revocans ante *exposuit;* quo non solum otiosum ac prorsus inane additamentum *mandataque exposuit* tollitur, sed etiam Popilii superbia, continuo responsum postulantis, egregie declaratur; cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 91. Halmius apud Orellium coniecit *mandata quum exposuisset, regem;* — Bothius edidit *mandata exposuit, et regem.*

arenae] Ed. pr. et Amerb. *harenae;* v. Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. Vol. I, 1. p. 185.

cogitationem] Acidalii coniecturam *contationem*, Lipsio aliisque probatam, merito reiecit Ruhnkenius, haec annotans: „*Cogitatio* est deliberatio, consultatio. Terent. Andr. I, 2, 11. *Ut ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.*

3 Romana disiecit constantia, obeditumque imperio. Lucio autem Paulo, magnae victoriae compoti, quattuor filii fuere; ex iis duos natu maiores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna maiestate praeter speciem nominis vigoremque eloquentiae retinenti, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo; duos minores natu praetextatos, quo tempore victoriam ade-
4 ptus est, habuit. Is cum in contione extra urbem

Liv. XL, 5, 9. *Philippus, totus in Persea versus, cum eo cogitationes eius rei dies ac noctes agitabat.* Sueton. Ner. c. XLVII. *Sic cogitatione in posterum diem dilata.* Seneca Suasor. VII. p. 44. *Ciceroni, quum cogitasset, utrumne Brutum, an Cassium, an Sextum Pompeium peteret, omnia illi displicuisse, praeter mortem.*"

obeditumque] Amerb. male *oboeditumque;* v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I, 1. p. 62.

§. 3. *magnae*] Speciose admodum Ruhnkenius coniecit *macedonicae,* sensu valde plano ac vero, eoque rem facile persuasit Censori in Bibl. German. univ. Vol. XLVIII. p. 530., Orellio et Kreyssigio. Neque tamen vulgata, id quod recte sensit Ianius, adeo ieiuna est, ut illis visum. Nam quum Velleius eo consilio rursus ad Metellum rediisset, ut ingentem eius calamitatem domesticam cum summa gloria atque honore splendidissima victoria parto componeret, profecto convenientius fuit istam victoriam a magnitudine, quam a gente victa designare.

compoti] Ed. pr. et Amerb. *compote,* quod ortum ex falsa constructione; v. Prolegg. c. III. p. CV sqq. Vitium correxit Ed. Basil.

quattuor] Ed. pr. *quatuor;* Amerb. *quattuor,* ut infra I, 11, 6. 7., quod cum Kreyssigio Praef. p. XI. et ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragm. p. 44. rectius iudicamus. cf. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I, 2. p. 446. Zumpt. §. 12. p. 10. Ed. VIII.

duos natu] Amerb. *duo natu,* quod quominus ut supra I, 8, 4. probemus, obstat Rhenani et Burerii auctoritas.

minores natu] Haec verba Gruterus temere ut glossam vocis *praetextatos* eiicienda censet.

habuit] Ruhnkenius ante hanc vocem excidisse censet *domi,* permotus auctoritate Livii XLV, 40, 7., Plutarchi vit.

more maiorum ante triumphi diem ordinem actorum suorum commemoraret, deos immortalis precatus est, ut, si quis eorum invideret operibus ac fortunae suae, in ipsum potius saevirent, quam in rempublicam. Quae vox, veluti oraculo emissa, magna parte eum 5 spoliavit sanguinis sui. Nam alterum ex suis, quos in familia retinuerat, liberis ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies. Aspera circa 6

Aemil. p. 274. A. οὓς ἐπὶ τῆς οἰκίας εἶχεν τῆς ἑαυτοῦ, et Vellei ipsius, qui infra §. 5. dicit *quos in familia retinuerat.* Sed quamquam concedi debet, accuratius ita dixisse Velleium, tamen vulgata sana est; nam id ipsum, quod requirit Ruhnkenius, inest in verbo *habuit*, quod praegnanti sensu est *in potestate habuit* sive *retinuit.* Eadem sententia quomodo voce *praetextatus* contineri possit, ut Orellius Baitero auctore censet, non intelligo.

§. 4. *Is cum*] Amerb. inepte *istum.*

contione] Ed. pr. *concione*, incertum, utrum Rhenanus revera scriptum invenerit, an vulgarem orthographiam ex arbitrio secutus sit. Utcunque est, Amerbachius meliorem scripturam exhibere videtur; cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I, 1. p. 251.

ante triumphi diem] Amerb. somnians scripsit *ante triumphum triumphi diem*, ac *triumphi* delevit.

ordinem] Amerb. temere *in ordinem*, praepositione ex *m* littera orta.

actorem suorum] Ed. pr. falso *suorum actorum;* inversum ordinem testantur Burerius et Amerb.

ex suis] Ed. Basil. mutavit in *ex his*, probantibus Ruhnkenio, Ianio, Cludio. Aldus contra, quem sequitur Orellius, *ex iis.* Neutrum opus, ut recte iudicavit Krausius in Addend. p. XXXVII. et Schoepferus Adnotatt. critt. p. 6.; nam Velleius saepe possessivo pronomine utitur, ubi facile eo careas, velut I, 1, 1; II, 17, 3; II, 40, 4; II, 62, 5; II, 82, 3; II, 86, 2; II, 88, 3; II, 120, 4. Neque in verbis *quos in familia retinuerat* offendendum est; quae quamquam abundant, tamen licentia sermonis familiaris, qua Velleius saepe utitur, excusantur. v. Prolegg. c. III. p. LXXII.

haec tempora censura Fulvi Flacci et Postumi Albini fuit; quippe Fulvi censoris frater, et quidem consors, Cn. Fulvius, senatu motus est ab iis censoribus.

1 XI. Post victum captumque Persen, qui quadriennio post in libera custodia Albae decessit, Pseudophilippus, a mendacio simulatae originis appellatus, qui se Philippum regiaeque stirpis ferebat, cum esset ultimae, armis occupata Macedonia, assumptis regni
2 insignibus, brevi temeritatis poenas dedit. Quippe Q. Metellus praetor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum, praeclara victoria ipsum gentemque

§. 6. *Postumi*] Amerb. *Postumii;* Ed. pr. *Posthumij.*

ab iis censoribus] Haec Bothius tanquam spuria uncinis inclusit.

XI, 1. *quadriennio*] Ita Amerb. et Burer. In Ed. pr. vitiose est *quadriennium.*

assumptis regni insignibus] Ed. pr. et Amerb. *adsumpti regni insignibus,* quod Burerius bene correxit. v. Prolegg. c. III. p. CV.

§. 2. *inditum*] Ed. pr. et Amerb. *inditum erat,* quod nullo modo ferri potest, ne tum quidem, si cum Orellio statuas Velleium negligentius sic fere rem animo complexum esse: *cui ex virtute Macedonici nomen aliquando (scilicet post victoriam) inditum erat.* Lipsius coniecit *inditum haeret;* Grunerus *qui ex virtute — ind. habebat.* Melius certe Vossius proposuit *inditum est;* sed haud dubie verum assecutus est. Ed. Basil., qui vidit *erat* ab interpolatore indocto illatum prorsus delendum esse.

immani etiam] Inepte Salmasius in Seebodii Bibl. crit. rei schol. a. 1828. No. 36. p. 287. locum sanissimum sic tentavit: *et immane! etiam Achaeos* etc.

incipientis] Ita Amerb.; *incipientes* Ed. pr.

§. 3. *Metellus Macedonicus*] Haec verba Gruterus a librario inserta putavit.

quae fuere] Amerb. *quae fuerunt.*

superavit, et immani etiam Achaeos, rebellare incipientis, fudit acie. Hic est Metellus Macedonicus, 3
qui porticus, quae fuere circumdatae duabus aedibus sine inscriptione positis, quae nunc Octaviae porticibus ambiuntur, fecerat, quique hanc turmam statuarum equestrium, quae frontem aedium spectant, hodieque maximum ornamentum eius loci, ex Macedonia detulit. Cuius turmae hanc causam referunt, Ma- 4
gnum Alexandrum imperasse Lysippo, singulari talium auctori operum, ut eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa

aedibus] Cludius suspicatur, post hanc vocem excidisse *ab ipso.*

positis, quae nunc] Ruhnkenius, quo orationem faceret concinniorem, *quae* tollendum censuit, ut verba *nunc Octaviae porticibus ambiuntur* parenthesin efficerent. Melius certe hoc quam Heinsii commentum, qui, ne relativum toties recurreret, paullo ante pro *porticus, quae fuerunt circumdatae* maluit *porticus circumdatas.* Sed uterque oblitus est, non esse editoris auctorem ipsum corrigere, etiamsi negligentiae culpa liberari non possit.

eius loci] Cludius, non assecutus *hodieque* esse *hodie quoque*, ut II, 61, 3., post *loci* inserendum censet *sunt.*

§. 4. *imperasse Lysippo, singulari talium auctori operum*] Ed. pr. et Amerb. *impetrasse a Lysippo, sing. tal. auctore oper.*, quam scripturam emendavit Freinshemius ad Curt. III, 11, 27. et Salmasius in Seebodii Bibl. crit. rei schol. a. 1828. No. 36. p. 287. Non multis enim precibus extorsisse Alexandrum atque impetrasse a Lysippo statuas illas, sed imperasse i. e. fieri voluisse, ut per se probabile est, ita patet testimonio Arriani I, 17. *Μακεδόνων δὲ τῶν μὲν ἑταίρων ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ πέντε τῇ πρώτῃ προσβολῇ ἀπέθανον, καὶ τούτων χαλκαῖ εἰκόνες ἐν Δίῳ ἑστᾶσιν, Ἀλεξάνδρου κελεύσαντος Λύσιππον ποιῆσαι.* Inverso modo *impetrare* confusum est cum *imperare* infra II, 107, 2. et apud Tacit. Hist. I, 52. Verbo

similitudine figurarum faceret statuas, et ipsius quoque
5 iis interponeret. Hic idem, primus omnium Romae
aedem ex marmore in iis ipsis monumentis molitus,
6 vel magnificentiae vel luxuriae princeps fuit. Vix ullius gentis, aetatis, ordinis hominem inveneris, cuius felicitatem fortunae Metelli compares. Nam praeter excellentis triumphos honoresque amplissimos et principale in republica fastigium extentumque vitae spatium

autem semel corrupto, necesse erat etiam *a* praepositionem addi et *auctori* in *auctore* abire.

§. 5. *molitus, vel magnificentiae*] Ruhnkenius suspicabatur *huius* excidisse ante *vel*, ut sententia talis foret, qualis habetur II, 33, 4. aut I, 13, 5., de quo *hic* pronominis usu egit Gronov. ad Liv. XXV, 40, 2. Sed vulgata est sanissima, siquidem nulla plane caussa est, cur Velleio non licuerit in universum Romanorum luxuriam ac nimiam magnificentiam vituperare. Perperam igitur Cludius Ruhnkenii coniecturam, etiam Censori in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 531. probatam, in textum recepit, qui ipse, quamquam alienissimo loco II, 1, 2. permotus, de eius veritate dubitaret; sed prorsus temere Bothius scripsit *molitus eius vel m.*

§. 6. *excellentis*] Lipsius malebat *excellentem triumphum*, quia de pluribus Metelli triumphis non constet. Ruhnkenius Grutero praeeunte vulgatam ferri posse censet, si statuas pluralem ad augendum triumphi splendorem pro singulari esse positum. Ianius contra cum Sigonio in Fastis ad a. 611. statuit plures sane Metelli triumphos fuisse, quorum memoria vel casu interciderit, vel iam antiquorum scriptorum tempore incerta fuerit. Mihi, ceteris scriptoribus omnibus in uno Metelli triumpho consentientibus, probabilius videtur Velleium non satis fida memoria in errorem incidisse similem eius, quem supra I, 9, 3. tetigimus.

extentumque] Ed. pr. et Amerb. *extenuatumque*, quod Ed. Basil. verissima emendatione mutavit in *extentumque*. Bene Burmannus comparavit Horat. Od. II, 2, 5. *Vivet extento Proculeius aevo.* Plura v. apud Oudendorp. ad Appul. Met. V. p. 360. Laurentius in Locis Vell. p. 132. coniecit *extentatumque*, quod in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 13.

et acris innocentisque pro republica cum inimicis contentiones, quattuor filios sustulit, omnis adultae aetatis vidit, omnis reliquit superstites et honoratissimos. Mor- 7
tui eius lectum pro rostris sustulerunt quattuor filii, unus consularis et censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis feliciter de vita migrare quam mori.

p. 120. a nobis laudatum non amplius probamus, postquam persuasum nobis est, *extenuatum* non confusione *t* et *u* litterarum, sed eo, quod verbum plenum pro compendiose scripto haberetur, ortum esse. cf. Prolegom. c. III. p. XCIX.

et acris innocentisque] Ed. pr. *et acreis innocenteisque;* Amerb. ut edidimus. Bothius scripsit *nec acres innoc.;* sed vulgatam bene tuetur Ianius sic explicans: graves ac vehementes quidem, sed tamen, sine acerbitate, malignitate aut odio proprio susceptas. cf. Cic. de Amic. 21, 77. de Offic. I, 25, 87. Valer. Max. IV, 1, 12., ex quibus locis patet Velleium intelligere contentiones cum Scipione Africano Minore exercitas, quae sane fuere acres sine acerbitate.

quattuor] Ed. pr. *quatuor*, pariterque statim post §. 7. v. ad I, 9, 3.

omnis] Ed. pr. bis *omnes.*

§. 7. *quattuor filii*] Cuperus in Syllog. Epist. Norimb. p. 450 tolli vult has voces, Ruhnkenio assentiente. Multo probabilius Laurentius in Locis Vell. p. 132. pro *filii* scribendum coniecit *illi*, de quo diximus in Zimmermanni Ann. Studd. antiq. a. 1837. No. 13. p. 120. Nihilominus non ausus sum in textum recipere, quum vulgata ferri posse videatur, si statuas eo consilio Velleium easdem voces repetiisse, ut *novum quoddam et prorsus singulare felicitatis genus*, mortui lectum per *quattuor filios* sublatum, maiore vi extolleret.

quem honorem] Munckerus apud Heinsium coniecit *quem et honorem.* Casp. Barth. ad Stat. Theb. IV, 624. maluit *quem honorum.*

migrare] Amerb. *immigrare,* unde Lion apud Orell. Praef. p. XVI. coniecit *e vita emigrare;* Kreyssigius Praef. p. XI.

1 XII. Universa deinde, ut praediximus, instincta in bellum Achaia, cuius pars magna eiusdem Metelli Macedonici virtute armisque fracta erat, maxime Corinthiis in arma cum gravibus etiam in Romanos contumeliis instigantibus, destinatus ei bello gerendo con-
2 sul Mummius. Et sub idem tempus, magis quia vo-

de vita emigrare, quod per se haud malum est. Sed quum Burerii silentium documento sit in cod. Murb. *migrare* scriptum fuisse, non dubitari potest, quin Amerbachius lapsus sit. *De vita migrare* dixit etiam Cicero de Finn. I, 19, 62. Similia v. apud Handium de Particc. Latt. Vol. II. p. 186.

XII, 1. *universa*] Ed. Basil. coniecit *universale*, ut pertineret ad *bellum*.

instincta] Gelenius apud Orellium maluit *incensa*, fortasse propter sequens *instigantibus*. v. Prolegg. c. II. p. LXVIII.

cuius pars] Ed. pr. et Amerb. *cum pars*, soloecâ structurâ obscurâque sententiâ. Cuius, in quod etiam Gelenius incidit teste Orellio, primus e coniectura edidit Aldus.

fracta] Ed. pr. et Amerb. *tracta*, quod Aldus correxit, ita tamen, ut rursus veri inventi laudem cum Gelenio partiatur.

§. 2. *Carthaginiensibus*] Ita Burer. et Amerb.; — *Carthaginensibus* Ed. pr.

dicebatur] Ita Ed. pr. et Amerb. Burerius haec annotavit: „Exemplar vetustum habet *diceretur; ba* ab alio quopiam additum videtur. Nam non est chirographum veteris exemplaris.“ Sed indicativus unice verus est, ut recte ostendit Klotzius in Novis Annall. Phil. et Paed. Vol. XVII. fasc. 6. p. 198. Nam sententia neque ad consilium aliquod Romanorum, neque ad incertum eventum, siquis futurus esset, qui male de Carthagine diceret, refertur, sed ad rem vere factam; credebant enim omnia, quae *dicebantur*. Ex ed. Basil. coniunctivus omnes libros invasit.

§. 3. *eodem tempore*] Raphelengius haec verba, quia praecedit *sub idem tempus*, e glossemate in textum venisse ac rursus expellenda censet. Repetitione eiusdem sententiae offensus est etiam Grunerus, qui coniecit *itaque in tempore*. Sed Orellius recte vidit, huius loci naturam talem esse, ut appareat,

lebant Romani quicquid de Carthaginiensibus dicebatur credere, quam quia credenda afferebantur, statuit senatus Carthaginem excidere. Ita eodem tempore P. 3
Scipio Aemilianus, vir avitis P. Africani paternisque L. Pauli virtutibus simillimus omnibus belli ac togae dotibus, ingenique ac studiorum eminentissimus seculi

minime librarii aliquam fraudem, sed ipsius scriptoris negligentiam elegantiae orationis offecisse.

belli ac togae dotibus] Amerb. *belli acto ac togae dotibus*, oculis ac mente a vero aberrantibus. In structura offensus Ruhnkenius coniecit *omnibus belli ac togae artibus, ingeniique ac studiorum dotibus eminentissimus*. Eodem spectat Orelli emendatio *omnibus belli ac togae artibus dotibusque ingeni ac studiorum eminentissimus*, quam nollem probassem in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a 1837. No. 9. p. 86 sq. Eiusdem generis est, quod Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 532. proposuit *omnium belli ac togae dotium ingeniique* etc., aut Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 439. *omnibus belli artibus ac togae, ingenique dotibus ac studiorum emin.* Vulgata enim sanissima est, quamquam non ita expedienda, quemadmodum Ianio placuit, ut omnes genitivi, *belli, togae, ingenii, studiorum*, pendeant ex voce *dotibus*, aut quemadmodum Waltherus voluit, ut diversi casus *dotibus* atque *ingeni ac studiorum* pariter ex adiectivo *eminentissimus* apta sint. Res multo est simplicior. Nam ut vulgo dicitur *alicui similem esse aliqua re*, ita h. l. Velleius Scipionem dixit *avitis virtutibus simillimum omnibus dotibus belli*, ad quam sententiam in clarissima luce ponendam nihil aliud opus est, quam ut comma, in omnibus edd. vitiose post *simillimus* positum, collocetur post *dotibus* vocem, ut a nobis factum vides. *Dotes belli ac togae* autem nihil aliud sunt, quam *artes belli et pacis*, ut bene vidit Ianius, sive prudentia rerum militarium ac civilium. De genitivis *ingeni ac studiorum* ex *eminentissimus* pendentibus si quis dubitet, adeat Ruddim. Institt. Gramm. Vol. II. p. 73—8. cf. hoc ipso capite §. 4. *modicus virium*. De comparatione compendiosa, qua *Scipio* dicitur avitis *virtutibus simillimus* v. Kuehner. ad Cic. Tuscc. I, 1, 2. V, 26, 73. et Reisigii Gramm. Lat. §. 378. p. 679. ibique Haasium.

sui, qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit ac sensit, quem Paulo genitum, adoptatum a Scipione, Africani filio, diximus, aedilitatem petens
4 consul creatus est. Bellum Carthagini iam ante biennium a prioribus consulibus illatum maiore vi intulit, (cum ante in Hispania murali corona, in Africa obsidionali donatus esset, in Hispania vero etiam ex pro-

ac sensit] Aldus necessarium putavit *aut sensit*, probante Ruhnkenio. Sed iam Ianius vidit verbis *dixit ac sensit* in unum coniunctis bimembrem modo partitionem effici, *aut — aut* particulis comprehensam.

§. 4. *Bellum Carthagini*] Ruhnkenius ad I, 1. 4. suspicatur excidisse *is* ante *bellum*, idque Bothius recepit. Neque improbavit Haasius in Ephem. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 439., quamquam mavult deleta *est* voce orationem continuari. Sed neutrum opus est, cum Velleius orationis accurate nectendae saepissime negligens sit.

intulit] Bothius, non intellecta vi verbi cum comparativo repetiti, scripsit *impulit*, coll. Lucano V, 380. *Impulsi tantum quae praemia belli auferat.*

cum ante — hostem interemisset] Haec verba parenthesis signo circumscripsimus, quum luce clarius sit, quae sequuntur *eamque urbem — sustulit*, arctissimo vinculo cohaerere cum praecedentibus *bellum Carthagini intulit.* Male igitur in ed. Krausii, Cludii, aliisque puncto post *interemisset* posito oratio dissecatur.

§. 5. *magis invidia imperi, quam ullius eius temporis noxiae invisam*] Recte vidit Ianius, praeeunte Heinsio, *noxiae* genitivum pariter ut *imperi* pendere ex *invidia;* bene idem monuit, non esse quod *invidia* ad *invisam* relatum propter vocabulorum similem vim vitiosum putetur, collato Cicerone p. Mil. c. XIII, 35. *Quid enim odisset Clodium Milo, praeter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus?* quamquam simpliciter dici non potest *invidiâ invisum esse, odio odisse,* aut similia, nisi substantivum verbo cognomine accuratius definiatur, ut nostro loco fit addita voce *imperi*, apud Ciceronem per *civile* adiectivum. Vulgatae sensus igitur hic est: sustulit

vocatione, ipse modicus virium, immanis magnitudinis hostem interemisset,) eamque urbem, magis invidia imperi quam ullius eius temporis noxiae invisam Romano nomini, funditus sustulit, fecitque suae virtutis monimentum, quod fuerat avi eius clementiae. Carthago diruta est, cum stetisset annis sexcentis septuaginta duobus, abhinc annos centum

eam urbem, Romanis invisam, magis *quia aegre ferebant (invidiâ)* aemulationem imperii, quam culpam aliquam, quae illo certe tempore nulla erat. Acidalius coniecit *ullis eius temporis noxis;* — Gruterus *ulla eius temporis noxa;* — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. p. 287. *ulla illius temporis noxia;* — Burmannus *noxiae inimicam;* — Bothius *magis dividuo imperio, quam ulla eius temporis noxia.*

monimentum] Ita in cod. Murb. exstare testatur Burerius, quae vocabuli forma non est cur damnetur, quam constat unice probatam fuisse Iul. Caesari; cf. Cassiodor. p. 2284. — Ed. pr. et Amerb. habent *monumentum*, in scriptura codicis parum distincta vulgarem formam secuti.

suae virtutis] Clericus in Bibl. Anc. et Mod. Tom. V. p. 142. speciose coniecit *severitatis*, quod sane accuratius *clementiae* opponitur. Sed commode Burmannus contulit Liv. XXXVII, 6, 6. ubi ipse Africanus haec dicens inducitur: *multas gentes populosque in Hispania prius, deinde in Africa in fidem suam venisse, in omnibus se maiora clementiae benignitatisque, quam virtutis bellicae monumenta reliquisse.*

avi eius] Heinsius, vulgata temere offensus, coniecit *avitae clementiae*, vel *avitae decus clem.*, vel *avitae prius clementiae.* In ed. Iunt. *eius* deletum.

annis sexcentis septuaginta duobus] Amerb. *annis DCLXVI;* at Ed. pr. *annis DCLXVII*, unde facilis ac certa prodit emendandi ratio. Nam quum Carthago auctore Velleio I, 6, 4. *sexaginta quinque* annis prius conderetur quam Roma urbs, excideretur autem a. u. c. 607. (v. Fastt. capitt. h. a. p. 42. ed. Laur., Liv. Epit. lib. XLIV., Eutrop. IV, 10., Oros. IV, 22.), annis 65 et 607 coniunctis efficiuntur anni 672, quem numerum habebis signo

septuaginta tris, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio
6 consulibus. Hunc finem habuit Romani imperi Carthago aemula, cum qua bellare maiores nostri coepere Claudio et Fulvio consulibus ante annos ducentos nonaginta duos, quam tu, M. Vinici, consulatum inires. Ita per annos centum et viginti aut bellum inter eos

V in X mutato; v. Prolegg. c. II. p. XLIII. Idem vidit etiam Ianius; — Krausius in Addend. p. XXXIX. maluit *annis DCLXXIII;* — Laurentius in Fastt. coss. capitt. p. 83., implicatiorem rationem secutus, defendit numeros Ed. pr.

annos centum septuaginta tris] Ed. pr. et Amerb. *annos CCLXXVII;* sed Burerius testatur in cod. Murb. fuisse *annos CLXXVII;* qui numerus verus erit, si nobiscum scripseris *annos CLXXIII;* nam corruptela orta ex unitatis signo in quinarium numerum depravato, quod etiam in sequente numero factum est. Annorum autem ratio haec est: quum scripserit Velleius anno u. c. 780 (v. Prolegg. c. II. p. XXI sqq.); inter hunc annum et eum, quo excisa est Carthago, 173 interesse invenies, 607 a 780 detractis. Eandem rationem Velleius etiam tetigit infra II, 38, 2., ubi numeri aliam corruptelam traxerunt; nam pro *CLXXXII* scribendum est *CLXXIII*, unitate in denarium, numerum ut hic in quinarium, depravata. — Krausius in Addend. p. XXXIX. coniecit *annos CLXXV;* — Valesius ad Excerpt. Peiresc. p. 32. *annos CLXXIV;* — Laurentius in Fastt. coss. capitt. p. 83. Burerii numeros *CLXXVII* defendit.

§. 6. *ante annos ducentos nonaginta duos*] Ed. pr. et Amerb. *ante annos DCXCVI,* cuius numeri ratio constabit, si, ut in annotatione praecedente diximus, *VI* mutaveris in *II;* nam quum initium primi punici belli incidat in annum u. c. 489, Vinicii autem consulatus in a. 781, priore numero ab hoc detracto, relinquitur 292. Eundem numerum invenit etiam Laurentius in Fastt. coss. capitt. p. 83., sed via parum commendabili; Krausius in Addendis p. XXXIX. coniecit *annos CCXCIII.*

per annos centum et viginti] Ed. pr. et Amerb. *per annos CXV.* Accurate supputati anni ab initio primi belli punici usque ad finem tertii sunt 119; initium enim fuit a. u. c. 489, finis 607; quare 489 si a 608 subtraxeris habebis 119. Sed quoniam improbabile est numerum *IIII* excidisse, non dubito quin

populos, aut belli praeparatio, aut infida pax fuit; neque se Roma, iam terrarum orbe superato, secu- 7
ram speravit fore, si nomen usquam stantis maneret Carthaginis (adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat, et ne in victis quidem deponitur), neque ante invisum esse desiit, quam esse desiit.

Velleius rotundum numerum 120, unitate maiorem vero, posuerit, quemadmodum II, 38, 4. et II, 90, 2. tempus, quo P. et Cn. Scipiones primum exercitum in Hispaniam duxerunt, rotundo numero CCL definivit. Vulgata igitur scriptura eo orta est, quod X in V abiit, quod etiam paullo ante factum vidimus; v. Prolegg. c. II. p. XLIII. Ianius recte *CXX* scripsit, sed perperam pro pleno atque iusto numero habet; Krausius in Addend. p. XXXIX. maluit *per annos CXVIII;* Laurentius in Fastt. coss. capitt. p. 92. vulgatam tuetur.

§. 7. *orbe*] Amerb. *orbi.*

si nomen usquam] In Amerb. est *si mo*^{nim} *usquam*, unde Baiterus apud Orellium fecit *si monimentum usquam;* Laurentius contra in Locis Vell. p. 132. suspicatur fuisse *si minimum usquam;* utrumque, si quid video, absurdâ sententiâ, propter *usquam* vocem. *Nomen*, quod Rhenanus in Ed. pr. expressit et Burerius silentio suo confirmat, verissima lectio est, cuius sensum, *stantis* vocabulo nitentem, recte sic explicuit Ianius: „si usquam terrarum Carthago ut stans, nec potius ut iacens, *commemoraretur.*“

in victis] Lipsius scripsit *in victos*, ignoratione usus dicendi. cf. II, 31, 3. II, 43, 3. Hand. de Particc. Latt. Vol. III. p. 265 sq. §. 30. et annotat. nostram ad Sall. Cat. c. IX, 2. p. 47 sq.

invisum esse desiit] Ed. pr. et Amerb. *inv. esse desinit.* In totius loci conformatione Lipsii partim, partim Burmanni rationem secuti sumus. Nam quum vulgo post *Carthaginis* maiore interpunctione distinguatur oratio, ita ut sequentia novam exordiantur sententiam, cuius altera eaque negativa pars contineatur verbis *neque ante invisum* etc., Lipsius acute vidit verba *adeo odium — deponitur* parenthesi esse includenda, ita ut sequentia *neque ante invisum* etc. arctissime cum prioribus cohaereant; sed quod propterea scribendum censet *neque ante invisa esse desiit*, non opus est. Rursus Burmannus, qui bene mo-

1 XIII. Ante triennium, quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendae eius auctor, L. Censorino, M'. Manilio consulibus mortem obiit. Eodem anno, quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum post annos nongentos quinquaginta duos, quam ab Alete, Hippotis filio, erat condita, funditus eruit.
2 Uterque imperator devictae a se gentis nomine hono-

nuit *invisum* pertinere ad *nomen Carthaginis*, perperam tuetur *desinit*, quod in generali sententia probum foret, sed ad Carthaginem relatum necessario cum Lipsio in perfectum est mutandum. Sententia igitur talis est, ut ex altera parte *Romae metus*, ex altera *Carthaginis invidia* sibi opponantur, quo quam egregie caussa huius delendae declaretur in oculos incurrit. Vulgatam defendit Baiterus apud Orellium, censens ex voce *odium* ad sequentia cogitatione eliciendum esse hoc: *neque id quod odimus ante invisum esse desinit*, eamque rationem amplectitur etiam Halmius in Emendd. Vell. p. 18. nobis olim in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 125. non dissentientibus. Cludius coniicit pro *neque ante* fuisse *nec quidquam ante*, similiterque Orellius scribi voluit *desinit quidquam, quam*. Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 439. suasit: *et ne in victo quidem — invisus esse*. Bothius scripsit *neque ante invisum invisum esse desinit*.

XIII. §. 1. *M'. Manilio*] Ed. pr. et Amerb. *M. Manlio*. Errorem correxerit Aldus; cf. Fastt. coss. capitt. p. 42. ed. Laur. ac vide Ernestii Clav. Cic. Bothius quo iure vulgatam restituendam putaverit, non assequor.

L. Mummius] Ed. pr. *A. Mummius*, Burerius *a Mummius*; Amerbach. *Amummius*. Scribendum esse *L. Mummius* iam Rhenanus vidit. Vossius *a* vel *A* deleri voluit; Burerius putavit fuisse *at*, Herelius p. 560. contra *et*.

ab Alete Hippotis] Ed. pr. *a Belete Hipponis*; Amerb. *ab Elete Hipponis*. Veram lectionem restituit Ed. Basil. et H. Iunius Animadv. VI, 25. cf. Pausan. II, 4, 3. *Τούτων βασιλευόντων Δωριεῖς στρατεύουσιν ἐπὶ Κόρινθον· ἡγεῖτο δὲ Ἀλήτης Ἱππότου.*

§. 2. *a se gentis*] Amerb. *eas gentis*.

ratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaicus. Nec quisquam ex novis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicavit. Diversi impe- 3
ratoribus mores, diversa fuere studia; quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator fuit, ut Polybium Panaetiumque, praecellentis ingenio viros, domi militiaeque secum

§. 3. *Diversi*] Amerb. *diversis.*

et auctor et admirator] Amerb. *et auctor et administrator*, superscripto *admirator.* — Lipsius pro *auctor* legebat *fautor;* quod bene refellit Scioppius de Stilo Hist. p. 176. et Heinsius ad h. l. Multo deterius est, quod Davisius ad Cic. Acad. II, 2. reponi volebat, *auditor.* Sed ipse repudiavit ad Cic. de Fin. IV, 16. ubi *auctor philosophiae* dicitur, qui philosophiae auctoritatem dat, qui exemplum philosophiae colendae praebet. Sic Velleius infra II, 26, 2. *Damasippus Scaevolam, divini humanique iuris auctorem celeberrimum, trucidavit.* Ruhnk. Praeterea Heinsio aliquando placuit pro *auctor* scribi *altor.* Cludius autem, offensus voce *elegans,* in hanc coniecturam incidit: *quippe Scipio tam diligens liberalium studio artium, omnisque* etc.

habuerit] Cludius suspicatur scribendum esse *haberet,* quo non opus esse accuratior grammaticae cognitio facile eum poterat docere. cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 76, 10. §. 504. p. 435. ed. VIII. et, qui enucleatius etiam de ea re exposuit, Billrothium in Gramm. Lat. §. 229. p. 285.

elegantius] Acidalius putavit etiam scribi posse *diligentius,* in quod etiam Friebelius Gr. Satyrogr. Fr. p. 146. incidit.

otio dispunxit] Claud. Puteanus ad Pacat. Paneg. c. 10. legendum censet *otio distinxit,* ut hunc locum etiam laudat Sigonius in Vita Scipion. Aemil. p. 1102. Sed verbum *dispungere* exquisitius est altero, nec minus accommodatum sententiae. cf. Cic. de Orat. II, 80, 328. *Narratio distincta personis et interpuncta sermonibus.* Orat. 16. *Distincta alios et interpuncta intervalla, morae, respirationesque delectant.* Ruhnk.

habuerit. Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli aut pacis serviit artibus. Semper inter arma ac studia versatus aut corpus periculis aut animum 4 disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, si eas perdidis- 5 sent, novas eos reddituros. Non tamen, puto, dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit manere

semperque aut belli aut pacis serviit artibus etc.] Haec verba Ruhnkenius, Ianius et Baiterus apud Orellium, praeeunte Sigonio in Vita Scipion. Aemil. p. 1102., de glossemate suspecta habent, haud dubie, quia *serviit* de Scipione intelligentes in mutato subiecto offenderunt; sed cf. II, 33, 2. II, 4, 3. et quae de simili re diximus ad II, 79, 4. Herelius p. 561. sic locum tentavit: *semperque aut belli aut pacis serviens artibus corpus periculis, animum disc. exerc.* Cludius *magis* inseruit post *pacis;* quod quamquam non est necessarium, eo tamen praestat ceterorum coniecturis, quod sententia ita refertur ad praegressum *quisquam*, non ad *Scipionem*. Sed Orellius verissime monuit, eundem sensum vulgata contineri, siquidem vel ipsum vocabulum *elegantius*, vel generalior quaedam comparativi vis inde elicienda et cum *semper* voce coniungenda Scipionis comparationem cum aliis institutam altero orationis membro continuat. Si qua igitur in loco inest durities, magis in eo cernitur, quod Velleius parum accurata et *ἀναχολούθῳ* oratione usus est, quam quod glossa, cuius neque caussa neque vestigium apparet, in textum irrepserit.

serviit] Boxhornius putabam aliquando, inquit, rescribi oportere *ferbuit*, aut *floruit*.

semper inter arma etc.] Cludius scripsit *semper enim inter ar.* — Krausius in Addend. p. XXXIX. verba *inter arma ac studia versatus* tanquam glossema insequentium verborum eiicienda censet.

§. 4. *Mummius*] Cludius suspicatur fuisse *Mummius au-*

adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi, et quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.

XIV. Cum facilius cuiusque rei in unum con- 1
tracta species, quam divisa temporibus oculis animisque inhaereat, statui priorem huius voluminis posterioremque partem non inutili rerum notitia in arctum contracta distinguere, atque huic loco inserere quae quoque tempore post Romam a Gallis captam deducta sit colonia iussu senatus. Nam militarium et causae

tem, particulâ sequente voce interceptâ. Non utique opus est nexa oratione; alioquin melius foret *At Mummius.*

novas eos reddituros] Heinsius scripsit *novas esse reddituros*, futili de caussa, quia *eas* praecesserit; sed nihilominus persuasit Ruhnkenio aliisque. Haud male Orellius ad vulgatam tuendam dicit *eos* magis referre formularum sermonem.

dubites] Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828, p. 287. *dubitas;* Cludius edidit *dubitabis.*

fuerit manere] Cludius et h. l. et statim post *fuerit* mutavit in *foret*, Velleii usum ita postulare dicens. Sed *fuerit*, h. l. non de praeteriito capiendum, sensu non differt a *sit*, ut fit in sententia cum aliqua modestia proposita; cf. I, 18, 2. *Neque ego hoc magis miratus sim*, v. Zumpt. Gramm. Lat. c. 78, 3. §. 527. p. 457. ed. VIII.

decori publico] Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 8. coniicit *fenori publico*, quo nihil potest cogitari absurdius.

XIV, 1. *quam divisa*] Heinsius melius putavit *quamvis divisa*, non videns comparari inter se rerum speciem *in unum contractam* et *temporibus divisam.*

iussu senatus] Amerb. *iussus senatus.*

et causae] Ed. pr. et Amerb. *et causa;* sed Burerius „exemplar vetustum, inquit, sic habuisse videtur: *nam militarium et causae;* apiculo illo, quo fit diphthongus, abraso.“

et auctores ex ipsarum praefulgent nomine. Huic rei per idem tempus civitatem propagatam auctumque Romanum nomen communione iuris haud intempestive
2 subtexturi videmur. Post septem annos, quam Galli

ex ipsarum praefulgent nomine] Ed. pr. et Amerb. *et ipsarum praefulgent nomina.* Heinsio viam monstrante, qui coniecit *ex ipso praef. nomine*, (*et* cum *ex* confusum est etiam infra II, 52, 8.) Burmannus veram restituit lectionem, a nobis in contextu expressam. Sensum bene explicuit Ianius haec annotans: „Scilicet ipsa earum nomina caussas et auctores prodebant, ut *Colonia Iulia, Colonia Augusta Vindelicorum, Ubiorum, Trevirorum, Colonia Augusta Emerita, Colonia Agrippina, Colonia equestris, Colonia secundanorum, sextanorum, decumanorum*" etc. De coloniis militaribus cf. Sigon. de Antiq. iure Ital. III, 4. p. 773—790. ed. Lips. et Fussii Antiqq. Rom. §. 242. p. 222. ed. III. — Bothius edidit *auctores ipsarum praefulgent nominibus.* Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 8. scripturam ed. pr. defendit, *nomina praefulgent* interpretans *n. nota sunt, recenti memoria tenentur, quia non ad antiquitatem pertinent.* Quasi vero antiquiorum coloniarum nomina non nota fuerint! — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 45. p. 383. mavult *ex ipso earum nomine*, quod sensu bonum est, sed infra simplicitatem Burmannianae emendationis subsistit.

Huic rei] Cludius, sine caussa in h. l. haerens, legendum proposuit *hac re.*

civitatem propagatam] Ed. pr. et Amerb. *civitates propagatas*, frequenti terminationum in *s* et *m* confusione; v. Prolegg. c. III. p. XCIV. Locum emendavit Lipsius, auctoris consilium recte sic explicans: „Ego, inquit Velleius, *colonias* recensebo, et eadem opera *communicatam finitimis civitatem.* Utrumque enim ad ampliationem imperii spectat, sive cum missi in exteros e civibus coloni, sive cum exteri admissi in cives." Editionis pr. lectionem, qua coloniae potius Roma emissae, quam urbes in civitatem receptae designantur, nihilominus tuetur Schoeferus in Adnotatt. critt. p. 9; — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. p. 287. *civitate propagata.* Grunerus *per civitates propagatum* etc.

communione] Ruhnkenius malebat *communicatione*, coll.

urbem ceperunt, Sutrium deducta colonia est, et post annum Setia, novemque interiectis annis Nepe; deinde interpositis duobus et triginta Aricini in civitatem recepti. Abhinc annos autem trecentos sexaginta 3

Cic. p. Balb. c. 13, 31. Recte tamen censuit vulgatam ferri posse; *communio* enim h. l. est *instituta iam et perfecta communicatio.*

§. 2. *Sutrium*] Sigonius ad Liv. VI, 16, 6. et Ursinus ad h. l. *Sutrium* mutant in *Satricum*, quos secutus videtur Wesseling. ad Diod. Sic. XV. p. 22. Sed idem Sigonius de Ant. Iur. Ital. II, 5. p. 407 [T. I. p. 674. ed. Lips.] tenet vulgatam lectionem *Sutrium*. Vide Drakenborch. ad Liv. VI, 3, 2. et IX, 32, 1. Ruhnk. In re incerta et varie a scriptoribus tradita frustra studebis Livium cum Velleio conciliare; quam ob rem a codicis scriptura non est recedendum. cf. Madvigii Opuscc. Acadd. p. 296.

Setia] Ed. pr. et Amerb. *Setina*, pro quo Aldus Nepos scripsit *Setia*. Recte; nam *Setina* adiectiva forma est. De hac colonia v. Duker. ad Liv. XXVI, 8, 10. Eius mentio in lapide apud Murator. 1117. 5. Ruhnk.

Nepe] Vossio auctore omnes fere editores scripserunt *Nepet*, quae sane vulgaris est huius nominis forma, cf. Prisc. p. 687. Charis. p. 78. et 106. Interpp. ad. Liv. VI, 9, 2. Conr. Leop. Schneideri Gram. Lat. Vol. II, 1. p. 373., quamquam etiam *Nepete* in usu fuit. Sed *Nepe* quoque urbi nomen fuisse non solum testatur Tabula Peutingeriana, et Procopii auctoritas, qui de reb. Goth. XV. eam vocat *Νέπα*, sed maxime intelligitur ex adiectivo *Nepensis* apud Frontinum de Colon., quod non nisi ab ista forma duci potuit. Quare errant, qui h. l. *Nepe*, quod Ed. pr. et Amerb. tuetur, librarii lapsu ortum putant.

Aricini] Amerb. *Aricini et in civ.*, unde Orellius suspicatur lacunam esse in contextu, quae quomodo supplenda sit, patere ex Livio VIII, 14, 3. *Aricini Nomentanique et Pedani eodem iure, quo Lanuvini, in civitatem accepti.* Sed quum Burerius nihil annotaverit, maior est huius et Rhenani, qui *et* non habet, auctoritas, quam Amerbachii, cui, falso copulam inserenti, plus iusto tribuit Orellius, praesertim quum nulla necessitas sit, Velleium eadem quae Livium tradere; cf. Froehlich. in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 37. p. 306 sq.

§. 3. *trecentos sexaginta*] Ed. pr. et Amerb. *CCCL*, qui

Sp. Postumio, Veturio Calvino consulibus Campanis data est civitas partique Samnitium sine suffragio, et eodem anno Cales deducta colonia. Interiecto deinde triennio Fundani et Formiani in civitatem recepti, eo
4 ipso anno, quo Alexandria condita est, insequentibusque consulibus ac Sp. Postumio, Philone Publio censoribus Acerranis data civitas, et post triennium Tarracina deducta colonia, interpositoque quadriennio

numerus aperte falsus est, quum Sp. Postumii ac Veturii Calvini consulatus incidat in annum u. c. 419, a quo usque ad Vinicii consulatum, quem in Prolegg. c. II. p. XLI. anno u. c. 781. a Velleio assignari docuimus, anni sunt 362, ita ut *CCCLXII* pro *CCCL* scribendum foret. Et potuisse notam XII casu excidere, sane concedendum est. Sed quoniam numeri compositi rarius a scribis negliguntur, nobis probabilius est tantummodo notam X excidisse Numeri autem CCCLX ratio ita constabit, si statuas, Velleium numerasse annos usque ad 780, quo scripsit, id quod coniicias ex *abhinc* voce; et quum sic quoque anni 361 efficiantur, numero potius rotundo uti maluisse putandus est. Laurentius, eundem nobiscum numerum in Fastt. coss. capitt. p. 82. amplexus, Velleium Livii auctoritatem in eo secutum esse censet, quod Orellio quoque persuasit. — Ianius scripsit *annos CCCLXII.*

§. 4. *ac Sp. Postumio*] Ed. pr. et Amerb. *a Sp. Postumio.* Sed civitas a populo, non a censoribus dabatur, ipsosque Acerranos cives Romanos factos esse tradit Livius VIII, 17, 12. *lege a L. Papirio praetore lata.* Quare Ruhnkenius praeeunte Dukero ad Livii l. l. *a* praepositionem deleri voluit. Melius coniecit Krausius in ed. min. *a* depravatum esse ex *ac*, id quod rursus factum videmus infra II, 32, 4. v. Prolegg. c. III. p. XCII sq.

Tarracina] Ed. pr. et Amerb. *Tarracinam*, quem casum Ruhnkenius censuit defendi iis, quae Gronovius ad Liv. IX, 28, 8. et Drakenborchius ad XXXIX, 44, 10. annotarunt. Sed demonstraverunt quidem duplici structura dici *colonia deducitur Suessa*, et *colonia deducitur Suessam*, minime vero utramque constructionem, ubi plures urbes nominantur, coniungi. Merito igitus Lipsius nominativum reposuit, ut poscit sequentium nominum congruentia; quam saepe autem in cod. Murb. peccatum sit

Luceria, ac deinde interiecto triennio Suessa Aurunca et Saticula, Interamnaque post biennium. Decem 5
deinde hoc munere anni vacaverunt; tunc Sora atque Alba deductae coloniae, et Carseoli post biennium. At Q. Fabio quintum Decio Mure quartum consuli- 6
bus, quo anno Pyrrhus regnare coepit, Sinuessam Minturnasque missi coloni, post quadriennium Venusiam; interiectoque biennio M'. Curio et Rufino Cor-

litterae finalis adiectione patebit ex Prolegg. c. III. p. XCIII sq. Minus simpliciter Dacerius ad Festum v. *Saticula* [p. 712. ed. Lindem.] *Tarracinam* retinens scribendum censuit *Luceriam*, — *Suessam Auruncam Saticulam Interamnamque*. — Orellius, Bothius, et Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 9. vulgatam tuentur.

Suessa Aurunca et Saticula, Interamnaque] In Ed. pr. male interpungitur *Suessa, Aurunca, et Sat.* Male etiam apud Krausium aliosque colon ponitur post *Suessa Aurunca*, siquidem verba *interiecto triennio* etiam ad *Saticulam* pertinent; v. Madvigii Opusc. Acad. p. 297. Kreyssig. Praef. p. XII.

§. 6. *At Q. Fabio quintum, Decio Mure quartum*] Ed. pr. et Amerb. *Ad quintum Fabioque Decio Mure quarto.* Feliciter iam Rhenanus priora verba, mira scribendi compendiorum confusione depravata, correxit, coniiciens *at Q. Fabio quintum.* Ed. Basil. hac neglecta emendatione scripsit: *at quintum Fabio, Decio Mure quartum*, in postremo certe vocabulo verum assecutus. Ab utroque discessit Perizonius, in Epp. Syll. Tom. IV. p. 786. emendans: *at quintum Fabio Quinto, Decio Mure quartum*, quod Heinsii, Ianii, Cludii, aliorum assensum tulit. Sed licet facile feratur praenominis post nomen collatio (v. ad II, 26, 2. coll. Gronov. et Drakenb. ad Liv. III, 1, 1. et Praef. nostra ad Sall. Catil. p. XXII.), tamen concidit ista coniectura perverso adverbii loco, quod usus dicendi constantissimus post consulis nomen collocandum exigit. Scripturam a nobis receptam, conflatam ex Rhenani et Gelenii coniecturis, praeivit Orellius.

Sinuessam] Amerb. *in Suessam;* v. Prolegg. c. III. p. XCVI.

M'. Curio] Ed. pr. et Amerb. *M. Curio.* Praenomen *Manii* Ianius auctoritate Fastorum coss. capp. recte restituit.

nelio consulibus Sabinis sine suffragio data civitas.
7 Id actum ante annos ferme trecentos viginti. At Cosam et Paestum abhinc annos ferme trecentos Fabio Dorsone et Claudio Canina consulibus, interiecto quinquennio Sempronio Sopho et Appio, Caeci filio, consulibus Ariminum et Beneventum coloni missi, et
8 suffragi ferendi ius Sabinis datum. At initio primi belli Punici Firmum et Castrum colonis occupata, et post annum Aesernia, postque decem et septem annos Aesulum et Alsium, Fregenaeque post biennium, proximoque anno Torquato Sempronioque consulibus Brundisium, et post triennium Spoletium, quo anno

ante annos ferme trecentos viginti] Ed. pr. vitiose *a. a. f. CCCXXX.* Burerii correctionem, qui numerum *CCCXX* in cod. fuisse tradit, confirmat Amerb. Ceterum v. Prolegg. c. II. p. XLI.

§. 7. *Cosam*] Ed. pr. *Cossa;* Burerius et Amerb. *Cosa.* Accusativum esse necessarium primus vidit Ed. Basil.; constructio enim pendet ex verbis sequentibus *coloni missi.*

et Claudio Canina] Copulam omisit Ed. Basil., non male, sed praeter necessitatem.

Ariminum et Beneventum] Copulam, quae in Ed. pr. et cod. Amerb. deest, recte restituit Ianius, latinitate ita postulante; cf. annot. ad I, 4, 1. et Kreyssig. Praef. p. XII.

§. 8. *At initio*] Bothius scripsit *ab initio*, non aliam ob caussam, quam quia iam praecedit *at Cosam.* Sed in talibus offendere certe est Velleii morem ignorare. v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

postque decem et septem annos] Ed. pr. et Amerb. *postque XXII annos*, quod falsum esse primus vidit Aldus Nepos, quamquam praeter Sigonium de Antiq. Iure Ital. II, 5. p. 679. et Ianium nemo eum secutus est. Nam quum Velleius initium belli Punici primi ponat a. u. c. 489, Torquati autem et Sempronii consulatus incidat in annum 509, qui est vicesimus primus ab incepto bello, in promptu est, *viginti*, non *quinque et viginti*, annorum spatium intercedere, qui numerus efficitur, si *XXII* mu-

Floralium ludorum factum est initium. Postque biennium deducta Valentia, et sub adventum in Italiam Hannibalis Cremona atque Placentia.

XV. Deinde, neque dum Hannibal in Italia 1
moratur, neque proximis post excessum eius annis vacavit Romanis colonias condere, cum esset in bello conquirendus potius miles quam dimittendus, et post bellum vires refovendae magis quam spargendae. Cn. autem Manlio Volsone et Fulvio Nobi- 2
liore consulibus Bononia deducta colonia abhinc annos ferme ducentos septendecim, et post quadriennium Pisaurum ac Potentia, interiectoque triennio

taveris *in XVII*, depravatione tam frequente, quam medela facili ac certa; v. supra ad §. 3. coll. infra I, 15, 5.

Fregenaeque] Ed. pr. et Amerb. *Fregellaeque*. „Sed multo maturius, P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula coss., a. u. c. 427. *Fregellas* deductam coloniam tradit Livius VIII, 22, 2. Contra in eiusdem Livii Epit. XIX. et XX. deinceps memorantur coloniae sub exitum belli Punici primi deductae *Fregenae* et *Brundisium*, finito eo *Spoletium*, *Cremona* et *Placentia*. Recte igitur et evidenter nostro etiam loco *Fregenae* legendum monet Sigonius ad Livii l. l. et in Antiq. iure Ital. II, 5. p. 679. ed. Lips.“ Ianius. cf. Madvigii Opuscc. Acadd. p. 265 et 299.

post biennium] Ed. pr. et Amerb. *anno post biennium*. Ineptam vocem *anno*, a negligente librario ex proxime sequentibus huc illatam (v. Prolegg. c. III. p. CXII sq.) Ed. Basil. recte expunxit. Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 10. coniecit depravatum esse ex *adeo* voce, copulandi vi posita. Non minus absurde Heinsius vulgatam defendit, interpretans *anno proximum biennium subsecuto*.

deducta] Ed. pr. et Amerb. *ducta*. Vitioso vocabulo legitimum ac proprium substituit Ed. Basil.

XV, 2. *et Fulvio Nobiliore*] Ed. Basil. omissa copula *M. Fulv. Nobiliore*, quod per se rectum est, sed non necessarium.

ducentos septendecim] Krausius in Addendis p. XL. iu-

Aquileia et Gravisca, et post quadriennium Luca.
3 Eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, Puteolos Salernumque et Buxentum missi coloni, Auximum autem in Picenum abhinc annos ferme centum octoginta quinque, ante trien-

dicat accuratius scribendum fuisse *CCXVIII.* Sed numero 217 a 781, qui est Vinicii consulatus annus, deducto, habebis 564, cui ipsi anno Fasti coss. capp. Cn. Manlii Volsonis et Fulvii Nobilioris consulatum attribuunt. *Ferme* vox autem non numerum rotundum prodit, ut supra I, 14, 6. et II, 11, 3. II, 90, 4., sed tantummodo indicio est annum ducentesimum decimum septimum nondum plane fuisse absolutum.

Aquileia] Ita Burer. et Amerb.; sed Ed. pr. *Aquilia*, idemque etiam superscriptum fuit in Amerb.

§. 3. *quamquam*] Amerbach. *quam.*

Salernumque] Ed. pr. Amerb. *Falernumque.* Ineptum errorem correxit Ed. Basil. duce Livio XXXIV, 45, 1. *Coloniae civium Romanorum eo anno deductae sunt Puteolos, Vulturnum, Liternum, treceni homines in singulos. Item Salernum Buxentumque coloniae civium Romanorum deductae sunt.*

in Picenum] Bothius scripsit *in Piceno*, fortasse melius, sed non necessario.

annos ferme centum octoginta quinque] Ed. pr. et Amerb. *annos ferme CLXXXVII*, quod falsum esse unus sensit Burmannus, qui in margine annotavit: *emenda CLXXXV.* Nam quum Cassius censuram iniret anno u. c. 599, triennio detracto prodit annus 596, quo numero rursus a 781 dempto, habebis annum 185; unde patet in codicis scriptura vitiose binarium numerum esse additum.

cui in eo moliendo] Ed. pr. et Amerb. *cui in demoliendo*, quod nullo modo ferri potest, quum exstruendo theatro, non diruendo restiterit civitas. Veram auctoris manum feliciter restituit Riguezius scribens *cui in eo moliendo*, qua facillima mutatione non solum sententiae, sed etiam constructioni consulitur, *obiecto* coniuncto cum *moliendi* verbo, quod proprie de maioribus aedificiis exstruendis dicitur; cf. I, 11, 5. *Metellus aedem ex marmore molitus.* II, 1, 2. *Tum Scipio in Capitolio*

nium quam Cassius censor a Lupercali in Palatium versus theatrum facere instituit, cui in eo moliendo eximia civitatis severitas et consul Scipio restitere, quod ego inter clarissima publicae voluntatis argumenta numeraverim. Cassio autem Longino et Sextio 4

porticus, tum quas praediximus Metellus, tum in circo Cn. Octavius multo amoenissimam moliti sunt. II, 8, 3. *Minucius porticus — molitus est.* II, 130, 1. *Quam pia munificentia templum patri molitur?* v. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 93 sq. Ceterum editores multis modis locum tentarunt. Gruterus verba *in demoliendo,* tanquam ab inepto interprete illata, delenda censet. Aldus coniiciebat *in moliendo;* — Lipsius *in emoliendo;* — Acidalius *inde moliendo;* — Ianius *id demoliendo;* — Cludius *in emoliendo eo;* — Ruhnkenius ad Rutil. Lup. I, 1. p. 4. *id emolienti,* vel *id molienti;* — Klockius ad Liv. V, 39, 10. *endomolienti.*

consul Scipio restitere] Amerb. *cos..... restitere,* cum litura; Ed. pr. *cos. Cepio restitere.* Pro *Caepione* reponendum esse *Scipionem* Aldus vidit ac Lipsius ad h. l. et ad Tacit. Annall. XIV, 20. Praeterea Schegkius scribendi compendio *cos.* non *consulem,* sed *consularem* significari putavit. Et profecto Scipio non amplius consul fuit, quum Cassio theatrum molienti restitit; nam secundum Fastos coss. capitt. huius consulatus incidit in annum u. c. 598, illius censura in 599. In eadem re tradenda de Scipione ut cive, non ut consule sermo est apud Livium Epitom. XLVIII. *Cum locatum a censoribus theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica auctore tamquam inutile et nociturum publicis moribus ex senatus consulto destructum est;* item apud Valer. Max. II, 4, 2. *Theatra inchoata quidem sunt a Messala et Cassio censoribus; ceterum auctore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subiectum hastae venire placuit.* Sed his repugnat cum Velleio consentiens Appianus B. C. I, 28. *Τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ Σκιπίων ὕπατος καθεῖλε τὸ θέατρον, οὗ Λούκιος Κάσσιος ἦρχετο.* Patet igitur, sive Appianus Velleium auctorem secutus est, sive uterque ex eodem fonte hausit, ab ipso scriptore errorem esse commissum, neque licere nobis *consulem* in consularem mutare.

Calvino, qui Sallues apud Aquas, quae ab eo Sextiae appellantur, devicit, consulibus, Fabrateria deducta est abhinc annos ferme centum quinquaginta duos. Et post annum Scylacium, Minervium, Tarentum, Neptunia; Carthagoque in Africa, prima, ut praedixi-

§. 4. *Sallues*] Ita Burer. et Amerb. Sed Ed. pr. *Sallyes*, quo nomine appellatur ista gens apud Iul. Obseq. de Prodigg. c. XC; *Salyes* dicuntur apud Liv. V, 34, 7. et Strabon. IV. p. 282. A. Almel.; *Salyi* apud Plin. H. N. III, 4; *Salluvii* denique apud Liv. Epit. LX et LXI. In tanta nominis varietate, quamquam incerta est *Sallues* forma, tamen cur alia ei substituatur, nulla caussa esse videtur.

centum quinquaginta duos] Ed. pr. et Amerb. *CLVII*, qui numerus nimium a vero discrepat, quum Cassii Longini et Sextii Calvini consulatus in annum u. c. 629 incidens tantummodo 152 annis a Vinicii consulatu, i. e. ab anno 781, distet. Cum Lipsio igitur numerum V, haud dubie oscitantia librarii illatum, eiecimus. Krausius in Addend. p. XLI malebat *CLIII*.

Scylacium] Ed. pr. et Amerb. *Scolatium*. Verum nomen restituit Ed. Basil.

Tarentum] Stuerenburgius ad Cicer. or. p. Archia, Praef. p. XIX. coniicit *Forentum*, propterea, quod Cicero illam urbem municipium appellet, non coloniam. Sed cf. Annall. crit. Berol. a. 1834. No. 32. p. 264.

ut praediximus] Assentimur Vossio, haec verba eiicienti. De Carthagine colonia Velleius bis dixit, hoc loco, et II, 15, 1. (huius ed. II, 7, 7.). Quod cum plus satis sit, quis eum in parte operis deperdita tertio dixisse credat? Ruhnk. Non videntur haec sufficere ad verba delenda; possimus enim cogitare Velleium iam in enarrandis duobus prioribus bellis Punicis per occasionem et obiter, ut illius mos est, de hac colonia dixisse. Ianius. Recte; nam plus quam ineptus foret librarius, qui, nulla rei mentione facta in superioribus, eiusmodi additamentis auctoris verba interpolaret. — Praeter memoratam verborum eiectionem Vossius locum sic volebat scribi: *Carthago, quae in Africa, prima extra* etc., quod etiam in mentem venit Salmasio, in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. p. 287.

extra Italiam] Amerb. *extra aliam*.

§. 5. *Porcio Marcioque*] Ed. pr. et Amerb. *Portio Mar-*

mus, extra Italiam colonia condita est. De Dertona ambigitur; Narbo autem Martius in Gallia Porcio Marcioque consulibus abhinc annos circiter centum quadraginta sex deducta colonia est; post duodeviginti annos in Bagiennis Eporedia Mario sextum Va-

coque, quod correxit Vossius ex Fastis coss. capitt. Ed. Basil. scripsit *M. Porcio, Q. Marcio.*

annos circiter centum quadraginta sex] Ed. pr. et Amerb. *annos circiter CLIII*, quo quo Lipsius recte scribendum coniecit *a. circ. CXLVI.* Nam iste numerus prodit, anno 635, quo consules fuere Porcius Marciusque, ab anno 781 detracto. Neque admodum improbabilis corruptelae origo est X signo per negligentiam omisso, quinario autem numero (V) in duas unitates, (II) ut haud raro accidit, soluto, quam numeri notam librarius postea verbis expressit. Quare non possumus probare, quod Laurentius in Fastt. capitt. p. 79. vulgatam integram censens Velleium statuit *septem* annis a Fastis discrepare, quod in re minime antiqua et nulla monumentorum veterum confusione aut defectu obscurata prorsus incredibile est.

post duodeviginti annos] Ed. pr. et Amerb. *post tres et viginti annos*, manifesto errore, quem iam Aldus Nepos correxit; nam inter annum u. c. 635, quo Porcius Marciusque consules fuere, et sextum Marii consulatum, qui fuit a. 653, intersunt XVIII anni. Vitium eo ortum est, quod V in X abiit, ut supra I, 14, 8.; quod quam facile fieri possit, adeo trita apud Germanos dictione declaratur. Videat igitur Orellius, ne perperam Laurentio obsecutus sit, qui in Fastis capitt. p. 84. vulgatam ita defendit, ut librarium culpa vacare dicat, Velleio, quamquam in re falsa, sibi tamen consentiente, quippe qui, consulatu Porcii et Marcii semel ad annum u. c. 628 reiecto, recte, inde usque ad sextum Marii consulatum, secundum eius systema chronologicum ad annum 651 pertinentem, XXIII annos computet. Sed hoc est falso falsum tueri. Bothius *et* inseruit inter *est* ac *post*.

in Bagiennis Eporedia] Ed. pr. *in Baciennis Eporedia;* Burer. *in Bagiennis Eporedi;* Amerb. *in Bagienni seporedi.* Aldus Nepos edidit *in Vagiennis*, ut gentis nomen vulgo scribitur, v. Plin. H. N. III, 17. Sed *Bagiennos* quoque in lapidibus et libris antiquis vocari iam Ruhnkenius monuit, coll. Grutero Inscriptt. p. 528. 4. et interprr. ad Sil. Ital. VIII, 607.

lerioque Flacco consulibus. Neque facile memoriae mandaverim, quae, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.

1 XVI. Cum haec particula operis velut formam propositi excesserit, quamquam intellego mihi in hac tam praecipiti festinatione, quae me rotae pronive verticis ac gurgitis modo nusquam paritur consistere,

Mario sextum] Ed. pr. *sexies Mario sexies.* Burer. et Amerb. *Mario sexiens.* Cludium pro *sexies* coniicientem *sextum* recte secutus est Kreyssigius, Praef. p. XIII. comparans Cic. de N. D. III, 32. *Cur enim Marius tam feliciter septimum consul domi suae senex et mortuus?* ubi pariter in codd. multis vitose *septies* legitur. Nam numeralia in *ies* exeuntia ponuntur, ubi omnes alicuius viri consulatus simul comprehenduntur; contra forma ab ordinalibus ducta in *um* desinens usurpatur, ad singularem consulatum, quem plures iam praecesserunt, designandum; cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 97.

quae nisi militaris post hoc tempus deducta sit] Lusit Heinsius scribendum esse coniiciens: *nisi militares post hoc tempus deductas.*

facile] Amerb. *facili.*

XVI, 1. *operis velut formam*] Halmius apud Orellium suspicatur fuisse *operis velut normam,* oblitus moris Velleiani; cf. II, 66, 3. II, 49, 1. II, 96, 3. II, 36, 3.

mihi in hac] Amerb. *mihi hac.*

pronive verticis ac gurgitis] Ed. pr. et Amerb. *pronive gurgitis ac verticis,* quam scripturam ab omnibus editoribus toleratam, nisi quod Ruhnkenius obiter iecit „mirum ne verba *ac verticis* e glossa fluxerint", non integram esse dixi in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 133. Nullo modo enim *pronus,* cui contrarium est *supinus,* dici potest de *gurgite,* i. e. de aqua rapide in gyrum acta, omninoque falsum est verba *gurgitem* ac *verticem* coniuncta significare *torrentem,* ut Ianio visum est. *Vertex,* id quod omnes interpretes fugit, est *summitas* cuiusvis rei; qua prona, res suapte vi in humum rapitur ac deiicitur, neque potest consistere. Patet igitur, quum ad celerrimam festinationem indicandam et *gurgitis,* et *proni verticis* similitudo adhiberi possit, h. l.

paene magis necessaria praetereunda quam supervacua amplectenda, nequeo tamen temperare mihi, quin rem saepe agitatam animo meo neque ad liquidum ratione perductam signem stilo. Quis enim 2 abunde mirari potest, quod eminentissima cuiusque professionis ingenia in eandem formam et in idem artati temporis congruere spatium, et quemadmodum

cum priore vocabulo epitheton esse coniunctum, quod ei prorsus repugnet, posteriori autem deesse adiectivum ad sententiae perspicuitatem utique necessarium. Permutatis autem inter se substantivis quum id efficiatur, ut ex inepta sententia prodeat aptissima, non dubitavimus coniecturam nostram in textum recipere, praesertim quum eam assensu suo comprobaverit Halmius in Zimmerm. Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 109. p. 896. De traiectione verborum in cod. Murb. saepius facta v. Prolegg. c. III. p. CXIV.

supervacua] Amerb. *supervanea*, unde Orellius fecit *supervacanea*, quod probavimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 9. p. 87. Sed quum Burerius silentio suo Rhenani lectionem confirmet, verisimilius est Amerbachium *cu* litteras pro *ne* legisse.

§. 2. *in eandem formam*] Ed. pr. et Amerb. *in eam form.*; sed iam Rhenanus necessaria ac certissima coniectura *eandem* reposuit.

congruere] Ed. pr. et Amerb. *congruens*, pro quo editores ad constructionem expediendam multa tentarunt; Acidalius *congruant*; — Gruterus, omissâ *quod* particulâ, *congruisse*; — Vossius *congruerint*, ac simul in fine periodi *separaverint*; — Heinsius *congruêre*, vel *congruunt*, quod Orellius amplectitur; — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. p. 287. *congruant*, vel *congruentia*; — Lipsius *congrua*; — Grunerus *congregarunt se*. Praeterea Acidalius et Heinsius pro *artati* maluerunt *artata*; Schoepferus autem in Adnotatt. critt. p. 10. *artati* censet vi verbi finiti pro *artati sunt* dictum, per synesin pertinere ad *ingenia*. Contra vulgatam solus tuetur Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 440.; Velleium enim, cum sententia, quae ipsius animo obversaretur, quasi luctantem, importuna comparatione ingeniorum cum bestiis capso inclusis ab-

clausa capso alioque septo diversi generis animalia nihilominus separata alienis in unum quaeque corpus congregantur, ita cuiusque clari operis capacia ingenia in similitudine et temporum et profectuum

reptum in anacoluthum incidisse valde impeditum. Sed huic rationi, ingeniosae admodum, obstat tamen nimia verborum ac sensentiae perturbatio, ad hoc prorsus absonum vocabulum *congruens* ad *idem spatium* relatum, et medelae facilitas, qua locus ad egregiam sanitatem revocari potest. Nihil verius enim Heinsii coniectura *congruêre*, licet diffidenter ab ipso prolata, nihilque facilius, quum *re* terminatio in codd. XIV. seculi vix possit a litteris finalibus *ns* discerni. Sensus loci hic est: quis abunde mirari potest, *quod* eminentissima in quovis genere ingenia *et modo* litterarum colendarum, *et tempore congruerunt*, et *quod nihilominus* (in similitudine et temporum et profectuum) *semet ipsa ab aliis separaverunt*. „Quippe (Ruhnkenii sunt verba) ut, si diversi generis animalia, pavones, anseres, gallinas, eodem septo claudas, pavones se iungant pavonibus, separent se ab anseribus; ita iidem viri excellentes, quamquam eadem aetate vixerunt, et pari studio bonas artes illustrarunt, tamen se in diversa corpora separarunt, ut alii essent tragici, alii comici, alii philosophi, alii oratores."

clausa capso] Ed. pr. *clausa capsa;* Amerb. *clauso capso;* at Burerius *clausa capso.* Recte. — *Capsus* est septum, sudibus factum; Hesych. *χαψοί· οἱ τοῖχοι.* cf. Salmas. in Spart. Hadrian. c. XII. et in Vopisci Procul. Cellarius. — Gruterus coniecit *saxo;* Boxhornius *cavea.*

alioque] Lipsius coniecit *aliove*, quod fere omnes editores perperam receperunt, non recordati *que* etiam in disiunctiva sententia poni; v. infra ad II, 80, 3.

septo] Amerb. *saepto.*

nihilominus separata alienis in unum quaeque corpus] Acidalius verba sic transponenda censuit: *separata quoque alienis, nihilominus in unum corpus.* — Schegkius refert virum doctum coniecisse *separata ab aliis;* — Heinsius *ab alienis.*

in unum quaeque corpus] Ed. pr. et Amerb. *in unum quoque corp.* Heinsius coniecit *in u. quodque corpus,* —

semetipsa ab aliis separaverunt. Una neque multorum annorum spatio divisa aetas per divini spiritus viros, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, illustravit tragoediam, una priscam illam et veterem sub Cra-

Lipsius vere emendavit *in u. quaeque c.* — Praeterea Burmannus tanquam elegantius commendavit *in suum quaeque genus.*

in similitudine] Ed. pr. et Amerb. *in similitudinem.* „Scripsimus *in similitudine*, id est, *quum ingenia aequalia fuerint et temporibus et profectibus*, sive *quum et eodem tempore floruerint et aeque excelluerint.* Qua loquendi forma nihil frequentius apud Ciceronem, cf. Epp. ad Famm. I, 2, 9. *In tanta hominum perfidia*, pro, quum homines perfidi sint. Liv. XXIII, 9, 6. *Torpescentne dextrae in amentia illa?* ubi v. Duker.“ Ruhnk. cf. annotat. nostram ad Sall. Cat. c. II, 10. p. 15. et ad Iug. c. XIV, 5. XXXI, 24. Hand. de Particc. Latt. Vol. III. p. 258. §. 16.

§. 3. *per divini spiritus viros*] Ed. pr. *perdivini sp. vir.*

tragoediam] Ed. pr. et Amerb. *tragoedias*, quod ab editoribus propagatum Ianius frustra defendit, dicens variandae orationis caussa Velleium ita locutum esse pro *arte tragoediarum.* Unice vera est Burmanni coniectura *tragoediam*, quam Orellium primus recipiendam duxit; nam de toto genere agitur, non de singulis fabulis. De confusis *m* et *s* litteris finalibus v. Prolegg. c. III. p. XCIV.

priscam illam et veterem] Cludius, horum adiectivorum coniunctione offensus coniecit *priscam illam et petulantem;* in Addendis autem p. 236. tanquam probabilius proponit *priscam illam, metu remoto, acrem.* Quae per se inania plane concidunt Ruhnkenii annotatione. „Sic Velleius II, 89, 2. et II, 125, 4. iungit *priscus* et *antiquus.* Cicero de Orat. III, 38, 153. *Inusitata sunt, prisca fere ac vetusta.* pro Domo c. 47, 122. *Si omnia veteribus et priscis institutis acta esse dicerem;* qui utrumque coniunxit exemplo oratorum Atticorum, ut Lysiae c. Andocid. p. 129. *κατὰ τὸ νόμιμον τὸ παλαιὸν καὶ ἀρχαῖον*, et Demosth. c. Androt. p. 216. *ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν ἀρχαῖα καὶ παλαιά.* Plin. Epp. III, 6. *Aes ipsum vetus et antiquum.* Arnob. II, p. 87. *priscorum veterrimorumque mortalium.*“ cf. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. IV. p. 84. §. 4. et p. 88. §. 9.

tino, Aristophane et Eupolide comoediam; ac novam comoediam Menandrus aequalesque eius aetatis non magis quam operis Philemo ac Diphilus et invenere intra

Aristophane et Eupolide] Amerb. habet *Aristophaneque Eupolide;* unde Orellius fecit *Aristophaneque et Eupolide,* probante Kreyssigio in Praef. p. XIII. Sed quum Burerius nihil discrepantiae annotaverit, probabilius est Rhenanum veram codicis lectionem exhibuisse, Amerbachium somniasse.

ac novam] Aldus Nepos scripsit *at nov.,* omnibus paene editoribus probantibus. Sed vulgatam praestare recte monuit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 440. cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 98. et Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 476. §. 2. Non *opponitur* enim nova comoedia antiquae et tragoediae ut res diversa, sed eius perfectio, simili modo ac temporis spatio facta, tanquam res eiusdem generis prioribus *adiicitur.*

novam comoediam] Ed. pr. et Amerb. *novam comicam,* quam vocem multi editores auctoribus Acidalio et Lipsio eiecerunt, et ipse eiiciendam putavi in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 98.; — Heinsius coniecit *nova comica,* sc. opera vel carmina; — Cludius primum *novam comem magis,* deinde in Addendis p. 236. *novam comem et catam,* aut, si quis malit, *n. comitate catam* vel etiam *nov. comitate conditam;* — Orellius *novam mimicam.* Sed veri reperti laus debetur Grunero, qui acute vidit in voce *comicam* latere *comoediam,* quum neque de glossemate cogitari possit, et ceterae coniecturae portentosae sint et incredibiles omnes. Frustra obiicies, non opus esse ista voce. Negligenter scripsit Velleius, ex incuriosa sermonis familiaris consuetudine, ut saepissime; neque peius repetitur h. l. vox *comoedia,* quam I, 4, 4. *urbes,* et II, 4, 2. *in Hispania.* Nobiscum facit etiam Froelichius in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 66. p. 555.

Menandrus] Amerb. *Menander,* quod Orellius recte censet ab Amerbachio ad vulgarem formam correctum esse. De forma *Menandrus* Ruhnkenius conferri iussit Heins. ad Virg. Aen. VIII, 100. Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 25. Adde Ruddimann. Institt. Vol. I. p. 54. et Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. II, 1. p. 75.

non magis] Ed. pr. et Amerb. *magis,* sine *non* particula, quam Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 440.

paucissimos annos, neque imitandam reliquere. Philosophorum quoque ingenia Socratico ore defluentium omnium, quos paullo ante enumeravimus, quanto post

acutissime docuit inserendam esse, nisi Velleium ineptire velis atque uno spiritu sibi contradicere. Omnis enim disputatio eius eo nititur, tragicos pariter atque comicos *eiusdem et aetatis et operis aequales fuisse;* cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 131.

Philemo] Ita Amerb. rectius, quam Ed. pr. *Philemon;* cf. Kreyssig. Praef. p. XIII. et, quos ibi laudat, Heindorf. ad Hor. Sat. II. 3, 254. et Schneideri Gramm. Lat. II, 1. p. 278.

imitandam] Ed. pr. et Amerb. *imitanda.* Acidalio debetur *imitandam*, in cuius sensu haerens Ruhnkenius cum Warburtono in Bibl. Brit. Tom. VII. p. 264. coniecit *emendandam;* non melius Burmannus suasit *immutandam.* Quippe *non imitandam* est *inimitabilem*, de quo usu participii fut. pass. v. annotat. nostram ad Sall. Cat. c. X, 2. et Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 98. Sic supra I, 12, 2. *quia credenda afferebantur.*

§. 4. *defluentium omnium*] Ed. pr. et Amerb. *defluentia omnium*, quod nullo modo ferri potest. Nam quum *Socratico ore defluere* paullo liberiore quidem, sed tamen excusabili dicendi modo significet *e Socratis disciplina, tanquam ex fonte prodire* (cf. Cic. de Orat. I, 10, 42. *philosophorum greges ab illo fonte et capite Socrate.* Brut. c. 8, 31.), recte quidem dici possunt *philosophi Socratis ore defluere*, sed *ingenia philosophorum eius ore defluere* non possunt, ac multo minus latinum est, quod in eodem verborum ambitu *ingenia ore defluentia florere* dicuntur. Praeterea loci depravationem locus *omnium* vocis arguit, quae enunciatione participiali, ad *ingenia* spectante, ita a *philosophorum* nomine removetur, ut omnis ratio cum isto substantivo prorsus tollatur evertaturque funditus. Sed omnia expedientur, si ex nostra coniectura scripseris *defluentium*, qui genitivus compendio scriptus a librario structuram non recte assecuto in nominativum mutatus est, quae corruptelae caussa haud infrequens fuit. cf. Prolegg. c. III. p. CV. Iam vides recte ac latine dici *ingenia florere philosophorum Socratico ore defluentium*, arctissimeque cohaerere *omnium* cum *defluentium* voce. Boxhornius coniecit *rore defluentia;* — Cludius *rore diffluentia.*

5 Platonis Aristotelisque mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem, quid post eius auditores eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit? Adeo quidem artatum angustiis temporum, ut nemo memoria dignus

omnium, quos paulo ante enumeravimus] „Haud dubie Velleius more suo in parte operis deperdita inter caput VIII. et IX., in quam lacunam Socratis eiusque discipulorum aetas incidit, et ipsum Socratem et ab eo profectos philosophos memoraverat.“ Ianius. Id non assecutus Acidalius haec verba aut delenda censuit, aut scribendum *omnium, quos quando enumerabimus?* Ruhnkenius coniecit *omniumque*, ut intelligantur tragici et comici modo commemorati. Sed ut res ipsa clarissime ostendit philosophos hic solos intelligi, quemadmodum etiam tragici, comici et oratores soli intelliguntur, ita nihili est, quod emendationem suam eo firmari dicit, quod *que* facile ante *quos* excidere potuerit. Ed. Bipont. verba *omnium, quos paulo ante enumeravimus*, transposuit post *adeo quidem*, adiecto *aevum* vocabulo; quam temerariam mutationem Bothius ita secutus est, ut verbis *paullo ante* tanquam spuriis includendis magis etiam temerariam redderet.

quanto] Cludius suspicatur *quantulo*. Temere; nam *quanto* minuendi sensu est *quam exiguo*. cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 84. E. 6. §. 726. p. 596. ed. VIII. Herzog. ad Caes. B. G. VI, 35.

§. 5. *Quid ante Isocratem, quid — fuit? Adeo*] Grunerus scripsit: *Quidquid ante Isocratem, quidquid — fuit; adeo* etc.

Adeo quidem artatum] Acidalius coniecit *adeo quidem artati ii; —* Lipsius *adeoque iidem artati; —* Vossius *adeo quidem artati illi; —* Heinsius *adeoque idem* (vel *id*) *artatum; —* Orellius *et adeo quidem artatum; —* Ruhnkenius *id adeo quidem artatum; —* Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 440. *adeo id quidem artatum.* Sed nulla locus mutatione eget; nam si quid peccatum est, peccavit Velleius ipse, qui non perspicue scripserit, animique sensa non accurate verbis expresserit; v. Prolegg. c. II. p. LXIV sq. Haec enim sententia, per enunciationem interrogativam, cui explicativa parum conveniens additur, expressa, eius animo obversabatur: ante Isocratem et post eius auditores eorumque discipulos *nihil clarum fuit* in oratoribus; *quod autem clarum fuit* (sc.

alter ab altero videri nequiverint. Neque hoc in Graecis quam in Romanis evenit magis.

XVII. Nam nisi aspera ac rudia repetas et in- 1
venti laudanda nomine, in Attio circaque eum Romana

Isocrates ipse, eius auditores eorumque discipuli), *adeo quidem artatum fuit* angustiis temporum, ut omnes eximii oratores alter alterum videre possent. Recte Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 341. monuit *artatum* non esse participium, sed verbum finitum, *fuit* omisso.

nequiverint] Aldus Nepos necessarium putavit *nequiverit*. Praeter Oudendorpium ad Apulei. Met. IV. p. 302, quem Ruhnkenius laudavit, sufficiat adire Zumptii Gramm. Lat. c. 69. §. 366—7. p. 330. ed. VIII. — Vascosanus, in planissima sententia lapsus, quam ne Ianius quidem melius perspexit, coniecit *quiverit*. Rem breviter expedivit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p. 440.

XVII, §. 1. *et inventi*] Cludius coniecit *nec inventi*, explicans *et ne inventi quidem nomine*, quia tragici Romani et argumentum ipsum et eius tractationem a Graecis petiverint. Sed *inventum* h. l. non dicitur de poetica argumenti inventione, sed de inducta in litteras Romanas tragoedia. Quare verba *inventi nomine laudanda* significant *eo laudanda, quod prima in suo genere fuerunt*, sive *quod novi generis initium fuere*. Eandem rem Velleius accuratius sic dixit II, 9, 6. *Non ignoremus eadem aetate fuisse Pomponium, novitate inventi a se operis commendabilem.*

in Attio] Ed. pr. et Amerb. *in Accio*, quam nominis scripturam Kreyssigius Praef. p. XIII. recte iudicavit deserendam esse, coll. Baehrii Hist. lit. Rom. p. 80. et Weicherti Comm. de L. Vario poeta p. 9. ed. II. Probavit etiam Bernhardius Hist. lit. Rom. p. 181, secutus Conr. Leop. Schneiderum in Gramm. Lat. Vol. I, 2. p. 444.

circaque eum] Ed. pr. et Amerb. *circaque eorum*. Genitivum delevit Ed. Basil. Sed vere Burerius coniectura restituit *eum*, quod nonnisi errore librarii pro compendio scribendi habitum in *eorum* transiit; v. Prolegg. c. III. p. XCIV sq. Ad usum *circa* praepositionis Ruhnkenius contulit Senec. Controv. I. p. 65. ed. Gron. *Quicquid romana facundia habet, quod in-*

tragoedia est; dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afranium sub pari aetate
2 nituerunt. Historicos etiam, ut Livium quoque priorum aetati astruas, praeter Catonem et quosdam veteres et obscuros, minus octoginta annis circumdatum aevum tulit, ut nec poëtarum in antiquius citeriusve
3 processit ubertas. At oratio ac vis forensis per-

solenti Graeciae aut opponat aut praeferat, circa Ciceronem efforuit. v. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 65.

Latini leporis] Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 56. p. 441. coniecit *Plautini leporis*, admodum speciose, sed non vere. Quamquam enim inviti caremus Plauti nomine, tamen nihil est, quod probet Velleium non *potuisse* id omittere, qui aliorum quoque nomina non minus memoria digna omiserit, ut ostendimus ad I, 4, 3. Non memoravit Plautum, quia de eo non cogitavit; non cogitavit autem, quia non id egit, ut scriberet historiam litterarum, sed in summa festinatione obiter tantum et quasi in transcursu rem sibi miram tetigit. Quare a vero aberravit etiam Ianius, qui Plauti nomen vel culpa librarii excidisse putat, vel consulto ab ipso Velleio esse omissum, qui iniquius de eo iudicaverit. Verba *dulcesque Latini leporis facetiae* sunt sanissima, quippe quibus nihil, nisi circumscriptio vocis *comoediae* contineatur, quae *tragoediae* respondeat.

sub pari aetate] Hanc ed. pr. lectionem, non multum diversam ab Amerb. *sub paritate*, Acidalius mutavit, scribens *suppari aetate*, editoribus probantibus omnibus; sed sine iusta caussa. Nam *sub* praepositio cum *ablativo* coniuncta adhibetur, ad ipsum tempus, quo aliquid est vel fit, accuratissime designandum; cf. Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 49. *Nihil minus volebat, quam sub decessu suo necessitatem sibi aliquam imponi belli gerendi*, i. e. *ipso decessus tempore*. Id. de B. C. I, 27. *Ne sub ipsa profectione milites oppidum irrumperent, portas obstruit.* Vellei. II, 24, 1. *Fimbria sub adventu Sullae se ipse interemit;* cuius formulae plurima exempla collegit Drakenborch. ad Liv. II, 55, 1. Sueton. Claud. c. 43. *Sub exitu vitae signa quaedem poenitentis dederat.* Ovid. Fastt. V, 491. *Sed tamen haec tria sunt sub eodem tem-*

fectumque prosae eloquentiae decus, ut idem separetur Cato, (pace P. Crassi Scipionisque et Laeli et Gracchorum et Fanni et Servi Galbae dixerim) ita universa sub principe operis sui erupit Tullio, ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit. Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, 4

pore festa. cf. Kreyssig. ad Liv. XXXVI, 13. p. 275. Nostro igitur loco *sub pari aetate* significat *eodem plane tempore.*

§. 2. *Historicos etiam, ut Livium quoque*] Ed. pr. et Amerb. *historicos, et ut Liv. quoque,* quod feliciter correxit Vossius, vitio orto ex *etiam* vocis cum *et* confusione, qua nihil est frequentius in codd. cf. Drakenborch. ad Liv. XXII, 47, 9. Plerisque tamen omnibus editoribus et Handio de Particc. Lat. Vol. II. p. 523., placuit Burerii coniectura *historicos, ut et Liv. quoque,* quae neque externa specie probabilis, neque dicendi usu commendabilis (nam significat *sogar auch,* vel *ebenebenfalls auch),* sententiarum nexui parum consulit. Ed. Basil. *et* delevit; — Grunerus pro *et ut* maluit *utut.*

nec poetarum] Amerb. *ne poetarum.*

in antiquius] Cludius suspicatur *in ulterius.*

§. 3. *Fanni*] Ed. pr. *Fauni;* Burerius et Amerb. *Fannii.*

Servi Galbae] Ita Ed. pr. et Amerb.; at Ed. Basil. *Ser. Galbae.*

§. 4. *Hoc idem*] Bothius edidit *hoc item;* quod cur ferri non possit patebit ex annotatis ad vocem *eminentia.* — Bergkius coniecit *Video hoc idem — scalptoribusque.*

grammaticis] Warburton in Bibl. Brit. Tom. VII. p. 264. coniicit *geometris;* — Burmannus *gromaticis.* „Hanc scripturam frustra sollicitarunt viri eruditi. Galenus Protrept. ad Artes I. *Τούτων δ' ἐφεξῆς ὁ δεύτερος χορὸς ζωγράφοι, πλάσται, γραμματισταὶ, τέκτονές τε καὶ ἀρχιτέκτονες καὶ λυθογλύφοι.* Verissimam esse Velleii rationem historia docet. Nam qui artis grammaticae principes numerantur, Aristophanes, Aristarchus, Crates Mallotes, Apollodorus etc., eadem fere aetate floruerunt. Quodsi Velleius Latinos potius quam Graecos Grammaticos spectavit, non

scalptoribus quisquis temporum institerit notis reperiet, eminentia cuiusque operis ingenia arctissimis

minus vera reperitur eius ratio. Nam Varro, Nigidius, et alii clari inter Latinos Grammatici, quos Suetonius recenset, eodem fere tempore vixerunt." Ruhnk. cf. Bernhardii Hist. Lit. Rom. p. 326 sq.

scalptoribus, quisquis] Ita Ed. pr.; at Burerius et Amerb. *scalptoribusq. uisquisq.*, unde Laurentius in Locis Vell. p. 79. coniecit a Velleio scriptum fuisse *scalptoribusque quisquis*, quia q littera primo versui superscripta, deinde alieno loco inserta fuerit, quod nollem probassem in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 91.; nam falsam esse Laurentii opinionem de isto corruptelarum fonte et ipse postea intellexi, et monuit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. No. 103. p. 213. Veram lectionem exhibuit Rhenanus; q littera enim quum praecedenti vocabulo vitiose adhaesisset, somnians librarius et aliud, nescio quid, agens ineptam scripturam procudit. — Bergkius coniecit *scalptoribusque; quisquisque t. inst. notis, reperiet,*

reperiet, eminentia] Ita Burer. et Amerb.; at Ed. pr. *reperiet et eminentiam.* Copulam, de qua sola hic dicemus, sive eam Rhenanus ex coniectura posuit, sive in cod. conspexisse sibi visus est, sive typothetae error intulit, non esse ferendam primus evidenter docuit Halmius in Emendd. Vell. p. 6. Nam eo nexu verba *eminentia cuiusque operis ingenia* etc. cohaerent cum praecedentibus *hoc idem evenisse*, ut quae illis indefenite et generaliter sunt significata, his plenius et accuratius declarentur, quae ratio, quam, quia nullâ interpositâ particulâ indicatur, possis enunciationum quasi appositionem vocare, a Germanis vocula *nämlich* designatur. cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 92. et ad Sall. Cat. c. LI, 7. p. 239.

ingenia artissimis temporum claustris circumdata] Ed. pr. Burer. et Amerb. *a. t. c. circumdatam*, sine voce *ingenia*, quam ab Halmio in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 41. p. 321. et in Emendd. Vell. p. 6. coniectura propositam in textum recipiendam duximus, re ipsa flagitante; v. Prolegg. c. III. p. CIX sq. Nam auctor et hoc et praecedente capite unice id agit, ut non tam eximia artis et litterarum *opera*, quam ipsos *auctores et artifices* cuiusque generis artissimo temporis spatio fuisse inclusos demonstret. Quemadmodum igitur I, 16, 2. memoravit *eminen-*

temporum claustris circumdata. Huius ergo excedentis nunquam seculum ingeniorum similitudinis con-

tissima cuiusque professionis ingenia, et §. 4. *philosophorum ingenia*, ita h. l., ubi universa sententia comprehenditur, eo magis necessarium est *eminentia ingenia* fuisse memorata, quum et paulo ante *grammatici*, *plastae* cum ceteris laudentur, et statim post de *ingeniorum similitudine* dicatur. Non est igitur dubium, quin pro *circumdatam* scribendum sit *circumdata*. Rhenanus ad constructionem expediendam scripsit *et eminentiam — circumdatam*; — Ruhnkenius *et eminentia — circumdata*, numero plurali; — Ianius *eminentiâ — circumdatâ*, sine *et* copula, ut sint ablativi absoluti. Quae cur falsa sint diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 92.

§. 5. *Huius ergo excedentis nunquam seculum ingeniorum similitudinis congregantisque se et in studium par et in emolumentum*] Ed. pr. *huius ergo praecedentisque seculi ing. simitudines congregantis et in studium par, et in emol.*; Burer. *huius ergo recedentis mq. seculum ing. similitudines congregantesq. se et in studium par et memolumentum*, cum quo consentit Amerbach., nisi quod pro *mq.* et *memolumentum* habet *inq.* et *in emolumentum*, quod litterarum ductibus non est diversum. Locum foede in cod. corruptum infelicique Rhenani coniectura magis etiam obscuratum Laurentius in Locis Vell. p. 1 sqq. ingeniosa restituit coniectura, aeque ob mutationis facilitatem, atque ob sententiae praestantiam egregia. Nam ut *ex* facile potuit in *re* depravari, ita nemini dubium erit, quin *mq.* sive *inq.* ex male lecto compendio *nunquam* vocis sit ortum, v. Prolegg. c. III. p. XCVII. Sententia autem unice convenit Velleii consilio, qui neque de suo, neque de praecedente, neque de certo quodam seculo loquatur, sed caussas quaerat, cur eminentia cuiusque operis ingenia non per plura secula continua floruerint, sed tum apud Graecos, tum apud Romanos brevi tempore inclusa semper *intra unius seculi spatium provenerint*, i. e. *seculum nunquam excesserint*; cf. quae diximus in Zimmermanni Ann. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 121. Relicuam loci emendationem, *similitudinis congregantisque*, iam praeivit Heinsius, quamquam aliâ structurâ; sed *similitudinis* stabilitur voce *huius*, ut rursus *congregantisque se* refertur ad vocem *excedentis*, ita ut ne minima quidem dubitatio de veri-

gregantisque se et in studium par et in emolumentum causas cum semper requiro, nunquam reperio quas esse veras confidam, sed fortasse veri similes,
6 inter quas has maxime. Alit aemulatio ingenia, et nunc invidia, nunc admiratio imitationem accendit, ma-

tate huius scripturae relinquatur, praesertim in perpetua litterarum *i* et *e* confusione; v. Prolegg. c. III. p. LXXXVII. Vossius coniecit: *huius ergo, praecedentisque seculi, ingeniorum similitudinis congregantis, quasi et in stud. par;* — Heinsius *huius ergo praecedentisque, inquam, seculi ingeniorum similitudinis congregantisque se et in stud. par;* — Perizonius in Epp. Syllog. Tom. IV. p. 785: *huius ergo recedentis in (unum) quasi seculum ingeniorum similitudinis congregantisque se et in stud. par,* in eandemque emendationem Orellius quoque incidit; — Ruhnkenius *huius ergo praecedentisque seculi ingeniorum similitudinis congregationisque et in stud. par;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 345. *huius ergo rei edentis inque seculum* (vel *seculum unum) ingeniorum similitudines congregantis quasi et in stud. par;* — Ianius *huius ergo recedentis in quoddam seculum ingeniorum similitudinis congregantisque se et in stud. par;* — Sauppius apud Orellium: *huius ergo secedentis in quodque seculum,* cet. ut Orell.

et in emolumentum] Burer. *et memolumentum,* quod specie tantum differt ab Ed. pr. et Amerb. Pro *emolumentum,* quod Ruhnkenius ad II, 78, 1. et Morus ad Caes. B. G. I, 34. falso idem esse statuunt atque *emolimentum,* Heinsius et Perizonius l. l. maluerunt *molimentum,* quos Ianius bene refellit. Nam *emolumentum,* proprie de eo dictum quod *molendo lucri fit,* translate significat cuiusvis rei fructum et effectum. Quam igitur Velleius supra I, 16, 2. dixerat *similitudinem profectuum,* hoc loco dicit *par emolumentum,* i. e. *pares progressus.* Non est enim dubium, quin *par* etiam ad *emolumentum* pertineat, quod ut melius sentiatur bene Ianius monuit in legendo acuendum esse *studium* vocabulum; cf. Cic. de Orat. II, 2, 7. *Quo feci libentius, ut eum sermonem mandarem litteris, — ut laudem eorum prope iam senescentem ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem;* ubi *hominum* pariter ad praecedens atque ad sequens substantivum per-

tureque, quod summo studio petitum est, ascendit in summum, difficilisque in perfecto mora est, naturaliterque, quod procedere non potest, recedit. Et ut 7
primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur, ita, ubi aut praeteriri aut aequari eos posse

tinet. Sine iusta caussa igitur Ruhnkenius censuit *idem* excidisse ante *emolum.*, quem Kreyssigius Praef. p. XIV. sequitur; Cludius vero *simile* requiri putavit ad concinnitatem. Bothius scripsit: *congregantisque se in par emolimentum, caussas* etc.; — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. p. 287. *et idem emolimentum.*

inter quas has maxime] Acidalius tentabat: *interque eas has maxime.* Nihil mutandum. Livius Epit. LXXXVIII. *Italiam caedibus implevit, inter quas omnes Praenestinos.* Sueton. Caes. c. LII. *Dilexit et reginas, inter quas Eunoën;* etsi ibi quoque Ernestus malit *inter easque.* Ruhnk. cf. infra II, 19, 1. Tacit. Hist. IV, 71, 6.

§. 6. *nunc admiratio*] Amerb. *et nunc admiratio.*

imitationem] Ed. pr. et Amerb. *incitationem,* quam ineptam scripturam, frustra a Grutero ad h. l. et a Schoepfero in Adnotatt. critt. p. 12. defensam, feliciter correxit Acidalius. Bene Ianius contulit Plin. Paneg. c. XIII, 4. *Tunc enim illum imitationis ardor semperque melior aliquis accenderet.* Putide Heinsius maluit *in imitationem accendit.*

matureque] Ed. pr. et Amerb. *naturaque,* quod Heinsius propter sequens *naturaliter* probum iudicat, Ruhnkenius propter id ipsum nullo pacto ferendum censet. Uterque falsus. Scribendum est *matureque,* ut Acidalius coniecit, quia sic demum sententia apparet Velleii, rationem afferre volentis, cur in unam, eamque *paucorum annorum,* aetatem incidat summa cuiusque operis perfectio. Pessime Cludius coniicit: *matureque in eo, quod — ascenditur in summum;* aut: *naturaque* (i. e. ingenium) *quod summo st. pet. est, in eo ascendit in summum.*

§. 7. *Et ut primo*] Bothius *Ut enim primo,* propter odiosam, ut ait, copularum cumulationem.

quos priores ducimus] Amerb. *quo priores ducimur.*

desperavimus, studium cum spe senescit, et quod assequi non potest, sequi desinit, et velut occupatam relinquens materiam quaerit novam; praeteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus; sequiturque, ut frequens ac mo-

senescit; et quod] Amerb. *senescit; quod*, et ita scripsit Bothius.

et velut] Herelius p. 561. suspicatur *sed velut*, scilicet ne *et* ac *que* toties recurrat. V. Prolegg. p. LXXVII sqq.

praeteritoque eo — conquirimus] Haec verba omnia Bothius tanquam ineptam tautologiam eiicienda censet; v. Prolegg. c. II. p. LV. sqq.

aliquid, in quo nitamur] Heinsius coniecit *aliquid, in quod enitamur*, aut *al. in quo eniteamus;* — Perizonius apud Heinsium: *aliud, in quo nitamur.* Sed vulgata non est sollicitanda, quamquam eam non cum Ianio ita tuemur, ut *aliquid* pro *aliud quid* dictum esse censeamus, quod ille statuit secutus Ernestium ad Tacit. Annal. I, 4. Oudendorp. ad Suet. Tiber. c. XLVII. Drakenborch. ad Liv. VI, 3, 8. Pearc. ad Cic. de Orat. II, 42, 179. Vere enim iudicavit Ellendtius ad Cic. Brut. c. 82, 285. p. 209. vocis *aliquis* ubique unam esse significationem pronominis indefiniti; quam hoc quoque loco obtinere facile videbis, si reputaveris vim sententiae inesse in *nitamur* verbo, ad quod praegressum *eminere* ita supplendum est, ut opponatur verbis *eminere possumus.* Non opus est igitur acuta Halmii coniectura, in Zimmermanni Ann. Studd. antiq. a. 1837. No. 110. p. 898. proposita, *aliquid* (i. e. aliud quid) *in quo niteamus.*

perfecti operis impedimentum] Lipsius, mirifice *perfectum* capiens pro *confecto* vel *facto*, prorsus infeliciter pro *impedimentum* scribi vult *indicamentum.* Non minus perverse Cludius simili de caussa vocem *imitationis* in textum intulit ante *perfecti*, ac Bothius scripsit *in perfecto opere sit impedimentum.* Sensus minime reconditus hic est: frequens transitus *impedit, quominus ad perfectionem alicuius operis perveniatur.*

XVIII, 1. *Transit*] Heinsius scribendum putavit *transeat*,

bilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.

XVIII. Transit admiratio ab condicione tem- 1
porum et ad urbium. Una urbs Attica pluribus annis eloquentia, quam universa Graecia, operi-

nulla necessitate. Schoepferus in Adnotatt critt. p. 12. *transit* perfectum esse dicit pro *transiit*, et interpunctione post *temporum* posita, ad sequentia *transit* vel *transeat* supplendum censet.

ab condicione] Ed. pr. et Amerb. *ad condicionem*. Verae lectionis restitutio debetur Schegkio; nam hoc dicit Velleius: ut mirum fuit artes litterasque intra *breve artumque tempus* ad summam perfectionem pervenisse, *ita non minore admiratione dignum est*, quod iste ingeniorum flos *paucissimis locis*, aut adeo *in una urbe* provenit; v. quae diximus in Zimmermanni Ann. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 97. *Ab* cum *ad* praepositione confusum est etiam II, 2, 3. et II, 20, 1. Orellius scripsit: *ad condicionem ut temporum, ita urbium*; — Huthius in Quaestt. critt. p. 11. *ad condicionem ut temporum, et ad urbium*; — Laurentius Locis Vell. p. 133. *ad condicionem singularum urbium*.

pluribus annis eloquentia, quam universa Graecia, operibusque floruit] Ed. pr. et Amerb. *plurib. annis eloquentiae* etc. Locum, plurimis editorum coniecturis tentatum vexatumque, simplicissima mutatione sanavit Aldus Nepos, pro *eloquentiae*, quod ex perversa constructione ortum fuit, (v. Prolegg. c. III. p. CV sq.) scribens *eloquentia*; cf. Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 93. Sensui, qui ita prodit, aptissimo: *Athenae solae per plures annos eloquentia artisque operibus floruere, quam universa Graecia*, non obstat verborum positus, quum saepius verbis arte cohaerentibus nonnulla interiiciantur, v. Prolegg. c. II. p. LXXIII sq. coll. annot. ad. I, 17, 5. et Kühner. ad Cic. Tuscc. I, 1, 2. p. 47. ed. II. — Gronovius Obss. II, 23. p. 311 sq. vulgatam tueri studuit contorta admodum ac durissima explicatione; idem conatus est Schoepferus in Adnott. critt. p. 13. ratione longe ineptissima. Acidalius coniecit: *una urbs Attica pluribus annis*

busque floruit, adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis
2 Atheniensium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, quam neminem Argi-

eloquentia, quam universa Graecia operibus floruit; — Lipsius *u. u. A. p. a. eloquentiae, quam u. Gr. operibus effloruit;* vel: *eloquentia, quam u. Gr., uberiusque floruit;* — Heinsius *u. u. A. p. a. eloquentiae, quam u. Gr., ope uberiusque floruit;* — Ed. Bipont. *pluribus armis eloquentiae etc.;* — Fiedlerus Praef. p. VI. et Halmius apud Orell. *pluribus artibus eloquentiae* etc.; — Cludius *pluribus artis et eloquentiae, q. u. Gr., operibus floruit;* — Censor in Bibl. germ. univ. Tom. XLVIII. p. 532. *plus studiis eloquentiae* etc.; — Bothius *u. u. A. pluribus, annisa eloeloquentiae, q. u. Gr. operibus floruit;* — Kreyssigius Praef. p. XIV. *eloquentiae fama, quam* etc.; — Ruhnkenius in Histor. crit. or. gr. p. XXXVII. *pluribus sanae eloquentiae, quam u. Gr., operibus effloruit;* — Bardilius in Friedemanni et Seebodii Miscell. Critt. Vol. I. P. II. p. 384. *pluribus eloquentiae, quam u. Gr. operibus effloruit;* — Krausius in Addend. p. XLIII. suspicatur *ingeniis* excidisse ante *operibusque*, idemque, aut certe simile quid voluit Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1837. Vol. I. No. 60. p. 478; — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 45. p. 384. *pluribus omnis eloquentiae quam universa Graecia operibus floruit.*

operibusque floruit, adeo] Acidalius scripsit *operibus floruit, usque adeo;* — Popma *operibus usque floruit adeo.*

separata sint in alias] Acidalius maluit *separata hinc inde in al.;* — Ruhnkenius *sparsa sint in al.;* — Gruterus *sint* delevit, probante Censore in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 533.

in alias civitates] Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 45. p. 385. coniicit *in multas civit.*

§. 2. *ego hoc*] Amerb. *hoc ego;* sed ordinem verborum, qui est in Ed. pr., Burerii silentium confirmat.

§. 3. *existimatum. Quae urbes cunctae liberalium*] Ed. pr.

vum, Thebanum, Lacedaemonium oratorem aut dum vixit auctoritate, aut post mortem memoria dignum existimatum. Quae urbes cunctae libera- 3
lium studiorum fuere steriles, nisi Thebas unum

existimatum, quae urbes talium studiorum; Burer. et Amerb. *existimatumque urbes et initalia talium.* In qua scriptura verba *et initalia,* quae Rhenanus, tanquam ex geminatione orta, tacite omisit, aperte sunt vitiosa; quamvis enim in promptu sit corrigere *ut in Italia,* tamen ne sic quidem loci integritati consulitur, quum urbium graecarum in Italia sitarum tam abrupta mentio et per se sit inepta, et sententiarum nexui minime conveniat. Ad hoc *talium* incredibiliter languet et perversum est, quum in antecedentibus minime *varia* studiorum *genera* memorata fuerint. Quare ex codicis Murb. lectione Herelius p. 561., retenta Rhenani coniectura *quae* pro *que* scribentis, sagaciter scripturam eruit a nobis in textu expressam. Nam quin in verbis — *lia talium* lateat *liberalium* in hoc sententiarum nexu, ubi de artium litterarumque cultu in universum agitur, non potest dubitari. cf. locos ab Herelio allatos I, 13, 3. *Scipio tam elegans liberalium studiorum admirator fuit.* Tacit. Ann. III, 43, 1. *Nobilissimam Galliarum subolem liberalibus studiis ibi operatam.* IV, 58, 1. *Ceteri liberalibus studiis praediti.* Quo vocabulo reperto qui supersunt apices *etinita* accuratissime referunt elementa *cunctae* vocis, quae et ipsa sensui egregie satisfacit, quum Velleius paullo ante *universam Graeciam* Athenis ingeniorum flore cessisse dixerit. Burerius coniecit *et multae aliae talium,* vel *item aliae tal.;* — Acidalius *ut multae aliae tal.;* — Vossius *etiam, ut aliae, talium;* — Ianius *item, ut aliae, tal.;* — Saupius apud Orellium *et in alia talium;* — Ed. Bip. *et civitates tal.;* — Cludius *reliquae urbes et civitates talium omnino;* — Orellius *et in totum liberalium;* — Baiterus apud Orellium *etiam aliorum liberalium;* — Bothius *et ibi talium;* — Kreyssigius Praef. p. XIV. *et inter alias talium;* — Warburton in Bibl. Tom. VII. p. 268. *et enitentes alias talium;* — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 13. *quae urbes et initialia studiorum;* — Ruhnkenius scripturam Ed. pr. sequitur.

nisi] Ita Burer. et Amerb.; sed Ed. pr. *ni.*

os Pindari illuminaret. Nam Alcmana Lacones falso sibi vindicant.

illuminaret] Vix mihi temperavi quin scriberem *illuminat*, quum condicioni, ex qua pendeat praecedens enunciatio consectaria indicativo expressa, nullus sit locus. *Nisi* enim in hoc nexu significat *excepto quod*, quae sententia poscit indicativum praesentis.

LIBER POSTERIOR.

I. Potentiae Romanorum prior Scipio viam 1
aperuerat, luxuriae posterior aperuit; quippe remoto Carthaginis metu sublataque imperi aemula, non gradu, sed praecipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas. Tum Scipio Nasica 2
in Capitolio porticus, tum, quas praediximus, Metellus, tum in Circo Cn. Octavius multo amoenissimam moliti sunt, publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est. Triste deinde et contumeliosum 3
bellum in Hispania duce latronum Viriatho secutum est, quod ita varia fortuna gestum est, ut saepius

I. 1. *transcursum*] Hanc vocem Gruterus perquam inepte delendam censet.

negotiis in otium] Ed. pr. *negoctis in ocium.* cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. P. I. p. 250.

conversa civitas] Heinsius maluit *conversa civitate.*

§. 3. *secutum est*] Heinsius deleri vult *est*, quia statim sequitur *gestum est*, assentiente Cludio. V. Prolegg. c. II. p. LXX.

Romanorum gereretur adversa. Sed interempto Viriatho fraude magis quam virtute Servili Caepionis,
4 Numantinum gravius exarsit. Haec urbs nunquam plura quam decem milia propriae iuventutis armavit,

Romanorum gereretur adversa] Heinsius, pueriliter genitivo offensus, scribendum coniecit *Romano re gereretur adversa*, vel *a Romano re* etc., vel *Romana re ger. adv.* Bipontini eandem ob caussam maluerunt *res Romanorum ger. adv.* Vulgatam sane probam Cludius male ita tuetur, ut dicat *Romanorum* pendere ex supplenda voce *bellum*. Ea potius loci indoles est, ut *Romanorum* ex *fortuna* voce sexto casu simul cum *adversâ* adiectivo cogitanda pendeat, cuius rei ratio continetur praegressi membri constructione continuata.

Servili] Ita Ed. pr. et Amerb.

§. 4. *nunquam plura quam decem milia propriae*] Ed. pr. et Amerb. *nunquam X. plura quam propriae*, quod feliciter emendavit Aldus Nepos; nam luce clarius est, scribam, quum bis *quam* ante oculos haberet, notam numeri X (i. e. *X millia*, cf. Gronov. ad Liv. XXXIV, 10, 4.) alieno loco posuisse; v. Prolegg. c. III. p. CXIV. Ursinus maluit *nunquam decem millibus plura propriae;* — Vossius *nunquam plura decem millia;* — Heinsius et Burmannus *nunquam plus decem millia.*

ingeni] Ed. pr. et Amerb. *ingenii.*

inscientia] Ed. pr. et Amerb. *inscitia;* — Burer. *inscia.* Quo compendio quum et *inscitia* et *inscientia* designetur, librorum auctoritas nihil valet ad alterutrum probandum. Recte igitur Moebius apud Cludium in Corrig. et Addend. p. 237. vim et usum verborum secutus h. l. *inscientiam* scribendum esse docuit. Nam ut *scientia* specialem quandam, velut rei militaris, cognitionem indicat, ita *inscientia* certae ac definitae rei est *ignoratio; inscitia* vero, ut ostendit vocis a *scitus* et *inscitus* descendentis origo, multo latius patet, atque in universum eius, qui *nihil recte scit*, naturam denotat, id quod h. l. minus in duces Romanos cadit, quam *singuli errores* in rebus gravibus commissi. De vocabulorum discrimine cf. Herzog. ad Caes. B. G. III, 9., Otto Excurs. ad Cic. de Finn. I, 14, 46. p. 399., Haasius ad Reisigii

sed vel ferocia ingeni vel inscientia nostrorum ducum vel fortunae indulgentia cum alios duces, tum Pompeium, magni nominis virum, ad turpissima deduxit foedera, nec minus turpia ac detestabilia Mancinum

Gramm. Lat. §. 82. not. 118. p. 118., quamquam is *inscitia* apud Velleium tuetur.

Pompeium, magni nominis virum, ad turpissima deduxit foedera, nec minus turpia] Ed. pr. et Amerb. *Pomp. magni nominis virum ad turpissima deduxit foedera, hic primus e Pompeiis Cos. fuit. nec minus turpia.* Acidalius haec sic disposuit: *Pompeium (hic primus e Pompeiis Cos. fuit) magni nominis virum* etc. Ruhnkenius maluit: *Pompeium (hic primus e Pompeiis, magni nominis viris, consul fuit) ad turpissima* etc. Orellius cum Ianio vulgatam defendens, tamen post *Pompeium* censet *pessimum* excidisse, quia cum Ruhnkenio non intellexit, quomodo iste Pompeius vir *magni nominis* dici posset. Sed nihil horum verum est. Locum sanavit Kreyssigius, qui Praef. p. XV. docuit verba *hic primus e Pompeiis consul fuit*, quae tum loco suo, tum *hic* pronomine, tum eo quod sequentium structuram impediunt, mirum quantum sunt inepta, ex cap. 21, 5. petita et a librario margini ascripta in textum irrepsisse; v. Prolegg. c. III. p. CXIII. Quibus eiectis sana sunt omnia; nam verba *magni nominis virum* non significant *eximiae famae virum*, quod sane alienum foret ab isto Pompeio, sed proprio sensu capienda sunt de clarissimo illo Pompeio Magno, ad quem Velleius respicit, acumen quaerens utriusque *factorum diversitate* cum *nominis aequalitate* comparata. cf. Censor. in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 544. Laurent. in Locis Vell. p. 133., et quae disputavimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 99. Froehlichius tamen in Diurn. doctt. Monacc. 1837. No. 66. p. 555. vulgatam tuetur, quia *eiusmodi* parentheses ac repetitiones Velleio usitatissimae sint! — Bergkius coniecit *Pomp. magni animi virum.*

nec minus turpia] Pessime Grunerus, obsequente Cludio, scripsit *nec minus ad turpia*, quem praepositionis positum latinitas prorsus respuit. Nexus orationis quum exterminato glosse-

5 Hostilium consulem. Sed Pompeium gratia impunitum habuit; Mancinum verecundia, quippe poenam non recusando, perduxit huc, ut per fecialis nudus ac post tergum religatis manibus dederetur hostibus. Quem illi recipere se negaverunt, sicut quondam Cau-

mate iam pateat (v. not. praecedentem), omnino praepositione iterata non opus est.

§. 5. *Sed Pompeium gratia impunitum habuit; Mancinum verecundia, quippe poenam non recusando, perduxit huc*] Ed. pr. et Amerb. *Sed Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia; quippe non recusando perduxit huc*, etc. quae Ruhnkenius merito conqueritur se non intelligere. Sed alios quoque interpunctio editionis pr. perversa in gravissimos errores induxit. Nam ut verborum *recusare* et *perducere* absoluta collocatio, nullo modo ferenda, tolleretur, Grunerus coniecit *qui populum, non recusando, perd. huc;* — Laurentius in Locis Vell. p. 133. *qui populum, non excusando* (sc. *se*), *perd. huc;* — Burmannus *qui populum Rom. non recusando, perduxit huc;* — Warburton in Bibl. Brit. Tom. VII. p. 269. *quae poenam non recusando perduxit hunc;* — Ed. Bip. *culpae poenam non recusando* etc.; — Krausius in Add. et Corrig. p. XLIV. cum V. D. in Ephemer. litt. Gotting. a. 1779. Addit. p. 120. verba *quippe non recusando* ut glossema deleri vult; — Orellius *quippe non recusando populum Rom. perd. huc;* — Halmius apud Orellium *quippe se, non senatum accusando, perduxit huc;* — Idem in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 41. p. 326 sq. *Thierschii* iudicium secutus a Velleii manu fuisse censet: *Mancinum verecundia pessumdedit; quippe non recusando rem perduxit huc.* — Emendationem nostram huius loci certissimam praeivit partim Vossius, qui acute vidit maiorem interpunctionem post *habuit* esse ponendam, ut *verecundia* subiectum esset *perduxit* verbi; partim Censor in Bibl. Univ. Germ. Vol. XLVIII. p. 543. qui *poenam* egregie vulgatae scripturae addidit. Nam ista vox, compendio pe scripta, intercepta est ultima praegressi vocabuli *quippe* syllaba (v. Prolegom. c. III. p. CVII sq.); sensu autem utique necessaria est, tum quia *impu-*

dini fecerunt, dicentes publicam violationem fidei non debere unius lui sanguine.

II. Immanem deditio Mancini civitatis movit dis- 1
sensionem; quippe Tiberius Gracchus, Tiberi Gracchi, clarissimi atque eminentissimi viri, filius, P.

nitum, i. e. *nulla poena affectum*, in opposita sententia *poenae* vocabulum flagitat, tum quia verba *quippe recusando*, quae illustrandae praegressae voci inserviunt, sine ista voce neque structurae neque sententiae satisfaciunt. Loci corruptela ac sanandi via sic demonstrata nemo mirabitur poenitere nos coniecturae in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 133. proposita *qui poenam non recusando rem perd. huc.*

post tergum] Amerb. *postergum.*

fecerunt] Ita Ed. pr.; Amerb. *fecer't.* Heinsio auctore, qui *fecerunt* aut delendum, aut in *fecerant* mutandum censuit, multi plusquamperfectum praetulerunt, sine caussa idonea. Non opus est enim duo tempora inter se comparari, quum utraque res per se enunciari possit; cf. annotat. nostram ad Sall. Catil. c. XVII, 2. p. 81. Caes. B. G. VI, 31. *Qui proximi Oceanum fuerunt, hi insulis sese occultaverunt, quas aestus efficere consuerunt.*

publicam violationem fidei] H. Grotius de I. B. et P. II, 15. 16. legit *publicae violationem fidei.* Sed sic perit vis et venustas oppositi, quod est in *publicam* et *unius.* Seneca Pat. Suasor. I. p. 53. *Pro uno homine iactura publica pacisceris.* Controv. V. p. 389. *Nunquam unius facto publica fama corrumpitur.* Satius igitur est vulgatam lectionem sequi, praesertim cum eam imitatione sua confirmet Sulpic. Sever. I, 29. *Ita paucorum scelus publico exitio punitum.* Ruhnk.

II, 1. *Tib. Gracchus, Tib. Gracchi*] Amerb. *Tempus Graacchus Tibur Gracci;* ex qua inepta scriptura Halmius in Annall. crit. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 41. p. 327 coniicit in cod. Murb. fuisse *Tib. Sempronius Gracchus, Tib. Gracchi.* Cui quamquam assensi sumus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 125., nunc tamen consultius iudicamus lectionem Ed. principis, Burerii silentio confirmatam, tueri. Nam *Tempus* illud pariter atque *Tibur* pingui Amerbachii ingenio deberi non est dubium.

Africani ex filia nepos, quo quaestore et auctore id
2 foedus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se pactum infirmari, nunc similis vel iudici vel poenae metuens discrimen, tribunus plebis creatus, vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtuti-

§. 2. *aliquid a se pactum*] Ed. pr. et Amerb. *aliquid a se factum*. Kreyssigius Praef. p. XV. coniecit *pactum* pro *factum*, quam emendationem, a nobis iam in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 99. laudatam, licet valde repugnantibus Haasio in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. No. 102. p. 204. et Halmio in Annall. crit. Berol. a. 1837. Vol. I. No. 60. p. 478., etiamnum tuemur, re ipsa flagitante. Nam *deditionem fecit* Mancinus, non Gracchus, qui Floro auctore III, 14, 2. *sponsor* fuit *foederis*, non aliam ob caussam postulatus ad negotii transigendi munus a Numantinis, quam quia nulli alii praeter eum fidem habebant. Quum igitur longe gravissime ferret, nihilominus fidem suam *in paciscendo* requisitam infringi, *pactoque* (non simpliciter *facto* aliquo) infirmato *vanum* se videri et tanta fiducia a Numantinis in ipso posita indignum, Velleius nullo modo, etiamsi negligenter ac festinanter scripsit, vago et ieiuno vocabulo *facti* uti potuit. Rem extra omnem dubitationem ponit Plutarchus, qui in vita Tib. Gracchi c. V. Ἀπογνοὺς, inquit, τὴν ἐκ τοῦ βιάζεσθαι σωτηρίαν ὁ Μαγκῖνος, ἐπεκηρυκεύετο περὶ σπονδῶν καὶ διαλύσεων πρὸς αὐτούς (sc. τοὺς Νομαντίνους). Οἱ δὲ πιστεύειν ἔφασαν οὐδενί, πλὴν μόνῳ Τιβερίῳ, καὶ τοῦτον ἐκέλευον ἀποστέλλειν πρὸς αὐτούς. — Οὕτω δὴ πεμφθεὶς ὁ Τιβέριος καὶ συγγενόμενος τοῖς ἀνδράσι, καὶ τὰ μὲν πείσας, τὰ δὲ δεξάμενος, ἐσπείσατο. In tanta sententiae perspicuitate Kreyssigii scriptura vix potest coniectura dici, quum *f* et *p* litterae frequenter in codd. permutentur; cf. Kreyssig. ad Livii libr. XXXIII, 1. p. 4. Graev. ad Flor. I, 15, 1. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 6. 5. — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 65, p. 546. *factum* improbans *actum* coniicit, coll. II, 41, 3. II, 44, 2.

metuens] Amerb. *intuens*.

proposito sanctissimus] An legendum: *proposito constantissimus?* ut II, 63, 3. *Asinius Pollio firmus proposito*

bus, quantas perfecta et naturà et industria mortalis condicio recipit, P. Mucio Scaevola, L. Calpurnio consulibus, abhinc annos centum sexaginta duos de- 3
scivit a bonis, pollicitusque toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus factum concupiscentibus, summa imis miscuit et in prae-

et Iulianis partibus fidus. Sed *sanctum* Gracchi *propositum* fuisse docet Sallustius Iug. c. XLII, 1. *Postquam Tiberius et Gaius Gracchus vindicare plebem in libertatem, et paucorum scelera patefacere coepere.* Ruhnk.

mortalis condicio] Ed. Basil., ablativos *naturà* et *industriâ* imprudenter pro nominativis capiens, scripsit: *quantas perfecta et natura et industria mortalis condicionis recipit.* Heinsius pariter ambiguitate structurae offensus, maluit: *quantas perfecta et naturae et industriae mortalis condicio recipit.*

annos centum sexaginta duos] Quum P. Mucius Scaevola et L. Calpurnius secundum Fastos coss. anno u. c. 620 consules essent, numero 162 ab 781 detracto, prodit 619. Quae ratio quum uno tantum anno a Fastis discrepet, nihil mutandum videtur, quum in incerto sit, utrum scriba unum numerum falso addiderit, an Velleius ipse non prorsus accurate annos computaverit.

§. 3. *omnibus factum concupiscentibus*] Ed. pr. *omnibus statum concupiscentibus.* Amerbachius pro *statum* exhibens *factum*, quod in textum recepimus, veram codicis Murb. scripturam felicius oculis eruisse putandus est, quam Rhenanus et Burerius, quos similitudo litterarum *f* et *st* decepisse videtur. Sensus Amerbachianae lectionis prorsus egregius hic est: Gracchus, pollicitus toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, *quum omnes* (sc. quibus id promiserat, i. e. plebs et socii) *factum concupiscerent*, i. e. *valde cuperent, ut id, quod pollicitus erat, fieret*, in tanto omnium studio tantaque animorum commotione, *summa imis miscuit.* De structura verbi *concupiscere* et *similium* c. inf. perf. passivi cf. Zumptii Gramm. Lat. c. 80, 11. not. 1. §. 611. p. 517. ed. VIII. In vulgata offensi editores varia tentarunt; Gelenius (Ruhnk. falso Ed. pr. dicit) coniecit *omn. statim concupisc.*, falso probatum

ruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam, Octavioque collegae pro bono publico stanti imperium abrogavit; triumviros agris dividendis colonisque deducendis creavit se socerumque suum, consularem Appium, et Gaium fratrem admodum iuvenem.

a Genslero in Seebodii Bibl. crit. rei schol. a. 1821 fasc. 9. p. 819 sq.; — Lipsius *omnium statum concutientibus;* — Heinsius *omnem urbis statum concutientibus;* — Grunerus *inopibus statum concupiscentibus;* — Halmius in Emendd. Vell. p. 4. *novum omnibus statum concupiscentibus;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 71. p. 590. *agrariis legibus, gratis omnibus statum concupiscentibus;* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 147. *optimis statum concutientibus;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 346. *omnibus ratum concupiscentibus.* — Si cui nostra scriptura displiceat, ei auctores sumus, ut omissis his coniecturis omnibus lectionem Ed. pr. tueatur, quam Ianius per se non male explicat. Nam quum *status* praegnanti sensu significet *certam vitae condicionem, tam privatam, quae est in fortunis ac bonis, quam civilem sive publicam, quae cernitur in ratione libertatis, civitatis, ordinis* (quam vocis vim sine adiectivo constare immerito negavit Halmius Emendd. Vell. p. 4. et nos ipsi in Zimmerm. Ann. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 127., immemores Taciti Ann. III, 28, 3. *multorum excisi status*; cf. etiam Ruhnk. ad Vell. II, 72, 5. et Walch. ad Tacit. Agricol. c. VII. p. 164.), vulgatae sensus foret: *quum omnes* (i. e. in hoc nexu, plebs et Itali) *cuperent statum se habere,* i. e. *bona certa atque agros possidere et sic in republica aliquid valere.* Sed minus bene haec cum verbis sequentibus, *summa imis miscuit,* cohaerent, quam Amerbachiana lectio.

Octavioque] Bothius *que* delevit.

publico stanti] Amerb. *publicos tanti.*

abrogavit] Burer. et Amerb. *adrogavit;* Rhenanus in Ed. pr. tacite, sed vere correxit *abrogavit.*

triumviros agris] Amerb. *Triumviro. sanis.* — Cludius scripsit *triumviros vero agris.*

colonisque] Ed. pr. et Amerb. *coloniisque,* quod Lipsius recte mutavit, quum intelligantur γεωργοί, non ἄποικοι; *colonias*

III. Tum P. Scipio Nasica, eius, qui optimus 1
vir a senatu iudicatus erat, nepos, eius, qui censor porticus in Capitolio fecerat, filius, pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri P. Africani patrui, privatusque et togatus, cum esset consobrinus Ti.

enim proprie sic dictas Tib. Gracchus nullas deduxit. Lipsii emendationem confirmat Plutarchus in vita Tib. Gracchi c. XIII. *Ἐκ τούτου κυροῦται μὲν ὁ περὶ τῆς χώρας νόμος, αἱροῦνται δὲ τρεῖς ἄνδρες ἐπὶ τὴν διάκρισιν καὶ τὴν διανομήν, αὐτὸς Τιβέριος, καὶ Κλαύδιος Ἄππιος, ὁ πενθερὸς, καὶ Γάϊος ὁ Γράγχος, ὁ ἀδελφός.* Frustra igitur obloquuntur Krausius in Addend. et Corrig. p. XLV. et Kreyssigius Praef. p. XV., nisi loco Sallustii in Iug. c. XLII., ubi C. Gracchus *triumvir coloniis deducendis* dicitur; nam ibi de multo seriore tempore agitur, ut patet ex Plutarchi vit. C. Gracchi c. X, init.

Gaium fratrem] Ed. pr. et Amerb. *Gracchum fr.* Heinsius suspicabatur *G.*, signum *Gaii* nominis, ante *Gracchum* excidisse. Sed multo verius Halmius in Emendd. Vell. p. 5. coniecit *Gracchum* scriptum esse a librario, qui *G.* litteram pro *Gracchi* nota haberet, nescius veteres, ut fratres discernerent, constanti usu solo praenomine uti. cf. II, 6, 1. *Qui Ti. Gracchum, idem Gaium fratrem eius occupavit furor.* ibid. §. 4. *Quem C. Gracchus in locum Tiberi fratris triumvirum assumpserat.* Cic. de Orat. I, 1, 1; II, 1, 1; III, 1, 1.

III, 1. *P. Africani patrui*] Ed. pr. et Amerb. *P. Africani patruus.* Apertum vitium correxit Ed. Basil. reponendo *patrui;* nam Cn. Scipionem, in Hispania una cum Publio fratre caesum, patruum fuisse P. Cor. Scipionis Africani Maioris et notissimum est, et a Velleio infra II, 90, 2. rursus memoratur. Corruptelam genuit perversa structura a librario inita, qui genitivorum rationem non capiens nominativos continuari putaret; cf. Prolegg. c. III. p. CV. A vero aberravit igitur Krausius, qui in Addend. et Corrig. p. XLV. Aldum Nepotem secutus *patruus* ortum censet ex *patrui, is;* si apices spectas, bene, sed structurâ valde impeditâ ac prorsus incommodâ.

privatusque et togatus] Cludius in Corrig. et Add. p. 237. offensus *que* particula, eam aut delendam censet, aut in *quidem* mutandam; sed *que — et* non minus recte quam *et — et* sibi respondent; cf. ad Sall. Iug. c. LXXXI, 2. p. 426.

Gracchi, patriam cognationi praeferens, et quicquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans, (ob eas virtutes primus omnium absens pontifex maximus factus est), circumdata laevo brachio togae lacinia ex superiore parte Capitoli summis gradibus insistens hortatus est, qui salvam vellent rem-
2 publicam, se sequerentur. Tum optimates, senatus atque equestris ordinis pars melior et maior et intacta perniciosis consiliis plebs irruere in Gracchum stantem in area cum catervis suis et concientem paene totius Italiae frequentiam. Is fugiens decurrensque

Ti. Gracchi] Ed. pr. et Amerb. *T. Gracchi.* Praenomen correxit Ed. Bas.

ob eas virtutes] Aldus Nepos coniecit *ob quas virt.*, quod relicui editores perperam probarunt; nam verbis per parenthesin interiectis nihil plane est cur demonstrativum non feratur; cf. II, 53, 2. *Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium (is iam a Mytilenis Corneliam uxorem receptam in navem fugae comitem habere coeperat) consilio Theodoti exciperent,* II, 18, 3. ubi v. cf. etiam annotationem nostram ad Sall. Iug. c. LI, 3. p. 286. — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. p. 287. parenthesi sublata scribendum censuit *factus esset.*

factus est] Heinsius *est* deleri vult.

circumdata] Ed. pr. et Amerb. *cum data;* quippe *cir* syllabam, *c* littera scriptam, intercepit alterum *c*, v. Prolegg. c. III. p. CVII sq. Verum restituit Aldus Nepos.

superiore] Ita Burer. et Amerb.; — Ed. pr. *superiori.*

§. 2. *senatus*] Hanc vocem Cludius in Corrig. et Add. p. 237. de glossemate suspectam habens eiiciendam censet.

atque equestris ordinis] Amerb. *atque et equestris ordinis*, unde Laurentius in Locis Vell. p. 133. coniecit Velleium scripsisse *atque etiam equestris ordinis*, quod inconsulto probavimus in Zimmermanni Annall. studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 122. Nam quod Laurentius dicit, mirum fuisse, quod *adeo*

clivo Capitolino, fragmine subselli ictus vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis gladiorum- 3
que impunitatis fuit. Inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior, discordiaeque civium, antea condicionibus sanari solitae, ferro diiudicatae, bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit. Quod haud mirum est. Non enim ibi consistunt exem- 4
pla, unde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime evagandi sibi viam faciunt, et ubi semel recto deerratum est, in praeceps per-

equites, tantum Gracchi favorem experti, in illum irruerint, idque *etiam* vocula egregrie declarari, verum esset, si Velleius de equitibus in universum loqueretur. Sed quum ordinis equestris *partem meliorem* dicat, eos intelligit, qui alia, quam ceteri equites, consilia sequerentur, et statim ab initio Graccho adversarentur. Hos igitur minime mirum fuit tum in Gracchum irruisse. Quare *etiam* particulae nullus locus est.

§. 3. *obrutum*] Ruhnkenius malebat *obtritum*, propter Liv. III, 56, 8. *Implorare praesidium populi, qui omnia iura populi obtrisset.* Nullam mutandae vulgatae caussam esse iam vidit Censor in Bibl. Germ. univers. Vol. XLVIII. p. 544.

discordiaeque] Bothius *que* delevit.

antea condicionibus] Ed. pr. *ante a condicionibus.* Veram scripturam, ab Ed. Basil. coniectura repertam, habet etiam Amerb.

bellaque] Bothius *que* delevit.

non causis inita] Cludius necessarium putavit *non iustis de causis.* Sed hoc ipsum inest in vulgata; nam *causa* praegnanti sensu significat *iustam causam*, ut *tempus* dicitur pro *iusto tempore, locus* pro *idoneo* vel *proprio loco;* cf. annotata nostra ad Sall. Cat. c. IX, 4. ad Iug. LXXIX, 7. et LXXXIX, 3.

§. 4. *ibi consistunt*] Vascosanus scripsit *ibi insistunt.*

recto] Vascosan. *a recto.*

venitur, nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum.

1 IV. Interim, dum haec in Italia geruntur, Aristonicus, qui mortuo rege Attalo, a quo Asia populo Romano hereditate relicta erat, sicut relicta postea est a Nicomede Bithynia, mentitus regiae stirpis

sibi putat] Ed. pr. *putat,* omisso *sibi;* sed pronomen, quod necessarium est propter *alii* oppositum, tuentur Burer. et Amerb.

IV, 1. *qui mortuo rege*] Ut constructio accurate procederet Ed. Basil. delevit *qui;* Heinsius, assentiente Ruhnkenio, sustulit *is* ante *victus;* — Orellius *qui* mutavit in *quidam, dam* syllabam interceptam putans sequenti *m* littera; cuius rationem licet olim probaverimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 9. p. 87., postea falsam esse intellexi. Nihil enim in vulgata mutandum, quamquam minime cum Krausio in *is* pronomine, quod relativo subiicitur, elegantia quaedam est quaerenda: nam quae ille affert exempla Cic. in Verr. IV, 55. et Liv. I, 26., in iis demonstrativum relativo subiunctum non grammatica, sed rhetorica ratione nititur. Velleius vero in levem anacoluthiam incidit, inceptae structurae oblitus, vel potius familiaris sermonis gratam negligentiam secutus, quae res eo faciliorem excusationem habet, quod relativum quattuor enunciationibus interpositis a verbo dirimitur. Quare hic locus, de quo idem fere iudicat Genslerus in Scebodii Nova Bibl. crit. rei schol. a. 1823. I, 2. p. 180., simul cum plurimis aliis festinationis exemplis ferendus, neque ad accuratam dicendi normam exigendus est.

hereditate] Ed. pr. et Amerb. *hereditati,* quod correxit Aldus Nepos. Burmannus contulit Quintil. Declam. CCCXI. *Servus aut domi natus est, aut relictus hereditate.* cf. Cic. de Inv. I, 45.

relicta postea] Krausio in Add. et Corrig. p. XLV. *relicta* propter repetitionem de glossemate suspectum videtur. V. Prolegom. p. LXVII sq.

Perperna] Ed. pr. et Amerb. *Perpenna.* Veram nominis formam, lapidum auctoritate nitentem, restituit Burmannus. cf. Duker. ad Flor. II, 20, 6. Drakenborch. ad Liv. XLIV, 27, 11. Sigon. ad Epit. libri LIX. Kreyssig. ad Livii Fragm. lib. XCI. p. 419. Heinrich. ad Cic. Oratt. partes ineditas p. 10. et p. 109.

originem, armis eam occupaverat, — is victus a M. Perperna ductusque in triumpho, sed a M'. Aquilio, capite poenas dedit, cum initio belli Crassum Mucianum, virum iuris scientissimum, decedentem ex Asia proconsulem interemisset. Et P. Scipio Africanus 2
Aemilianus, qui Carthaginem deleverat, post tot ac-

sed a M'. Aquilio] Ed. pr. *sed M. Aquilio*, Amerb. *set M. Aquilio.* Certa coniectura locum sanavit Aldus Nepos, non solum pro *Marci* praenomine *Manii* reposito auctoritate Iustini XXXVI, 4, 10. Fastorum capitt. p. 43. ed. Laur. et Strabonis XIV. p. 957. B., sed etiam *a* praepositione illata, quae, orationis membris non coniunctis, sed inter se oppositis, abesse nequit. — *Sed* particula exceptionem quandam et correctionem significat; cf. II, 8, 2, *Non minus clarum exemplum Fulvi Flacci filiorum, sed alterius in adoptionem dati fuit.* II, 20, 1. *Pompeius ab exercitu proconsulis seditione, sed quam dux creaverat, interfectus est.* II, 41, 1. *Caesar Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus.* II, 88, 2. *Maecenas equestri, sed splendido genere, natus.* Cic. in Pison. c. II, 25. *Erant illi cerussatae buccae, dignae Capua, sed illa vetere.* v. Burmann. ad Petron. 128. Ruhnk. Male igitur Ursinus deleto *sed* legi vult: *ductusque in triumpho a M'. Aquilio;* peius etiam Heinsius *ductusque in triumpho sub M'. Aquilio;* — et Pontanus Analect. I. *ductusque in triumphum post a M'. Aquilio.*

Aquilio] Kreyssigius Praef. p. XVI. unice veram iudicat formam *Aquillius.* Quae quamquam non falsa est, tamen a vulgata scriptura non est recedendum, quippe quae plurimis certissimisque monumentis antiquis confirmetur; cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. P. II. p. 408. Drakenb. ad Liv. II, 4, 1. et II, 40, 14. et imprimis Klotzium in Novv. Ann. Philol. et Paed. Vol. XVII. fasc. 6. p. 203.

capite] Pighius in Annall. ad a. u. c. DCXXVII. citat *capiteque.*

ex Asia] Amerb. *ex alia.*

proconsulem] Heinsius, non liquet cui bono, mavult *proconsule.*

§. 2. *Et P. Scipio*] Acidalius delevit *et*, tanquam ex ul-

ceptas circa Numantiam cladis creatus iterum consul missusque in Hispaniam, fortunae virtutique expertae in Africa respondit in Hispania. Et intra annum ac tris mensis, quam eo venerat, circumdatam operibus
3 Numantiam excisamque aequavit solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariore urbium excidio nomen suum perpetuae commendavit memoriae; quippe excisa Carthagine ac Numantia ab alterius nos

tima syllaba *interemisset* verbi natum. — Vossius scripsit *At P. Scipio*, quod multis placuit. Sed quamquam concedendum est *et* particulâ ieiune et impolite transiri ad rem plane novam, tamen hoc ipsum ferendum est in scriptore, cum in multis aliis rebus negligente, tum orationis bene nectendae vel imperito vel incurioso. Ruhnkenius iam comparavit II, 5, 2. et II, 33, 4.

missusque in Hispania] Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX, p. 347. coniecit *missusque eo*, propter sequens *in Hispania*.

respondit in Hispaniam] Verba *in Hispania* delenda censuit Heinsius, assentiente Ruhnkenio, nobisque non improbantibus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 127. Halmius contra in Annall. crit. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 21. p. 328. et in Emendd. Vell. p. 5. proposuit *respondit et in Hispania*, quod propterea ferri non potest, quia, quum Scipio in Africa *non respondisset* fortunae, sed eam primum *expertus esset*, non dici potest *etiam* in Hispania *respondisse*. Nimis audacter Cludius locum sic refingendum censet: *respondit ita in Hispania, ut intra annum — aequaret solo*. Sed vulgata, licet paullulum molesta, omni suspicione caret, quum Velleius, magis quaerendae oppositioni quam vitandae repetitioni aut comendae orationi intentus, verbis *in Africa* consulto *in Hispania* opposuerit; v. Prolegg. c. II. p. L.

tris mensis] Ed. pr. *treis menses*, Amerb. *tris menses*.

§. 3. *Nec quisquam* etc.] Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 70. p. 583. coniecit *solo; ac quoquam ullius — eum clarior*, II *urbium excidio*.

clariore] Ita Burerius; Ed. pr. et Amerb. *clariori*. Amerb. primo scripserat *clariorum*. — Heinsius maluit *clarior*, falso id editioni pr. tribuens.

metu, alterius vindicavit contumeliis. Hic, eum inter- 5
rogante tribuno Carbone, quid de Tib. Gracchi caede sentiret, respondit, si is occupandae reipublicae animum habuisset, iure caesum. Et cum omnis contio acclamasset: Hostium, inquit, armatorum totiens clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia? Reversus in urbem intra breve tempus, M'. Aquilio, C. Sempronio consulibus, abhinc annos

§. 4. *Hic, eum interrogante tribuno Carbone, — respondit*] Genslerus in Seebodii Nov. Bibl. crit. rei schol. a. 1823. I, 2. p. 181. coniecit: *Hic, cum, interrogante tribuno Carbone — respondisset.* v. Prolegg. c. II. p. LXXII.

contio] Ed. pr. *concio.*

acclamasset] Lipsius maluit *occlamasset.* Sed *acclamare* non solum concionis clamorem significat eum, qui assensum vel gaudium declarat, sed etiam de *strepitu indignantium et dissentientium* dicitur; cf. Cic. Brut. c. LXXIII, 256. *Non metuo, ne mihi acclametis.* de Orat. II, 83, 339. *Vitanda est acclamatio adversa populi.* Epp. ad Q. Fr. II, 1. *C. Cato contra dixit maxima acclamatione senatus.* Ascon. Ped. argum. orat. p. Mil. *Cicero exceptus est acclamatione Clodianorum.* Suet. Aug. c. LXX. Curt. X, 2, 16. Ianius. Grunerus praeterea contulit Cic. Epp. ad. Q. Fr. II, 3. Senec. Ep. 47. Iustin. XXIV, 5. 4. Schefferus tamen in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 456. et haec loca, et siquae alia sint, corrupta iudicat et ubique scribendum *occlamare.*

§. 5. *M'. Aquilio*] Ed. pr. et Amerb. *M. Aquilio,* ut supra §. 1.

annos centum quinquaginta septem] Ed. pr. et Amerb. *annos CL,* aperto vitio. Nam quum M'. Aquilii et C. Sempronii consulatus secundum Fastos coss. capitt. incidat in annum u. c. 624, isto numero ab anno Viniciani consulatus, i. e. 781, detracto efficitur 157, de cuius numeri veritate eo minus dubitari potest, quum Velleius ipse supra II, 2, 2., ubi v. annotata, Mucii Scaevolae et L. Calpurnii consulatum, *quattuor* annis ab Aquilii et Sempronii distantem, anno ante Vinicium consulem 162 assignaverit. Quodsi ab uno anno discesseris, cuius rationem non

centum quinquaginta septem post duos consulatus duosque triumphos et bis excisos terrores reipublicae mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quaedam elisarum faucium in cervice reperirentur notae. 6 De tanti viri morte nulla habita est quaestio, eiusque corpus velato capite elatum est, cuius opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput. Seu

plane constare l. l. vidimus, hac quoque via idem numerus prodit, quum 162 — (4 + 1) = 157. — Aldus Nepos emendavit *annos CLVIII;* — Laurentius in Fastis coss. capitt. p. 79. *annos CLX,* quod nimis a vero recedit.

bis excisos] Ruhnkenius maluit *binos excisos,* sine idonea caussa; nam *bis* significat *duobus temporibus diversis.* Ciceronis locus in orat. p. Mur. 28, 58. *Bis consul fuerat P. Africanus, et duos terrores huius imperii, Carthaginem et Numantiam deleverat,* — quid valeat ad *binos* confirmandum equidem non video; at vidisse sibi visus est Wyttenbachius in Bibl. crit. Vol. I, 4. p. 55.

§. 6. *habita est*] Cludius *est* deleri vult, quia statim sequitur *elatum est.* V. Prolegom. p. LXX.

Seu fatalem] Ruhnkenius scribi postulat *sed seu fatalem,* non reputans inaequali tractu Velleii orationem fluere, ac hic illic nullam ei nectendae curam ab auctore impendi.

nullius, praeterquam avito fulgore] Heinsius h. l. ludimagistrum agens: simplicius, inquit, dixisset *nullo, nisi avito fulgore,* vel *nullius nisi avi fulgore.*

§. 7. *anno ferme quinquagesimo sexto*] Lipsius, ut ratio constaret, numerum Ed. pr. et Amerb. *LVI* mutavit in *LIV;* Puteanus contra statim post pro *anno XXXVI,* ut est in Ed. pr., scripsit *anno XXXVIII,* idque unice verum est. Nam quum inter Scipionis mortem (a. Chr. n. 129) et primum eius consulatum (a. Chr. n. 147) 18 anni intersint, ab isto rursus consulatu usque ad alterum Aemilii Paulli patris consulatum (a. Chr. n. 168.) retro 21 anni numerentur, Scipio autem illo ipso tempore teste Livio XLIV, 44, 3. annos 17 natus esset, numeris 17 + 21 + 18 coniunctis non solum efficitur summa *quinquaginta sex* annorum, quibus vixit Scipio, sed luce clarius etiam patet eum consulem factum esse non 36, sed 38 annos natum, vitiumque non in priore,

fatalem, ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidere memoriae, mortem obiit, vitam certe dignissimam egit, quae nullius ad id temporis praeterquam avito fulgore vinceretur. Decessit anno ferme 7
quinquagesimo sexto, de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum eius, in quem evectus est anno tricesimo octavo; ita dubitare desinet.

sed in posteriore Velleii numero inesse. Immerito igitur Laurentius Loc. Vell. p. 134 chronologiam huius loci incertam dicit.

ambiget] Fiedlerus scripsit *ambigat*, speciose magis quam vere. Nisi enim re vera fuissent, qui de vitae ambitu Scipionis dubitassent, Velleius in eius rei explicationem plane non potuisset incidere. Quare quum hoc dicat: si quis *etiam postea* dubitabit, *ut iam a nonnullis dubitatum est*, in hac sententia coniunctivo nullo modo potuit uti. cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 78, 2. §. 524. p. 453. ed. VIII.

in quem evectus est] Ed. pr. et Amerb. *in quem creatus est*, pro quo Vir doct. in Bibl. philol. Lips. Vol. I. p. 45. acute coniecit quod Krausio auctore in Add. et Corrig. p. XLVI. recepimus. Nam *creare aliquem in consulatum* non modo insolens est, sed adeo barbarum, ut ne supina quidem scribentis negligentia excusari possit. *Evectus* autem, quod quam simile sit *creatus* vocabulo in oculos incurrit, Velleii usu egregie confirmatur; cf. II, 90, 1. *Agrippam usque in tertium consulatum amicitia principis evexerat.* II, 53, 3. *Hic viri in id evecti, super quod ascendi non potest, vitae fuit exitus.* Idem verbum in cod. Murb. obliteratum, sed ab editoribus recte restitutum est II, 30, 3. II, 56, 3. et II, 127, 1. ubi v. Usus autem est Velleius *evectus* vocabulo, quia Scipio ante legitimam aetatem summum honorem obtinuit.

anno tricesimo octavo] Ed. pr. *anno XXXVI;* Amerb. *annos XXXVI.* De numero paullo ante diximus. Orellius, Amerbachio, mentis vel oculorum errore *annos* scribenti, plus iusto tribuens, suspicatur participium, velut *agens*, vel *habens*, vel *natus* excidisse post *annos*. Ex his *agens* ne latinum quidem esse iam monuit Kreyssigius Praef. p. XVI.

ita dubitare desinet] Grutero haec tanquam inutilia ab interpolatore illata videntur.

1 V. Ante tempus excisae Numantiae praeclara in Hispania militia D. Bruti fuit, qui penetratis omnibus Hispaniae gentibus, ingenti vi hominum urbiumque potitus numero, aditis quae vix audita erant, 2 Gallaeci cognomen meruit. Et ante eum paucis annis tam severum illius Q. Macedonici in his gentibus imperium fuit, ut, cum urbem Contrebiam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas praecipiti loco

V, §. 1. *D. Bruti*] Ed. pr. et Amerb. *A. Bruti*, quod vitium ex frequenti *d* et *a* litterarum confusione ortum (cf. Prolegg. c. III. p. LXXXVII.) correxit Aldus Nepos. cf. Freinshem. ad Flor. II, 17, 12.

in Hispania] Haec verba Heinsius ab interpolatore inculcata opinatur.

ingenti vi hominum urbiumque potitus numero] Lipsius *numero* vocem ex glossa irrepsisse putavit, Ruhnkenio assentiente; Kreyssigius Praef. p. XVI. coniecit *ingenti ibi hominum* etc. Sed neutrum fieri posse ostendimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 12. p. 102.; nam sive *vi* scribitur, sive *numero*, adiectivum *ingens*, recte de *hominibus captis* dictum, perperam ita ad *urbium* nomen trahitur. In vulgata vero omnia recte habent, modo teneas *ingenti* non pertinere ad *numero*, quod vocabulum absolute positum potestatem habet numeralis indefiniti, plane ut apud Germanos *eine Anzahl Städte* idem est quod *mehrere Städte*.

audita erant] Sigonius ad Fastos a. 617. haec laudans scripsit *adita erant*, quod mirifice friget; cf. Flor. II, 17, 12.

Gallaeci] Ed. pr. et Amerb. *Gallaci*; veram scripturam exhibuit Ruhnkenius; cf. Strab. III. p. 228. Almel. Flor. II, 17, 12. Plin. H. N. IV, 34.

§. 2. *Et ante eum*] Cludius scripsit *At ante eum*, eadem iudicii perversitate, ut II, 4, 2. ubi v.

in his gentibus] Amerbachii negligentia exciderunt voces *in his*, de qua re non dubitare decebat Orellium.

in Hispania] Heinsius haec verba ab interpolatore inculcata dicit.

§. 3. *non deterritus proposito, quem*] Ed. pr. et Amerb.

quinque cohortis legionarias eodem protinus subire iuberet; facientibusque omnibus in procinctu testa- 3
menta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito, quem moriturum miserat militem victorem recepit. Tantum effecit perseverantia ducis, mixtus timori pudor spesque desperatione quaesita. Hic virtute ac severitate facti, at Fabius Aemilianus Pauli exemplo disciplinae in Hispania fuit clarissimus.

non deterritus proposito, perseverantia ducis, quem. Quum verba *perseverantia ducis* non cum relicua oratione coirent, Davisius ad Cic. Tusc. III, 1. ea tamquam manifestum glossema eiicienda censuit, Ruhnkenio assentiente; — Heinsius coniecit *non deterriti proposito perseverantiâ ducis*; — Iac. Perizonius apud Heinsium *non deterritus est proposito. Perseverantia ducis, quem* etc.; — Burmannus *non deterrita proposito perseverantia ducis* etc. Sed haec omnia tum sensu, tum structura ita laborant, ut ulcus non sanatum videatur. Quare tuemur etiamnum coniecturam nostram in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 134. propositam, verba *perseverantia ducis* scribae errore ex sequente versu huc tracta rursus post *effecit* esse transponenda, ut haec enunciatio uno tenore sic decurrat: *non deterritus proposito, quem moriturum miserat militem, victorem recepit.* Qua emendatione eo magis confidimus nos verum consecutos esse, quod non solum omnibus difficultatibus huius loci medetur, sed etiam sequentis enunciationis vim mirifice auget, salute exercitus maxime *ducis* virtuti tributa, ad cuius laudem totus hic locus spectat.

Tantum effecit perseverantia ducis, mixtus] Ed. pr. et Amerb. *tantum effecit mixtus.* V. not. praecedentem.

timori pudor] Amerb. *pudori timor,* unde Orellius, non reputans illum somniasse, fecit *pudor timori.*

Pauli exemplo disciplinae] Lipsius distinxit: *at Fab. Aemilianus, Pauli, exemplo* etc., ut *Pauli* genitivus pendeat ex supplendo substantivo *filius.* Ruhnkenius maluit istud *filius* nomen addere, quippe quod in cod. *F.* littera scriptum facile oblitteratum fuerit. — Puteanus scripsit: *Pauli exemplo, disciplinâ*; — Heinsius vulgatam sequens coniungit *Pauli exemplo,* ac *di-*

1 VI. Decem deinde interpositis annis, qui Ti. Gracchum, idem Gaium fratrem eius occupavit furor, tam virtutibus eius omnibus, quam huic errori simi-
lem, ingenio etiam eloquentiaque longe praestantio-
2 rem. Qui cum summa quiete animi civitatis princeps esse posset, vel vindicandae fraternae mortis gratia vel praemuniendae regalis potentiae eiusdem exempli

sciplinae aptum esse dicit ex superlativo *clarissimus;* — Ianius vero hanc constructionis putat esse rationem, ut *disciplinae* pendeat ex repetitis verbis *virtute ac severitate,* ita ut *facti* opponatur *disciplinae.* Sed ut haec ratio est impeditissima ac nullo modo latina, ita de inferendo *filius* vocabulo non potest cum Ruhnkenio cogitari, quia *Aemilianus* iam Aemilii filium designat. Vulgata, quae est sanissima, sic intelligenda est, ut verba *exemplo disciplinae* coniuncta pendeant ex p. aecedente genitivo *Pauli,* hoc sensu: Fabius Aemilianus fuit clarissimus *disciplinae exemplo quod Paulus praeiverat,* i. e. *sequendo exemplo Pauli,* in servanda disciplina exhibito, *clarissimus fuit.* De Aemilii Pauli disciplina egregia v. Plutarch. in eius vita c. III. Genitivorum diversorum structuram illustravimus ad Sall. Iug. c. XXX, 3. p. 170. Cui nostra explicatio non satisfacit, cum Puteano legat *disciplinâ,* et eandem loci sententiam habebit.

in Hispania] Heinsius hic tertio interpolationem deprehendisse sibi visus est.

VI, 1. *Ti. Gracchum*] Ed. pr. et Amerb. *T. Gracch.*

occupavit] Burmannus maluit *occoecavit*, recte refutatus ab Oudendorpio ad Caes. B. C. III, 109, 5. et a Wopkensio in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 28. coll. Iust. VII, 5.

§. 2. *eiusdem exempli tribunatum ingressus*] Herelius, qui ignorare se fatetur, quid sit tribunatus *eiusdem exempli,* p. 561. coniicit *eiusdem exemplo trib. ingr.*, sc. Tiberii fratris. Sed *tribunatus eiusdem exempli* est tribunatus, quo pariter, ut priore illo, *exemplum turbarum gravissimarum et armorum civilium exhiberetur, et quasi fax publici incendii praeferretur,* ita, ut quemadmodum Gaii turbae Tiberii exemplo

tribunatum ingressus, longe maiora et acriora repetens, dabat civitatem omnibus Italicis, extendebat eam 3
paene usque Alpis, dividebat agros, vetabat quemquam civem plus quingentis iugeribus habere, quod aliquando lege Licinia cautum erat, nova constituebat portoria, novis coloniis replebat provincias, iudicia a senatu transferebat ad equites, frumentum plebi dari

excitarentur, sic rursus Gaii exemplo insecutae contentiones atque bella civilia orirentur.

maiora et acriora repetens] Lipsius scripsit *maiora et acrior repetens;* — Heinsius *maiora, ut acrior appetens;* — Burmannus *maiora et acriore vi repetens;* — Cuperus apud Heinsium *m. et acriora re petens;* — Grunerus *maiora et acrius repetens;* — Ruhnkenius *maiora et altiora petens;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 347. *maiora et acriora reperiens;* — Crusius in Misc. Obss. Nov. Vol. X. p. 383. *maiore et acriore spe potentiae,* vel *maiora et altiora iam potens,* vel *maiore et altiore potens;* inutilia conati omnes. Quippe *acriora* sunt *turbulentiora ac violentiora,* opposita *quietis,* quae C. Gracchus spreverat. *Repetere* autem neque idem est, quod simplex *petere,* ut Acidalio visum, neque significat *iterum seu denuo petere, quae iam Tiberius olim petiverat,* quemadmodum Burmannus interpretatur; sed valet *longe quaerere,* sive *e longinquo et remoto petere.* Totius igitur loci sensus hic est: C. Gracchus, quum *rebus praesentibus quiete et honorifice uti potuisset, causas turbarum et maioris potentiae e longinquo petebat et vi quasi arcessebat.*

§. 3. *dari instituebat*] Ed. pr. et Amerb. *dari instituerat.* Imperfectum, quod primus suasit Herelius p. 562, et postea probavit Kreyssigius Praef. p. XVI., licet obloquente Haasio in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 56. p. 442 necessarium putamus in continua tot imperfectorum serie *eademque rerum enunciatarum ratione;* nam multo est verisimilius in una littera legenda lapsum esse librarium, quam Velleium sine ulla caussa sex imperfectis unum *interposuisse* plusquamperfectum, eoque legitimum temporum usum laesisse. — *Dari* Aldus Nepos immerito mutavit in *dare,* quod falso defendimus in Zim-

instituebat, nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat; quin
4 alterum etiam continuavit tribunatum. Hunc L. Opimius consul, qui praetor Fregellas exciderat, perse-

mermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 100. Nam quum Gracchus lege frumentaria (de qua v. Cic. orat. p. Sext. c. 48, 103. Tuscull. III, 20, 48. de Off. II, 21, 71.) id egisset, ut plebi singuli modii venderentur triente et semisse, idque frumentum ex aerario emeretur, res ipsa docet illum non *dedisse*, sed *ut daretur* perfecisse.

nihil quietum denique] Hottingerus in Mus. Turic. Vol. I. P. II. sic distinxit *nihil quietum, denique;* — Ruhnkenius scripsit: *nihil immotum, nihil quietum, nihil denique in eodem statu relinquebat*, perperam de imitatione Sallustii Iug. c. LXVI, 1. cogitans; — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 56. p. 442 aut *denique* ante *quietum* inserendum censet cum Orellio, aut *quietum* delendum. Sed nihil horum opus est, quum vulgata non corrupta sit, sed tantummodo anacoluthiae quodam genere, duarum constructionum confusione orto, paullulum impediatur. Nam quum duplici modo dici possit et *nihil quietum relinquere*, ita, ut *quietum* simul cum verbo *praedicatum* sit subiecti *nihil*, et *nihil quietum in eodem statu relinquere*, ita, ut *quietum* sit *epitheton* subiecti *nihil*, praedicatum autem constet verbis *in eodem statu relinquere*, Velleius utramque dicendi rationem ita coniunxit, ut, quum voluisset primo nominibus solum *relinquere* verbum subiungere, repente in tertio mutata cogitandi ratione pleniorem locutionem poneret, proximo tantum accurate convenientem. Quod ut in latino sermone non admodum durum est, ita in Germanico adeo sic potest reddi: er liess Nichts *unerschüttert*, Nichts *ungestört*, kurz nichts *ruhig Bestehendes* in *demselben Zustande*.

continuavit] Herelius p. 562. minus perite mavult *continuabat*, non videns *continuandi tribunatum* aliam esse actionem, atque ceterorum Gracchi institutorum, et propter id ipsum orationis tenorem in *relinquebat* verbo subsistere.

§. 4. *nomine, re autem socium*] Ed. pr. et Amerb. *nominaverat, eum socium*. Palmarem huius loci emendationem proposuit Halmius apud Orellium; nam quum vulgata non solum dissoluta constructione, sed etiam perverso verbi *nominare*

cutus armis unaque Fulvium Flaccum, consularem ac triumphalem virum, aeque prava cupientem, quem C. Gracchus in locum Tiberi fratris triumvirum nomine, re autem socium regalis assumpserat potens-

usu et ineptâ sententiâ foeda esset et corrupta, Halmius pariter verborum quam sensus integritati consuluit. Nihil enim frequentius est, quam ad *speciem* significandam usurpari vocabula *nomen* vel *verbum*, quibus *res* in universum, vel aliquid *vere factum* opponatur; cf. Nepos Agesil. c. I, 2. *Mos est Lacedaemoniis traditus, ut duos haberent semper reges, nomine magis, quam imperio,* i. e. *specie* magis, quam *re;* v. Bremi. ad eiusd. Phoc. c. III, 3. *Causam apud Philippum regem verbo, re ipsa quidem apud Polysperchontem iussus est dicere.* Sall. Iug. c. XLVIII, 1. *Iugurthae verbis pax nunciabatur, ceterum re bellum asperrumum erat,* ubi v. annotat. nostram. Liv. III, 9, 3. *Consulare imperium nomine tantum minus invidiosum, re ipsa prope atrocius quam regium esse.* Adde Drakenb. ad III, 65, 9. Iam his positis per se patet, quum C. Gracchus longe quidem ultra triumviratum valeret, sed id nomen tantummodo *obtentui* potentiae gereret, *hoc idem in Fulvium cadere,* ita ut is non dici possit *post* triumviratum adeptum *etiam* socius regalis potentiae assumptus esse, quasi Gracchus regium imperium iusto titulo habuerit. Per zeugma autem *assumpserat,* quod proprie de *socio* tantum dicitur, etiam ad *triumvirum* pertinet; cf. annot. ad Sall. Iug. c. XIV, 4. p. 75. et ad c. XXXVIII, 9.; — Froehlichius in Diurn. doctt. Monacc. 1837. No. 45. p. 386. vulgatam sanam putat, modo verba *triumvirum nominaverat eum* parenthesi includantur; quae ratio minime est latina; — Kreyssigius Praef. p. XVI. probavit quidem Halmii emendationem, sed tamen propius ad codicis vestigia accedere sibi visus est scribendo: *triumvirum nomine, re vera tamen socium;* — Ed. Basil. scripsit *nominaverat eumque socium;* — Ursinus *nominaverat et socium;* — Vossius *nom. atque soc.;* — Krausius *nom. et eum soc.;* — Heinsius *nom. eoque soc.;* Burmannus *nom. dein* (vel *denique) soc.;* — Schefferus in Misc. Obs. Vol. IX. p. 347. *nominaverat, tum socium,* quod defendit Handius ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 145.; — Ruhnkenius *triumvirum nominatum, socium,* quod unice probat Wyttenbachius in Bibl. crit. Vol. I, 4, p. 55.

5 tiae, morte affecit. Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi, sed civis Romani pretium se daturum, idque auro repen-
6 surum proposuit. Flaccus in Aventino armatus ac pugnam ciens cum filio maiore iugulatus est; Gracchus profugiens, cum iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo praebuit, qui non segnius se ipse interemit, quam domino succurrerat. Quo die singularis Pomponi equitis Romani in Gracchum fides fuit, qui, more Coclitis sustentatis in ponte hostibus eius, gladio se
7 transfixit. Ut Tib. Gracchi antea corpus, ita Gai mira crudelitate victorum in Tiberim deiectum est.

1 VII. Hunc Ti. Gracchi liberi, P. Scipionis

affecit] Ed. pr. et Amerb. *adficit;* sed praesens historicum ab universo colore huius loci alienum esse recte vidit Herelius p. 559. Assentit Kraussius in Add. et Corrig. p. XLVII et Orellius.

§. 5. *nefarie*] Cludius suspicatur fuisse *nefarium*, aut excidisse *factum*.

§. 6. *armatus ac pugnam ciens*] Ed. pr. et Amerb. *armatus ad pugnam ciens*, unde Ed. Basil. fecit *armatos ad pug. ciens*, in quo ceteri omnes acquieverunt. Sed non dicitur *ciere aliquem ad pugnam*, sed tantummodo *ciere pugnam*; cf. Tacit. Histor. II, 25, extr. *Vulneratur rex Epiphanes, impigre pro Othonianis pugnam ciens.* Liv. I, 12, 2. *Principes utrimque pugnam ciebant.* II, 47, 1. *Cn. Manlius consul pugnam ciebat*, ubi Drakenborchius plurima collegit. Ad hoc quum Flacco *armato ac pugnanti* opponatur Gracchus *imbellis ac fugiens*, non dubium videtur, quin recte in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 134. correxerimus *armatus ac pugnam ciens.*

qui, more Coclitis sustentatis in ponte hostibus eius, gladio] Ed. pr. comma habet post *hostibus;* Krausius cum Puteano et Graevio in Epp. Syll. Tom. IV. p. 404. interpunxit

Africani nepotes, viva adhuc matre Cornelia, Africani filia, viri optimis ingeniis male usi, vitae mortisque habuere exitum; qui si civilem dignitatis concupissent modum, quicquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulisset respublica. Huic atrocitati 2
adiectum scelus unicum. Quippe iuvenis specie excellens necdum duodevicesimum transgressus annum immunisque delictorum paternorum, Fulvi Flacci filius, quem pater legatum de condicionibus miserat, ab Opimio interemptus est. Quem cum haruspex Tuscus amicus flentem in vincula duci vidisset: Quin tu hoc potius, inquit, facis? protinusque illiso capite in postem lapideum ianuae carceris effusoque cerebro exspiravit. Crudeles mox quaestiones in amicos clien- 3

post *Coclitis* et *eius*, quo inepte dicitur Cocles gladio se transfixisse. Verae interpunctionis a nobis institutae auctor est Kreyssigius Praef. p. XVII.

hostibus eius] Suadente Heinsio Cludius delevit *eius*, non sentiens, quum eo ad Gracchum respiciatur, haud leviter Pomponii egregiam fidem significari, quippe qui non hostibus in universum, aut suis, sed *Gaii* sustentatis se interemerit.

§. 7. *Gai*] Ita Amerbach.; Ed. pr. *Gaii*.

VII, 1. *Ti. Gracchi*] Ed. pr. et Amerb. *C. Gracchi*, quod correxit Aldus Nepos.

Africani filia] Heinsius haec ut spuria delenda censet.

§. 2. *in postem*] Ed. pr. et Amerb. *in pontem*. Verum restituit Aldus Nepos, re ipsa postulante, ut paene supervacaneum sit testimonio uti Valerii Max. IX, 12, 6. qui de eodem haruspice: *quum eo nomine*, inquit, *in carcerem duceretur, in eius postem illiso capite — spiritum posuit*. — Heinsius maluit *in frontem lapideam*.

§. 3. *Crudeles mox*] Ed. pr. et Amerb. *crudelesque mox*. Importunissimam *que* particulam et ab hoc loco alienissimam, quippe ubi de nulla alia re, nisi de *unico Opimii scelere* dictum

tisque Gracchorum habitae sunt. Sed Opimium, virum alioqui sanctum et gravem, damnatum postea iudicio publico memoria ipsius saevitiae, nulla civilis
4 prosecuta est misericordia. Eadem Rupilium Popiliumque, qui consules asperrime in Tiberi Gracchi amicos saevierant, postea iudiciorum publicorum merito oppressit invidia. Rei tantae parum ad notitiam

sit, *cum insecutis quaestionibus minime coniuncto*, sustulimus; nam certum est librarium, oculis ad propinquam vocem *clientesque* aberrantem, illam huc intulisse. Vulgatae insolentiam sentiens Heinsius coniecit *crudeles aeque mox*, Cludius *crudeles quoque mox*; sed utrumque nexus sententiarum respuit.

alioqui] Amerb. *alioquin*; sed Kreyssigius Praef. p. XVII. recte praefert *alioqui*, ut habet Ed. pr., propter II, 2, 2. et II, 33, 4.

ipsius saevitiae] Cludius, probante Orellio, scripsit *istius saevitiae*, ad caedem Flacci filii respici putans. Sed etiamsi hoc concedatur, nihil tamen obstat, quominus etiam vulgata, qua in universum notatur Opimii saevitia, de isto facto intelligi possit.

prosecuta] Ed. pr. et Amerb. *persecuta*, contra dicendi usum. *Prosequi* enim, quod Cludius recte reposuit, proprie significat *aliquam personam* aut *rem sequi studii, sive secundi, sive adversi, declarandi causa*; cf. infra II, 92, 5. *Praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur.* v. Herzog. ad Caes. B. G. II, 5, 1. et Daehnium ad Nep. Attic. c. IV, 5.

§. 4. *Rupilium*] Ed. pr. et Amerb. *Rutilium*, quem errorem correxit Aldus Nepos. Nam anno post Tib. Gracchi caedem consules fuerunt *P. Rupilius* et *P. Popillius Laenas*; cf. Cic. de Amic. c. XI, 37. et Fastos coss. capp.

Rei tantae parum ad notitiam pertinens] Lipsius coniecit *rei tantae parva* etc.; — Heinsius *rei tantae, etsi parum ad* etc. — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 147. *rei tantae quod parum ad not. pertinet*, vel *r. t. paucorum ad notitiam pertinens*, structuram verborum non assecuti. Nam *rei tantae* non dativus est ex *interponatur* pendens, sed genitivus ad *notitiam* referendus, ut verba sic construantur: *ad notitiam tantae rei parum pertinens* (sc. *res*) *interponatur*, i. e.

pertinens interponatur. Hic est Opimius, a quo con- 5
sule celeberrimum Opimiani vini nomen; quod iam nullum esse spatio annorum colligi potest, cum ab eo sint ad te, M. Vinici, consulem anni centum quinquaginta. Factum Opimi, quod inimicitiarum quae- 6
sita erat ultio, minor secuta auctoritas; et visa ultio privato odio magis quam publicae vindictae data. In 7

hoc loco obiter memoretur. De voce *parum*, quae h. l. significat *non multum*, v. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. LXXXV, 31. p. 460.

interponatur] Ed. pr. et Amerb. *interponetur*, pro quo Heinsius recte scripsit *interponatur*, sententiae natura et Velleii loquendi usu in transitionibus ita postulante. cf. I, 18, 1.; II, 8, 1; II, 9, 6; II, 10, 1 et 3; II, 14, 3; II, 26, 3; II, 49, 1; II, 68, 1; II, 86, 3; II, 120, 3.

§. 5. *vini*] Ed. pr. *vici;* Amerb. *vicini;* at in margine *vini.*

nullum esse] Cludius suspicatur fuisse *nullum superesse.*

spatio] Kreyssigius Praef. p. XVII. mavult *e spatio*, quo non opus esse recte monuit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. No. 101. p. 196, coll. I, 9, 6.

ab eo sint ad te] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. deest *sint.*

anni centum quinquaginta] Ed. pr. et Amerb. *anni CLI*, qui numerus duobus annis discrepat ab eo, qui efficitur anno Opimii, i. e. secundum Fastos coss. capp. u. c. 632, a Viniciano sive 781, detracto; habes enim annos 149, non 151. Quae discrepantia quum vix aliter explicari possit, quam ut statuas unitatis signum librarii lapsu accessisse, Velleium ipsum autem numerum rotundum 150 pro 149 posuisse, probabilitatem maluimus sequi, quam numerum aperte vitiosum relinquere. Laurentius in Fastis coss. capitt. p. 79. scripsit CLII.

§. 6. *Opimi, quod*] Heinsius maluit *Op., quo,* vel *Op., quod eo.*

erat ultio] Laurentius in Locis Vell. p. 6. coniecit *erat actio;* — Ruhnkenius *erat relatio*, probante Wyttenbachio in Bibl. crit. Vol. I, 4. p. 55.

et visa ultio privato odio magis, quam publicae vindictae data] Lipsius coniecit: *et visum privato odio m. q. p. vin-*

legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit. Id maiores, cum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Massiliam Phocaea, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto, genitali solo, diligenter vitaveraut,

dictae datum; — Heinsius *ut visum privato odio m. q. p. vindictae dari;* — Wopkensius in Misc. Obs. Vol. VIII. p. 30. *et visa — quam publico vindicta data;* — Laurentius in Loc. Vell. p. 6. *et visa ultio — quam publica vindicta data;* — Hottingerus in Mus. Tur. Vol. I. T. II. *Factum Opimi q. i. quaesita erat ultio, et visa privato odio magis, quam publicae vindictae data, minor secuta auctoritas;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 347. *ut visa privato odio,* eiecta voce *ultio;* — Steinbruchelius apud Hottingerum censuit verba *et visa ultio — data* ut glossam eiicienda esse; — Krausius *quod inimicitiarum quaesita erat ultio* delenda putat; — idem fecit Cludius, ac simul scripsit *quod visa ultio.* Sed vulgata, quam tuetur Wopkens. in Lectt. Tull. II, 5. p. 148. Ed. Amstel., quamquam ratione non perspecta, est sanissima, quam VV. DD. fortasse non tentassent, si assecuti essent *et* h. l. valere *et quidem,* ut saepissime; v. annotat. nostr. ad Sall. Iug. c. XIV, 25. infra II, 55, 4. II, 111, 1. Sensus enim hic est: factum Opimii caruit auctoritate, quia erat *ultio* inimicitiarum quaesita, *et quidem* ultio privata, non *vindicta publica.* In hac simplicissima ratione sponte apparet nihil habere offensionis repetitam *ultionis* vocem, ac simul intelligitur, cur Velleius, quamquam negligenter scribens, animi sensus modo secutus, *vindictae* vocabulum *ultioni* subiecerit (v. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. V. p. 247.); nam quum sic distinguendum esset *quippe ultio visa privata,* ad explendum odium, non *vindicta publica,* ad tuendam reip. maiestatem, concinnitatis studio *vindictam, ultioni* oppositam, *odio* opposuit, ac simul cum isto vocabulo ex verbis *ultio data* suspendit. Ceterum Bothius, eiectis verbis *quod inim. quaes. erat ultio,* totam periodum post §. 1. verba *obtulisset respubl.* transposuit.

§. 7. *In legibus Gracchi — Carthago condita est.*] Haec verba, quae in Ed. pr. et Amerb. infra II, 15, 1. leguntur, praeeunte Cludio ac probante Haasio in Ephemm. Litt. Hall.

ut civis Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverint. Prima autem extra Italiam colo- 8
nia Carthago condita est. Subinde Porcio Marcioque consulibus deducta colonia Narbo Martius.

VIII. Mandetur deinde memoriae severitas iu- 1

a. 1837. No. 103. p. 209. et Froehlichio in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 67. p. 558. huc transtulimus, quippe a scriba suo loco omissa, et animadverso errore, ubi commodum visum est, inculcata. Rem extra omnem dubitationem ponit non solum hoc, quod verba, quae cap. 15, 1. prorsus ἀπροσδιόνυσα omnem nexum turbant, hic optime et artissime cum narratione de C. Graccho cohaerent, sed etiam quod ea, quae in vulgata caput 7. excipiunt, *Subinde Porcio Marcioque coss. deducta colonia Narbo Martius*, quum ibi absurde mentio fiat *Narbonis Martii* coloniae, hic et vituperio careant, et egregie cum antecendentibus conspirent. Vulgatae ineptias non ferendas esse vidit etiam Krausius; sed mirifica iudicii perversitate utrumque locum ab interpolatore profectum esse suspicatur, primo margini capitis 8, 1. aut 13, 2. ascriptum, ac deinde in duas particulas discerptum alienisque locis c. 8, 1. et 15, 1. in Velleii verba illatum. Kreyssigius Praef. p. XXI. totum locum delevit, quem Bothius prorsus inepte ad I, 15, extr. pertinere statuit.

ut cives Romanos — revocaverint] Ed. pr. *ut C. R. — revocaverint;* — Amerbach. *et C. R. — revocaverint.* — Acidalius coniecit vel scribendum esse *et cives Rom. ad censendum — revocaverant*, quod unice probavit Ruhnkenius, vel *ut qui cives — revocaverint;* — Burmannus maluit *ut et cives* etc.; — Laurentius in Loc. Vell. p. 9. *ut contra Romanos — revocaverint.* Sed vulgatam optime tuetur Krausius, monens *ut* h. l. non consilium, sed effectum designare ac pro *ita ut*, positum esse, coll. II, 28, 2 et 3.

§. 8. *Prima autem — condita est*] Haec verba Vossius, tanquam ab interpolatore ex libro I, 15, 4. petita, delenda censet, non reputans, ibi de coloniis in universum, hic de coloniis *extra Italiam conditis* sermonem esse.

Subinde — Narbo Martius] De his Burmannus idem iudicat, quod de praecedentibus Vossius.

diciorum. Quippe C. Cato consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est, cum lis eius sestertium quattuor milibus aestimaretur. Adeo illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur quam modum, factaque ad consilium dirigebant, et quid, non in quantum
2 admissum foret, aestimabant. Circa eadem tempora

VIII, 1. *Quippe C. Cato*] Ed. pr. et Amerb. *quippe Cos. Cato.* Errorem librarii, qui *C.* (i. e. *Caius)* pro *consulis* compendio habuit, correxit Aldus Nepos ex Cic. Verr. IV, 10, 22. et Bruto c. XXXIV, 129. Ed. Basil. male *M. Cato.*

lis eius sestertium quattuor milibus aestimaretur] Ed. pr. et Amerb. *lis eius IIII aestimaretur.* Scaliger de Re Numar. p. 79. et Sigonius de Iudic. II, 27. p. 607 ed. Lips. scribunt *lis ei H—S IIII aest.,* quo non opus esse recte iudicavit Ruhnkenius, quum *litem alicuius aestimare* probissimum sit, v. Drakenborch. ad Liv. XLV, 24, 2. Rectius vidit Krausius siglum *H—S* excidisse, litteris *us* praecedentis vocabuli absorptum: v. Prolegg. c. III. p. CVII sq. Legitime enim *sestertii* vocabulum numeris additur, ut I, 9, 6. II, 48, 4. II, 56, 2. II, 81, 2. cf. Zumpt. Gramm. Lat. p. 697. §. 873. Ed. VIII. et Grotefend. Gramm. Lat. schol. p. 415. §. 507.; quare cum Kreyssigio Praef. p. XVII. restituimus. — Pro *IIII milibus,* quod Bothius imperite solvit in *quater milibus,* Hottomannus apud Schegkium mavult *CCCC* i. e. *quadringentis milibus;* — Lipsius, quem plerique editores secuti sunt, ex Ciceronis Verr. IV, 10, 22. correxit *XVIII millibus.* Sed quum numerus ibi in codd. incertus sit, Zumptius admodum prudenter ex Velleio praetulit *H—S IIII millibus.* Nam qui exiguitate summae *sestertium quattuor millium* offensi maius quoddam requirunt, non viderunt nisi *minimum* fuisset *ac vix notabile* Catonis repetundarum crimen, neque insolitam iudiciorum severitatem in eo puniendo cerni, neque Velleium eius rei memoriam iniecisse, neque sequentia, quibus ostendit illo tempore non *quantitatem,* sed *qualitatem* facti a iudicibus spectatam esse, commodum sensum habere. Vulgata igitur non est mutanda.

illi viri] Herelius p. 562. coniecit *illius viri,* quod Krausius inconsulto recepit. *Illi viri* enim, qui sunt *iudices,* per

duo Metelli fratres uno die triumphaverunt. Non minus clarum exemplum et adhuc unicum Fulvi Flacci, eius, qui Capuam ceperat, filiorum, sed alterius in adoptionem dati, in collegio consulatus fuit. Adoptivus in Acidini Manli familiam datus. Nam censura Metellorum patruelium, non germanorum fratrum fuit, quod solis contigerat Scipionibus. Tum Cimbri et 3

synesin ex *iudiciorum* vocabulo intelligendi (v. ad I, 4, 2.), dicuntur respectu *illius*, i. e. *antiqui*, temporis, quemadmodum *hic* pronomine praesens tempus designatur, v. ad I, 11, 5. I, 13, 5. *Non dubites, quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.* cf. Grysar. Art. lat. scribendi p. 66. et 79. Minus igitur a vero aberrabat Herelius, quum l. l. simul coniiciebat *adeo illi veteres magis*, quippe quod sensu certe non differat a vulgata scriptura.

§. 2. *duo Metelli fratres*] Ed. pr. et Amerb. *M. Metelli fratres*, quod correxit Aldus Nepos; *M.* enim ortum ex nota numerali II i. e. *duo*, v. Prolegg. c. III. p. XCII. cf. Eutrop. IV, 10. *C. Caecilio Metello et Cn. Carbone coss. duo Metelli fratres eodem die alterum ex Sardinia, alterum ex Thracia triumphum egerunt.* — Ed. Basil. *M.* delevit; — Pighius Annall. ad a. u. c. DCXL coniecit *M. et C. Metelli;* — Vossius *M. C. Metelli.*

et adhuc] Bucretius apud Acidalium coniicit *et ad hoc*, ut sit *et praeterea.*

in collegio consulatus fuit] Ed. pr. et Amerb. *in collegio cos. fuit.* Scribendi compendium *cos.* Ed. Basil. perperam interpretatus est *consulum.* Verum vidit Krausius. — In Ed. pr. interpungitur post *adoptivus*, quod emendavit Ed. Basil.

Acidini] Ed. pr. et Amerb. *Acidiani.* Aldus Nepos restituit *Acidini* ex Fastis coss. capitoll. anni 574. cf. Sigon. ad Liv. XL, 43, 4.

censura] Ed. pr. et Amerb. *census*, quod ex male intellecto scribendi compendio ortum, et ab Ed. Basil. recte emendatum frustra defendit Heinsius.

Scipionibus] Krausius post hanc vocem lacunae signum posuit, ratus excidisse *aedilibus*, vel *in aedilitate*, idque ipsum Cludius in textum admisit. Sed quamquam verum est Velleium

Vellei. Paterc. [8]

Teutoni transcendere Rhenum, multis mox nostris suisque cladibus nobiles. Per eadem tempora clarus eius Minuci, qui porticus, quae hodieque celebres sunt, molitus est, ex Scordiscis triumphus fuit.

1 IX. Eodem tractu temporum nituerunt oratores, Scipio Aemilianus Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius, et ante omnis L.

h. l. de Scipionum aedilitate simul gesta cogitare, ut patet ex Polyb. X, 4., tamen nihil est mutandum. Nam verba *quod solis contigerat Scipionibus* non spectant ad *censuram*, sed ad generalem, quae huic digressioni subest, sententiam *de honoribus simul a fratrum paribus gestis*, quam auctor, menti paullo obscurius obversantem, verbis perspicuis non expressit. v. Prolegg. c. II. p. LXIV sq.

§. 3. *Minuci*] Ed. pr. *Minici;* Amerb. *Manici.* Nomen *Minuci* restituit Ed. Basil. cf. Sigon. ad Fast. coss. capitoll. anni u. c. 643. Flor. III, 4, 5.

quae hodieque celebres sunt] Heinsius: brevius, inquit, poterat dixisse *hodieque celebres*, et dixit, si quid video. — Nihil vidit.

ex Scordiscis] Ed. pr. *ex Cordiscis*, Amerb. *excordiscis.* Gentis nomen assecutus Ed. Basil. scripsit *e Scordiscis;* sed corruptelae genus indicio est fuisse *ex Scordiscis*, sono praepositionis *s* litteram absorbente.

IX, 1. *Eodem tractu temporum*] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. est *eodem temporum tractu*, Rhenani vel potius typographi lapsu.

nituerunt] Heinsius malebat *enituerunt.*

et ante omnes L. Crassus et M. Antonius] Haec verba, quae in Ed. pr. et Amerb. post *Scaurus* leguntur, Ruhnkenius primus vidit suo loco mota, ac rursus post *Papirius* collocanda esse. Ei cum Krausio obsecuti sumus, non solum ut constructio constet, quam ille unicam transponendi caussam habuit, sed quia res ipsa flagitat duos summos oratores inter eos referri, qui *nituerunt*, neque adiungi iis, qui obiter tantum et secundo loco commemorantur.

L. Crassus] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. *L.* deest.

Crassus et M. Antonius. Nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus. Quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius. Nam Q. Mucius iuris scientia quam proprie eloquentiae nomine celebrior fuit. Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis Afrani, in tragoediis Pacuvi atque Atti, usque in Graecorum

Scaurus] Ed. pr. et Amerb. *Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius.* v. not. praeced.

§. 2. *Nam Q. Mucius*] Ed. pr. *namque Mucius*, Amerb. *namq. Mucius.* Correxit vitium Aldus Nepos. Idem recurrit II, 11, 1; II, 15, 4; II, 18, 6; II, 65, 2.

quam proprie eloquentiae nomine] Ed. pr. et Amerb. *quam propriae eloq. nom.*, quod, quum *propria eloquentia* opponatur *alienae*, prorsus ineptum est. Verissime igitur Lipsius, quum Cicerone auctore in Bruto c. 39. et 40. iuris civilis scientia in Mucio Scaevola primum teneret locum, eloquentia secundum, *propriae* mutavit in *proprie*, quod significat praecipue, imprimis, sive, ut vulgo loquuntur, *stricto sensu;* cf. Liv. XLIV, 22, 12. *A prudentibus et proprie rei militaris peritis monendi imperatores sunt.* id. XXX, 26, 9. *Dubites utrum ingenio cunctator fuerit Fabius, an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat.* Quintil. X, 1, 114. *Exornat haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus erat, elegantia*, ubi Frotscherus comparavit I, 5, 45. III, 7, 7. Valer. Max. VIII, 9, 3. *Vim facundiae proprie expressit.* Vitium eo ortum est, quod, quum *ae* diphthongus saepissime simplici *e* scribatur (cf. ad II, 28, 3.) scriba cod. Murb. falsam verborum structuram iniit; v. Prolegg. c. III. p. CV sq. Acidalius coniecit: *iuris scientiae prope quam eloquentiae nomine*, vel etiam *iuris scientiae propriae, quam eloquentiae nomine;* — Heinsius *quam proprio eloquentiae nomine;* — Bothius *iuris scientiae, quam proprie eloquentiae nomine.*

§. 3. *ingenia, in togatis*] Bothius e coniectura scripsit *ingenia Ennii, et in togatis*, quia fieri potuerit, ut *Ennii* nomen litteris praecedentibus — *enia* absorberetur. V. infra annotat. ad verba *magnumque inter hos* etc.

Pacuvi atque Atti, usque] Ed. pr. *Pacuvii atque Acci*

ingeniorum comparationem evecti magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum, adeo quidem, ut in illis limae, in hoc paene plus videatur fuisse
4 sanguinis. Celebre et Lucili nomen fuit, qui sub Publio Africano Numantino bello eques militaverat;

usque; Amerb. *Pacuvii adque Acciusque.* De *Attii* nomine v. ad I, 17, 1.

Graecorum ingeniorum] Bothius *ingeniorum* pro inepto glossemate habet. Sed profecto inepta est eius ratio, *Graecos* dicere Velleium, non *Graecorum ingenia*, idque patere ex sequentibus *inter hos ipsos.* Quasi masculinum non per synesin poni potuisset! Sed quod multo est gravissimum, non vidit Bothius verba *hos ipsos* non de Graecis, sed de *Afranio* et *Pacuvio* esse intelligenda.

comparationem evecti] Burer. *compar. evectis;* Ed. pr. *compar. eius aetatis;* — Amerb. *compar. eius aetatis.* Locum in cod. Murb. valde obscuratum, quantum potuit fieri expedivit Burerius, *evectis* eruendo unde Ed. Basil. felici coniectura restituit *evecti*, sc. *Atti.* Heinsius malebat *evecta* sc. *ingenia*, cui prorsus obstat *facientis* participium, quo oratio ita continuatur, ut appareat de Attio tantum sermonem esse.

magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum] Orellius *Ennii* post *magnumque*, Heinsius post *locum* inserendum censent, non concoquentes tam clarum poetam hic non commemorari. Sed nihil hoc argumento effici in Velleio supra iam demonstravimus ad I, 4, 3. et ad I, 17, 1. Praeterea Ennii mentio vix potuit h. l. ita fieri, ut diceretur operi suo *locum* inter Afranium et Pacuvium *fecisse*, tum temporum respectu, quippe qui et Pacuvio et Attio esset multo annis superior, tum quod magis *Annalibus* quam *tragoediis* inclaruit (v. Bernhardii Histor. litter. Rom. p. 178.), quae solae hic verbis *operi suo* significarentur. Haec igitur ut aliena sunt a Velleii mente et consilio, ita nihil in vulgata est mutandum. Nam verba *usque in Graecorum — sanguinis* omnia de *Attio* sunt intelligenda, rectequ intellecta sensum optimum habent. Velleius enim, primas Afranio et Pacuvio concedens, Attium ita adiungit, ut tamen haud exiguis laudibus ornet, non solum ad Graecorum ingeniorum com-

quo quidem tempore iuvenes adhuc Iugurtha ac Marius sub eodem Africano militantes in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent. Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuvenis; sed opus belli civilis Sullanique post aliquot annos ab eo

paratione evectum dicens, sed etiam conspicuum locum inter summos illos, Afranium et Pacuvium, consecutum, adeo, ut aliquo nomine paene superior videretur. cf. quae de eius ingenio atque indole disputavit Godofr. Bernhardius in Histor. litter. Rom. p. 181. Quintil. X, 1, 97. *Tragoediae scriptores veterum Attius atque Pacuvius, clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Virium tamen Attio plus tribuitur; Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.* Cur igitur Orellius praefracte neget Attium recte dici potuisse *magnum operi suo locum fecisse inter Pacuvium et Afranium* nullo pacto intelligitur. Laurentius in Loc. Vell. p. 134. in voce *magnumque* latere putat nomen *Asiniique*, de quo conferre iubet Virg. Ecl. VIII, 10. et Tacit. Dial. de Oratt. c. 21.

§. 4. *iuvenes*] Ed. pr. et Amerb. *iuvenis*. Pluralem opus esse propter *militantes* recte vidit Burmannus.

sub eodem Africano] Haec Gruterus a librario illata opinatur.

§. 5. *belli civilis Sullanique*] Ed. Basil. omisso *que* scripsit *belli civilis Sullani;* — Ruhnkenius coniecit *belli socialis Sullanique;* — Krausius vulgatam tuetur, statuens Velleium Sisennae opus historicum notare ab extrema et potiore parte, in qua ratione *Sullanique* significare *et quidem Sullani;* — Raphelengius *Sullani* interpretatur *contra Mithridatem gesti;* — Orellius *civilis belli* de *sociali* intelligens argutiam quandam quaesitam putat, similem eius, qua utatur Florus III, 18, 1. *Sociale bellum vocetur licet, ut extenuemus invidiam; si verum tamen volumus, illud civile bellum fuit.* — Mihi Velleius novo modo *sociale* bellum, quod aperte intelligit, dixisse videtur *civile*, quia *pro obtinenda civitate* gestum est; a quo distinguit *Sullanum*, ubi a civibus quidem, sed *pro firmanda nobilium potentia* pugnabatur.

6 seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Caelius, aequalis Sisennae Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, et Valerius Antias. Sane non ignoremus eadem aetate fuisse Pomponium sensibus crebrum, verbis rudem, sed novitate inventi a se operis commendabilem.

§. 6. *Caelius*] Ita Ed. pr. et Amerb. Plerique scripserunt *Coelius*, sine iusta caussa: cf. Henrichsen. ad Cic. de Orat. II, 12, 54. p. 161.

aequalis] Kreyssigius Praef. p. XVII. mavult *aequales*, quod non esse necessarium iam monuimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 12. p. 102. Nam proxime *Sisennae* opponitur *Rutilius* tantum, cui ceteri singuli adiiciuntur. cf. hoc ipso capite §. 1. *Nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus.* Cic. de Orat. I, 62, 262. *Haec quum Antonius dixisset, sane dubitare visus est Sulpicius et Cotta.* Alia ad defendendum singularem praedicati, ubi subiectum plures personas continet, collegit Zumptius in Gramm. Lat. c. 69, 5. not. 1, §. 373. p. 338. Ed. VIII. v. infra II, 54, 2; II, 84, 3. *Rex Amyntas meliora et utiliora secutus, — virque clarissimus Domitius — maximo et praecipiti periculo transmisit ad Caesarem.*

crebrum] Ed. pr. et Amerb. *celebrem*, quod prorsus ineptum est, quicquid contra dicit Klotzius in Novv. Annall. Philol. et Paed. Vol. XVII. fasc. 6. p. 199., quum Velleius Pomponium describat qualis *per se* sit, non qua hominum fama atque existimatione fuerit. Vera scriptura, ab Orellio acute reperta, est *crebrum*, cuius compendium *c̀brum* librarii inscitia pro *celebrem* vocabuli compendio *c̃brem* habuit. *Sensibus* i. e. *sententiis* (v. Boetticheri Lex. Tacit. p. 424. et Bonnellii Lex. Quintil. p. 816.), *crebrum esse* haud exigua laus erat; cf. Cic. de Orat. II, 13, 56. *Thucydides ita creber est rerum frequentia, ut verborum paene numerum sententiarum numero consequatur.* Id. Brut. c. 95, 325. *In Hortensio concinnitas illa crebritasque sententiarum pristina manebat.* Quintil. X, 1, 102. *Servilius Nonianus clati vir ingenii et sententiis creber.* Warburton in Bibl. Britann. Vol. VII. 270. coniicit *celerem.*

verbis rudem, sed novitate] Ed. pr. et Amerb. *verb. rudem et nov.*, quod ferri posset, nisi praecederent verba *sensibus crebrum*, laudem continentia. Quare Bothius scripsit

X. Prosequamur notae severitatem censorum 1
Cassi Longini Caepionisque, qui abhinc annos centum quinquaginta tris Lepidum Aemilium augurem, quod sex milibus sestertium aedes conduxisset, adesse iusserunt. At nunc si quis tanti habitet, vix

verbis rudem, sensibus celebrem et novitate, in quo valde displicet, quod Pomponii descriptio a vituperio incipit. Simplicissimam medelam adhibuit Lipsius, *et* mutans in *sed*, quae voces saepissime confunduntur in codicibus; v. Drakenborch. ad Liv. XXI, 26, 6. Vossius malebat *at*, quod huic nexui non convenit; cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 425. §. 8.

X, 1. *Prosequamur*] Ed. Basil. *persequamur*; v. ad II, 7, 3.

notae severitatem] Ed. pr. et Amerb. *notam severitatem*, quod Orellius tuetur, sic interpretatus: tangamus *nos* quoque severitatem illam *omnibus* notam. Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 56. p. 442. *notam* pro glossa vocis *severitatem* habet; Bothius contrario modo *severitatem* tanquam praecedentis vocis interpretationem expellendam censet. Ruhnkenio placuit *notam severam*; sed locum sanavit Krausius, pro *notam* scribens *notae*; nam *severitas eximia* Velleium admonuit, ut rei memoriam iniiceret. Depravatio orta ex perversa verborum constructione, quae res innumera vitia genuit. c. Prolegg. c. III, p. CV sq. Krausium sequitur etiam Beierus ad Cic. Off. II, 8, 28. p. 53.

annos centum quinquaginta tris] Ed. pr. et Amerb. *annos CLVII.* Manutius maluit *annos CLIV*; — Puteanus vero, quem sequitur Krausius, *annos CLV*, quasi II numerus ex praenominis nota *M* ortus esset. Sed de praenomine res incerta est, ut recte monuit Kreyssigius Praef. p. XVIII, et annorum ratio ne sic quidem constat. Nam quum secundum Fastos coss. capitt. Servil. Caepio et Cassius Longinus censores essent anno u. c. 628, isto numero ab anno Viniciani consulatus 781 detracto prodit annus CLIII; quem numerum eo minus dubitavi reponere, quod in promptu est vitium natum esse ex unitatis primae signo in quinarii numeri signum, adiectâ casu lineolâ, transformato. cf. ad I, 12, 5; II, 12, 1; coll. Prolegg. c. II. p. XLIII.

Lepidum Aemilium] Ed. pr. et Amerb. *Lepidum Aelium*, quem errorem neglecto scribendi compendio ortum (v. Prolegg. c. III. p. XCIX.) emendavit Aldus Nepos; *Lepidi* enim non

ut senator agnoscitur; adeo mature a rectis in prava,
2 a pravis in praecipitia pervenitur. Eodem tractu temporum et Domiti ex Arvernis et Fabi ex Allobrogibus victoria fuit nobilis; Fabio, Pauli nepoti, ex victoria cognomen Allobrogico inditum. Notetur Domitiae fami-

ad *Aeliam*, sed ad *Aemiliam* gentem pertinebant, cf. Krafftius in Paulii Encyclopaed. real. Vol. I. p. 149.

sex milibus sestertium] Vocem *sestertium*, quae in Ed. pr. et Amerb. deest, Krausius valde probabiliter coniecit excidisse, eius compendio IIS praegressa *us* syllaba absorpto; v. ad II, 8, 1.

At nunc] Amerb. *ad nunc.*

agnoscitur] Lipsius maluit *agnoscatur.*

mature] Amerb. *natura.*

a rectis in prava] Ed. pr. *a rectis in vitia, a vitiis in prava;* Amerb. *a rectis in vitia, vitiis in prava.* Verba *in vitia a vitiis* glossema esse sequentium, quo et loquendi usus et quaesita sententiarum oppositio tollitur, primus vidit Ruhnkenius, assensientibus Wyttenbachio in Bibl. crit. Vol. I, 4. p. 56., Censore in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 534., Haasio in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 56. p. 442.; cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 131. *Pravis* constanter opponuntur *recta;* cf. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. I. p. 61. §. 3., Vell. II, 126, 2. *Honorantur recta, prava puniuntur.* II, 18, 5. *Sulpicius cum antea rectissima voluntate quaesisset dignitatem, — subito pravus et praeceps* etc. Rursus *prava* confinia sunt *praecipitibus;* cf. II, 3, 4. *Ubi semel recto deerratum est* (i. e. a pravo) *in praeceps perveniitur.* II, 112, 7. *Mira pravitate animi in praecipitia conversus.* Ex his facile patet quam importune iis, quae arcte cohaerent, interiecta sint verba *in vitia a vitiis.* Sterkius in Suspic. crit. spec. I. in Act. lit. societ. Rheno-Traiect. V. I. coniicit: *a rectis in prava, a pravis in vitia, a vitiis in praecipitia*, quod cum Krausio probavit Kreyssig. Praef. p. XVIII. et Doederlin. Synonym. Lat Vol. I. p. 62. §. 2. *Fabi*] Ed. pr. *Fabii;* Amerb. *Fabiis.*

ex victoria] Bergkius maluit *ex virtute.*

Allobrogico] Cludius melius censet *Allobrogici*, sine idonea caussa; cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 72, 3. §. 421. p. 375. ed. VIII.

liae peculiaris quaedam et ut clarissima, ita artata numero felicitas. Septem ante hunc, nobilissimae simplicitatis iuvenem, Cn. Domitium, fuere singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad consulatum sacerdotiaque, ad triumphi autem paene omnes pervenerunt insignia.

artata] Acidalius coniecit *sacrata*, ratus Velleium ad septenarium numerum Pythagorica doctrina sacrum alludere. — *Artatam numero felicitatem* quum dicit Velleius, aperte h. l. Domitiae Ahenobarborum familiae adulans, nihil aliud vult, quam licet ea rara ac peculiaris fuerit, tamen pro Domitiae gentis praestantia nimis arto numero constare.

§. 3. *Septem ante hanc*] Ed. pr. et Amerb. *uti ante hunc.* VTI corruptum esse ex VII vidit Aldus Nepos et Sigonius ad Liv. XXXI, 18, 1., eamque emendationem plane confirmat Sueton. Ner. c. 1. *Functi autem* (sc. *Domitii*) *consulatibus septem, triumpho censuraque duplici, perseverarunt omnes in eodem cognomine.* Lipsius legendum censuit *IV ante hunc*, acumine ad labefactandam Manutii emendationem abusus. Quod *paene omnes ad triumphi insignia pervenisse* dicit Velleius, quum duo tantum eum honorem obtinuissent, apparet auctorem gratiae captandae caussa, non more oratorio, ut Krausius censet, rem augere.

singulis — parentibus] Lipsius coniecit *singuli — parentibus;* — Krausius, quem sequuntur Orellius et Halmius in Emendd. Vell. p. 6., *singuli singulis — parentibus*, quod licet accuratius sit tamen non est necessarium, ut recte iudicat Doederlinus in Comment. de brachylogia serm. Gr. et Lat. p. 8. cf. Liv. VII, 37, 2. *Milites in praesentia singulis bubus donati*, i. e. singuli singulis. Id. XXVI, 36, 5. *Aurum in publicum conferamus, ita ut — quibus uxor filiaeve sunt, singulas uncias pondo auri relinquant*, i. e. singulis singulas. Id. XL, 4, 2. *In viduitate relictae filiae singulos filios parvos habentes*, i. e. singulae singulos. Sueton. vit. August. c. 40. *Tribulibus suis singula millia numum a se dividebat.* Id. vit. Tiber. c. 48. *Largitus est singula millia denariorum praetorianis.*

ad triumphi autem] Amerbachius *ad triumphantem*, seductus *ad* praepositione.

1 XI. Bellum deinde Iugurthinum gestum est per Q. Metellum, nulli secundum seculi sui. Huius legatus fuit C. Marius, quem praediximus, natus agresti loco, hirtus atque horridus vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriae, insatiabilis, impotens, semperque in-
2 quietus. Hic per publicanos aliosque in Africa negotiantis criminatus Metelli lentitudinem trahentis iam

XI, 1. *per Q. Metellum*] Ed. pr. *perque Met.;* Amerb. *perq. Metellum;* cf. II, 9, 2; II, 15, 3.

agresti loco] Ed. pr. et Amerb. *equestri loco.* Atqui II, 128, 3. Marium ignotae originis fuisse scribit. Quae inter se pugnantia Iac. Perizonius ad Aelian. V. H. XII, 6. infeliciter in concordiam redigere tentavit. Clamat tota antiquitas, Marium sordidissima contemptissimaque stirpe natum esse, Sallust. Iug. c. LXIII, 2. Valer. Max. VI, 9, 14. Seneca Pater Controv. I. p. 122. Tacit. Histor. II, 38. Flor. III, 1, 13. Plutarch. in Mar. c. III. Dio Cass. Fragm. Tom. I. p. 40. ed. Reim. Ruhnk. Hactenus recte; sed quod deinceps probare studet Velleium scripsisse *extremo loco,* etsi non sensu, tamen verbo falsum est. Nihil enim certius Vossii coniectura, *agresti* pro *equestri* scribentis, quippe quae non solum vocum similitudine valde commendetur, sed etiam diserto scriptorum testimonio confirmetur; nam loco atque condicione eum fuisse *agrestem* aperte prodidit Plin. H. N. XXXIII, 11. *Ille arator Arpinas et manipularis imperator,* et Iuvenal. Sat. VIII, 246. *Arpinas alius Volscorum in monte solebat Poscere mercedes alieno lassus aratro. Nodosam post haec frangebat vertice vitem, Si lentus pigra muniret castra dolabra. Hic tamen et Cimbros et summa pericula rerum Excipit, et solus trepidantem protegit urbem.* — Heinsius coniecit *rurestri;* — Wassius ad Sallust. Iug. c. LXIII, 2. *quaestuario;* — Bothius *sequestri;* — Cludius vulgatam tuetur, vano argumento usus, Ciceronem de municipe suo honorificentius loqui, quam ut *extremo loco* natus esse credi possit.

immodicus gloriae, insatiabilis] Burmannus comma poni vult post *immodicus,* ut *gloriae insatiabilis* coniungatur. Simul autem suspicatur, quia Sallust. Iug. LXIII, 2. Marium *domi mo-*

in tertium annum bellum, et naturalem nobilitatis superbiam morandique in imperiis cupiditatem, effecit, ut, cum commeatu petito Romam venisset, consul crearetur, bellique paene patrati a Metello, qui bis Iugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus, et meritum ei virtute utique cognomen Numidici inditum. Ut paulo ante Domitiae familiae, ita Caeciliae notanda claritudo 3

dicum dicit, pro *immodicus* etiam scribi posse *opum modicus*. Quae omnia recta ratione carent.

insatiabilis] Cortius in Actis Erud. Lips. a. 1721. p. 117. et Wopkens in Miscell. Obss. Vol. IX. p. 245. hanc vocem, quia apud Senec. Patr. Controv. I. p. 140. legitur *insatiabilis gloriae*, tanquam a librario illatam expellendam censent, quod quam temerarium sit ostendimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 12. p. 103.; cf. Froehlich. in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 66. p. 556. — Cludius scripsit *infatigabilis*, non magis, quam illi sentiens tria vocabula *insatiabilis*, *impotens*, *inquietus* omnia spectare ad immodicam gloriae cupiditatem vario modo illustrandam.

inquietus] Ruhnkenius ad II, 68, 3. suspicatur hic quoque scriptum fuisse *inquies*.

§. 2. *morandique*] Rhenanus coniecit *immorandique*. — Heinsius hoc probans *in* ante *imperiis* deleri vult.

acie fuderat] Amerb. *in acie fuderat*, quod Orellius non debebat probare; nam *in*, ex *m* ortum, neque in Ed. pr. est, neque loquendi usu firmatur, cf. I, 11, 2; II, 12, 5; II, 22, 3; II, 24, 1; II, 25, 2; II, 26, 1; II, 47, 1; II, 70, 4; II, 98, 1; v. Kreyssig. Praef. p. XIX. et ad Livii Fragm. lib. XCI. p. 430. et Drakenborch. ad Liv. XXXVI, 17, 16.

et meritum ei virtute utique cognomen] Ed. pr. *et meritum: virtutique cogn.*; Amerb. *et meritum et virtutique cogn.* Emendationem huius loci nobis praeiverunt Heinsius et Krausius, quorum ille coniecit *et meritum virtute ei utique cogn.*, hic *et meritum virtute utique cogn. Num. ei inditum.* Pronominis *ei* prorsus necessarii (cf. I, 11, 2; II, 10, 2; II, 91, 1.) locum, in quo solo ab illis discrepamus, certo indicari putamus

est. Quippe intra duodecim ferme annos huius temporis consules fuere Metelli aut censores aut triumpharunt amplius duodecies, ut appareat quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.

coli signo in Ed. pr., et planius etiam *et* vocula in cod. Amerb.; sed *utique* feliciter erutum ex codicis scriptura, haud raro ita corrupta, ut duae voces truncatae in unam conflarentur, velut II, 45, 5. *laudari* pro *laude fraudari;* II, 51, 2. *obsesserat* pro *obsessis erat;* II, 76, 3. *tironis* pro *Ti. Neronis;* II, 90, 2. *mississent* pro *missi essent;* II, 103, 5. *tentemus* pro *contenti simus*; II, 130, 3. *Drusuo* pro *Druso suo*, de quo vitiorum genere egit Halmius in Emendd. Vell. p. 8. et Haasius in Ephemer. Litt. Hall. a. 1837. T. II. No. 104. p. 217. v. etiam infra ad II, 90, 2. Sensu autem multo maxime commendatur *utique;* nam quum significet *profecto*, sive *proprie* (v. ad Sall. Iug. c. III, 1. p. 15.), Velleius eo addito vel declarat *unice* ob *veram* virtutem, neque ob levem aliquam causam, ut aliis nonnullis, Metello a victa gente cognomen fuisse inditum, vel Marii criminationes prorsus falsas fuisse, nec Romae creditas arguit. — Grunerus lectionem Ed. pr. tuetur, *meritum*, quod ad *cognomen* pertinet (cf. II, 15, 3.), pessime pro substantivo capiens; Aldus Nepos *que* tantum delet; — Gruterus coniecit *et mer. virtute cogn. Numidia*, deleta *inditum* voce; — Vossius *virtuti quoque;* — Heinsius, praeter coniecturam iam laudatam, *emeritumque ei virtute cogn. Num.* indit. — Ortuinus apud eundem *et meritum virtute ei cogn.;* — Bipontini *et meritum ipsi virtute;* — Laurentius in Loc. Vell. p. 8. *et meritum virtuti eius cogn.;* — Halmius in Ann. crit. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 341. *et meritum ei virtutique debitum cogn.;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 46. p. 389. *et meritum virtute eique cogn. Num. ind.*, quod vix intelligas.

§. 3. *intra duodecim ferme annos — amplius duodecies*] Ed. pr. et Amerb. *intra XII ferme annos — amplius XII*. Lipsius annorum numero offensus coniecit *amplius X;* — Burmannus vero *intra XX* (vel etiam *intra XXV*) *ferme annos*. Sed Krausius locum bene expedivit, qui: hi duodecim anni, inquit, inde a Metello Numidico retro numerandi sunt, non ita tamen, ut ultra hoc spatium, quod ex adiecto *ferme* patet, non

XII. At C. Marius L. Sullam iam tunc, ut 1
praecaventibus fatis, copulatum sibi quaestorem habuit, et per eum missum ad regem Bocchum Iugurtha rege abhinc annos ferme centum triginta quattuor potitus est; designatusque iterum consul in urbem re-

sit exsurgendum. — Numero enim rotundo utitur auctor, et procul dubio recurrit usque ad Q. Caecil. Metellum Balearicum, a quo usque ad Numidicum, utroque numerato, ex Metellis *consules* fuere sex secundum Fastos capitt., a. u. c. 630. Q. Caecil. Metellus Balearicus, a. 634. L. Caecil. Metellus, L. f., a. 636. L. Caecil. Metellus, Q. f., a. 638. M. Caecil. Metellus, a. 640. C. Caecil. Metellus Caprarius, a. 644. Q. Caecil. Metellus Numidicus; *censores* duo, a. 633. Q. Caecil. Metellus Balearicus, a. 638. L. Caecilius Metellus Caprarius, L. f.; *triumphales* quinque, a. 633. Q. Caecil. Metellus Balearicus, a. 634. L. Caecil. Metellus Delmaticus, a. 640. Q. Caecil. Metellus, et eodem C. Caecil. Metellus Caprarius, a. 645. Q. Caecil. Metellus Numidicus. Quum igitur quattuordecim annorum spatio Metelli ter et decies ad summos honores pervenissent, facile patet Velleium, quum diceret *intra duodecim ferme annos — amplius duodecies*, rei admirabilitatem verborum quodam artificio augere etiam studuisse; cf. II, 10, 3.

XII, 1. *iam tum*] Bothius spurium censet *iam*, quasi ex progressa syllaba — *lam* ortum.

ut praecaventibus fatis] Lipsius coniecit *ut patriae caventibus f.*; — Heinsius *ut praecipitantibus fatis*, vel *ut praevaricantibus fatis*; — Bipontini *iam tunc inclutum praecellentibus fatis*; — Cludius *ut praecanentibus fatis*; — Orellius *ut populo Romano praecaventibus fatis*; — Laurentius in Loc. Vell. p. 135. *ut populo Romano caventibus*; — Schefferus in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 457. *Sullam tunc, vim praecaventibus fatis.* Sed haec nimis quaesita esse et a Velleii consilio aliena ostendimus in Zimmermanni Annall. studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 123. Vulgatae sensus est: *quasi fata Mario praesignificare voluerint, qualis Sulla esset*, eo scilicet consilio, ut iam tum cognoscere posset, Sullam, ingenio multum ipsi praestantem, bello civili superiorem evasurum.

annos ferme centum triginta quattuor] Ed. pr. et Amerb. *annos ferme CXXXVIII*; pro quo Aldus Nepos recte scri-

versus secundi consulatus initio Kalendis Ianuariis
2 eum in triumpho duxit. Effusa, ut praediximus, immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, cum Caepionem Manliumque consules, et ante Carbonem Silanumque fudissentque in Galliis et exuissent exercitu, Scaurumque Aurelium consularem et alios celeberrimi nominis viros trucidassent, populus Romanus non alium re-

psit *annos f. CXXXIV.* Nam quum Iugurtha a. u. c. 647 devictus in Marii potestatem venerit, numero autem 138 ab 781 detracto, tantummodo efficiatur annus 643, ista discrepantia maior est, quam quae a Velleio ipso profecta videatur. Quare quum non dubium sit quin VIII ortum sit ex IIII, prima lineola in quinarii numeri signum depravata; quod saepius fieri monuimus ad II, 10, 1., fidenter reposuimus *annos f. CXXXIV.* — Puteanus coniecit *annos f. CXXXVI;* — Krausius vulgatam retinet, eam parum differre dicens a vero.

Kalendis Ianuariis] Ed. pr. *Calend. Ian.;* Amerb. *KAL. IAN.*

§. 2. *Germanarum gentium*] Ed. pr. et Amerb. *Germanorum gentium.* Inde Orellius fecit *Germanorum, earum gentium.* Sed simplicissima medela est Ruhnkenii, *Germanorum* in *Germanarum* mutantis.

Manliumque] Aldus Nepos ex Cassiodoro et Obsequente scribendum censet *Malliumque,* contra ceterorum auctorum fidem. cf. Liv. Epit. LXVII. *Ab iisdem hostibus C. Manlius consul, Q. Servilius Caepio proconsul victi proelio.* Tacit. Germ. c. XXXVII. Flor. III, 3, 4. Plut. in Mar. c. XIX.

consules] Ed. pr. et Amerb. *COSS.*, pro quo Fabricius ad *Orosium* V, 16. mavult *Cos.*, quia Caepio prioris anni consul fuerit. Sed non raro a scriptoribus *proconsules* dicuntur *consules.* Sic Metellus, qui teste Polybio I, 40. *pro consule* bellum in Sicilia gessit, consul dicitur apud Florum II, 2, 27. et Eutrop. II, 13.; sic et Appius apud Florum II, 6, 43., qui tamen *proconsul* fuit, Liv. XXVI, 1.; cf. Vell. II, 51, 3. Eodem modo ὕπατος dicitur apud Plutarch. Flaminin. c. X. Vide de hac ratione Arntzen. ad Aurel. Vict. de Vir. Ill. c. LXIII, 2. Krausius.

pellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem quam Marium est ratus. Tum multiplicati consulatus 3
eius. Tertius in apparatu belli consumptus; quo anno Cn. Domitius tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant, populus crearet. Quarto trans Alpis circa Aquas Sextias cum 4
Teutonis conflixit; amplius centum quinquaginta milia hostium priore ac postero die ab eo trucidati, gensque

Plura congessimus ad Sall. Catil. c. XIX, 1. p. 90. Ceterum h. l. maxime brevitatis caussa factum est, ut Velleius duos diversos magistratus *consulum* vocabulo comprehenderet.

Silanumque] Ita Amerb. — Ed. pr. vitiose *Syllanumque*, quod correxit Aldus Nep.

in Galliis] Amerb. *in Gallis.*

exuissent exercitu Scaurumque] Amerb. *exeruissent exercitus caurumque*, superscripto *exuissent.*

Aurelium consularem] Ed. pr. et Amerb. *Aurelium COS.*, quam notam h. l. *consularem*, non *consulem* significare, ut Ruhnkenius vult, bene vidit Aldus Nepos; cf. Drakenborch. ad Livii Epit. LVIII extr. et v. infra II, 96, 2. *Consularem* Aurelium Scaurum dicit etiam Oros. V, 16., qui a. u. c. 645. consul sequente anno *legatus* fuit L. Cassii Longini; v. Livii Epit. LXVII.

repellendis tantis hostibus] Amerbach. *repellendi stantis host.*

§. 3. *consumptus*] Amerb. a prima manu *consumptus est;* sed a sec. manu *est* deletum.

§. 4. *trucidati*] Ed. pr. et Amerb. *trucidatis*, cui structurae aperte repugnant sequentia. Ruhnkenius, quem sequitur Kreyssigius Praef. p. XIX., emendavit *trucidata*, sensu quidem et constructione bonum, sed a cod. vestigiis nimis recedens. Velleium scripsisse *trucidati* ostendimus in Zimmermanni Annall. Studd.. antiq. a. 1837. No. 15. p. 135.; cf. Liv. XXVII, 16, 7. *Millia triginta servilium capitum dicuntur capti.* Drakenborch. ad XXXVII, 39, 12. Zumpt. Gramm. Lat. c. 69, 2, 2. §. 368. p. 332. Ed. VIII.

gensque] Burmannus, deceptus vulgatae constructione, *que* transferendum censuit post *amplius.*

excisa Teutonum. Quinto citra Alpis in campis, quibus nomen erat Raudiis, ipse consul et proconsul Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertavere proelio; caesa aut capta amplius centum milia hominum. Hac victoria videtur meruisse Marius, ne eius nati rempublicam poeniteret, ac bonis mala repensasse. Sextus consulatus veluti praemium ei meritorum datus. Non tamen huius consulatus fraudetur gloria, quo Servili Glauciae Saturninique Apulei furorem, continuatis honoribus rempublicam lacerantium et gladiis

Teutonum] Bothius scripsit *Teutonorum*, nescius populorum nomina, maxime peregrinorum, quae secundae sunt declinationis, genitivum pluralem habere duplicem, in *orum* et *um* exeuntem; cf. Liv. XXX, 8, 8. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 71.

§. 5. *Raudiis*] Ed. pr. et Amerb. *Raudis.* Vitium correxit Ed. Basil.

fortunatissimo] Bothius scripsit *fortissime.*

decertavere proelio] Puteanus suspicatur excidisse *cum Cimbris*, recte refutatus a Vossio.

centum millia hominum] Ed. pr. et Amerb. *C. hominum.* Puteanus et Lipsius scribendum duxerunt *CC hominum*, quia hic captorum et caesorum numerus prodatur ab epitomatore Livii, lib. LXVIII, Eutropio V, 1. et Orosio V, 16., neque multum discrepet Plutarchus in Mario c. XXVII, qui CLXXX millia fuisse tradat. Sed in re incerta, praesertim quum Velleius dicat *amplius C millia*, nihil mutandum videtur; cf. ad II, 47, 1. II, 48, 5.

bonis mala repensasse] Ed. pr. et Amerb. *bona malis repensasse.* In quo aliquid perversi esse primus sensit Boeclerus, qui malebat *mala bonis repensasse.* Sed verum Cludius assecutus est, permutatis modo utriusque vocabuli terminationibus opus esse ad sensus integritatem. Quicquid enim dicit Burmannus, et ab eo in errorem inductus Krausius, *bonis mala*, aut *malis bona repensare* prorsus idem esse, falsa est ista sententia, siquidem plurimum interest in diversis rebus aequandis, ab utra

quoque et caede comitia discutientium, consul armis compescuit, hominesque exitiabilis in Hostilia curia morte multavit.

XIII. Deinde interiectis paucis annis tribunatum iniit M. Livius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoque quam fortuna usus. Qui cum senatui priscum restituere cuperet decus, et iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem, (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus cum in multos cla-

parte ad alteram procedatur. Nam *bona malis repensat*, qui ad bona adiungit tot mala, ut plane inter se aequiparentur; contra *mala bonis repensat* is, qui ad mala, quae fecit, tantum boni adiungit, ut mala non praevaleant, sed aequa boni atque mali ratio existat. Iam quum Marius, nisi Romam bello Cimbrico liberasset, *nihil praeter maxima mala civitati parasset*, ita ut eius nati poeniteret rempublicam, illâ victoriâ factum est, ut ad mala etiam bona adderet, i. e. ut *mala bonis repensaret*, sive quasi tolleret. cf. II, 21, 4. *Cn. Pompei interitus voluptas amissorum aut morbo aut gladio civium paene damno repensata est;* i. e. *quanta* de Pompeii interitu *voluptas* fuit, *tantum* paene fuit amissorum civium *damnum*, sive, ad voluptatem accessit paene par damnum, ita ut voluptas damno paene tolleretur. II. 88, 3. ubi v. Ceterum duorum vocabulorum terminatione permutata etiam peccatum est II, 34, 2.

consul armis] Acidalius propter praecedens *consulatus* vel *consul* deleri vult, vel scribi *consilio et armis*, aut *consularibus armis*. v. Prolegg. c. II p. LXVII sqq.

exitiabilis] Amerbach. huic voci superscripsit *exitialis*.

XIII, 2. *ad eum transferre ordinem*] Cludius coniicit *ad eius* (vel *ad suum*) *transferre ordinem*.

cum — saevissent] Cludius necessarium putat *cum — saevierant*, coniunctivum in hac sententiarum ratione poni ignorans. Vide annotata ad I, 3, 2.

rissimos atque innocentissimos viros saevissent, tum P. Rutilium, virum non seculi sui, sed omnis aevi optimum, interrogatum lege repetundarum maximo cum gemitu civitatis damnaverant,) in iis ipsis, quae pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandae illiciendaeque multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis maiora permitteret. 3 Denique ea fortuna Drusi fuit, ut male facta colle-

perceptis] Lipsius coniecit *praereptis;* — Heinsius *praeceptis.* Sed *percipere* est *consequi rem eaque uti*, vel simpliciter *obtinere*, quod unice verum est.

permitteret] Heinsius maluit *permitterent*, sc. plebs.

§. 3. *male facta*] Ed. pr. *malefacta*, quod minus concinnum est, quam disiuncta vocabula, quum vis sententiae non tam in adverbiis insit, quam in *factorum* et *cogitatorum* oppositione.

collegarum eius, quam optime] Ed. pr. *collegarum, quam eius optime;* — Amerb. *colleg. quamvis optime.* Nihil verius Ruhnkenii emendatione, qui vidit *eius* in cod. Murb. loco suo motum (de quo corruptelae genere egimus in Prolegg. c. III. p. CXIV.) rursus post *collegarum* collocandum esse; quod utique necessarium est, non solum ut constructio expediatur, sed quia, quum *senatus* subiectum sit, sine isto pronomine *collegarum* non posset ad Drusum pertinere. Quod olim non assecutus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 9. p. 88. perperam probavi Orellii coniecturam, secundum vestigia cod. Amerb. scribentis *collegarum, quam vel optime.* Eadem vestigia premens Halmius in Annall. crit. Berol. a. 1837. Vol. I. No. 42. p. 330. et in Emendd. Vell. p. 6. coniecit *collegarum, quam quamvis optime;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 71. p. 592. *quam quaevis optime;* — Heinsius delevit *eius*, Lipsius *ab ipso;* — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 17. *eius ab ipso cogitata* pro abundantia sermonis habet non sollicitanda.

ab illis] Ed. pr. et Amerb. *ab aliis.* Sed quum luce clarius sit Velleium loqui de Drusi collegis, de quibus et ea, quae

garum eius quam optime ab ipso cogitata senatus probaret magis, et honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret, iniurias, quae ab illis intendebantur, aequo animo reciperet, et huius summae gloriae invideret, illorum modicam ferret.

XIV. Tum conversus Drusi animus, quando 1
bene coepta male cedebant, ad dandam civitatem Italiae; quod cum moliens revertisset e foro, immensa illa et incondita, quae eum semper comitabatur, cin-

praecedunt, et quae sequuntur, intelligenda sunt, Ruhnkenius verissime emendavit *ab illis*. Eadem confusio harum vocum facta est supra I, 4. 2.

XIV, 1. *quando*] Amerb. *qn̄.*, quod Orellius parum aberat, quin pro *quoniam* particulae compendio haberet; sed Kreyssigius Praef. p. XIX. recte monuit *quando* per compendium scribi *qn̄*, *quoniam* vero hanc habere notam *qm̄*, de qua re pluribus egit Wunderus in Praef. ad Lectt. librorum aliquot Ciceronis ex cod. Erfurt. enotatas p. LXXVI. De causali *quando* vocis potestate, qua iterum legitur II, 52, 6., cf. annotata nostra ad Sall. Iug. c. CII, 9. p. 551.

coepta] Ita Ed. pr.; at Amerb. *incepta*, quod Orellius, Amerbachio nimis fidens, et cum eo Kreyssigius Praef. p. XIX. vulgatae praetulerunt. Sed quum Ed. pr. lectio Burerii silentio confirmetur, Amerbachii potius errori *incepta* tribuendum est, ut recte iudicavit Laurentius in Loc. Vellei. p. 135.

cedebant] Lipsius coniecit *cadebant*, sine iusta caussa, ut iam vidit Burmannus, coll. II, 18, 5. *Quasi bene consulta et male cederent;* cf. Drakenborch. ad Liv. II, 44, 1. Duker. ad Flor. II, 17, 13. p. 448. Bentlei. ad Hor. Serm. II, 1, 31.

incondita] Ed. pr. et Amerb. *incognita*, inepto sensu; quasi Drusus *suos* non noverit, qui *semper* eum sequerentur! Verissime Acidalius emendavit *incondita;* nam ut in oculos incurrit ex compendio huius vocis male intellecto ortum esse *incognita*, ita sensus eo efficitur longe aptissimus, quum *multitudo incondita* designet *turbam temere et gregatim circumfusam nulloque ordine compositam;* cf. Liv. XXIV, 29, 1. *Le-*

ctus multitudine in atrio domus suae cultello percussus, qui affixus lateri eius relictus est, intra paucas
2 horas decessit. Sed cum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium moerentiumque frequentiam, effudit vocem convenientissimam conscientiae suae. Ecquandone, inquit, propinqui amicique, similem mei
3 civem habebit respublica? Hunc finem clarissimus iu-

gatio peropportuna visa ad multitudinem inconditam ac tumultuosam exonerandam. XXV, 13, 10. *Inconditam inermemque turbam advenisse.* Imprimis frequens est vocabuli usus in re militari; cf. Tacit. Ann. II, 12, 1; II, 52, 1; III, 42, 2. Histor. IV, 67, 1. Plura v. apud Drakenborch. ad Liv. XXIV, 24, 2. ubi simul de earundem vocum confusione frequenti agitur.

in atrio] Ita Ed. pr.; Amerb. *in area*, superscripto *atrio*. Kreyssigius, deceptus falsa opinione de Amerbachii fide, Praef. p. XX. *in area* scribendum censet, ratione addita, parum credibile esse Q. Varium percussorem comitum turbae immixtum Drusi domum intrasse, et cultello eius lateri affixo ex atrio in publicum se eripuisse; imo in vestibulo Drusum vulneravisse, ut fugam in expedito haberet. Sed docta annotatione Kreyssigius nihil effecit, nisi ut demonstraret *aream* etiam locum vacuum ante domum significare, Drusumque ibi interfici *potuisse*. Nam Velleium de *atrio*, non de *area* loqui, evincit Burerii cum Rhenano consensus; re vera autem *in atrio interfectum esse Drusum* ostendit locus planissimus Senecae Consol. ad Marc. c. XVI. *Cornelia Livium Drusum, vadentem per Gracchana vestigia, intra penates interemptum suos amiserat, incerto caedis auctore. Area* igitur quum Amerbachii negligentiae vel errori debeatur, non debebam Kreyssigii rationem pro vera venditare in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 12. p. 100., quem errorem ne Haasius quidem effugit in Ephemm. Litt. Hall. 1837. Vol. II. No. 103. p. 211.

§. 2. *Ecquandone*] Ed. Basil. abiecto *ne* scripsit *ecquando*, traxitque relicuos editores. Propert. II, 8, 15. (7, 39.) *Ecquandone tibi liber sum visus?* cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 355. §. 2., et de *ne* particula interrogante vocabulo interrogativo addita v. Zumpt. Gramm. Lat. c. 67, 10. §. 352. p. 321. Ed. VIII.

§. 3. *Hunc finem clariss. iuv. vitae*] Cludius verborum

venis vitae habuit; cuius morum minime omittatur argumentum. Cum aedificaret domum in Palatio in eo loco, ubi est, quae quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statili Sisennae est, promitteretque ei architectus, ita se eam aedificaturum, ut liber a conspectu immunisque ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eam despicere posset: Tu vero, in-

ordinem turbatum putans scribendum censuit *hunc finem vitae clar. iuv.* v. Prolegg. c. II. p. LXXIV.

domum] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. Rhenani vel typographi errore legitur *templum*.

in eo loco] Heinsio *in* delendum videtur.

ubi est, quae quondam Ciceronis] Ruhnkenius hunc locum a mala manu interpolatum dicens scripsit *ubi quondam Ciceronis* etc., deletis verbis *est, quae*, quod inconsulto probarunt Krausius et Cludius. Duo enim non vidit Ruhnkenius; primum, alterum *est* de *loco*, alterum de *possessione* esse intelligendum, hoc sensu: ubi *sita est*, quae olim *a Cicerone possessa* — nunc *a Statilio possidetur;* tum deletis illis vocibus prorsus immutari Vellei sententiam, qui, quum Ciceronis domum *etiamtum stare* dicat, ex Ruhnkenii mutatione *deletam eam*, in eiusque area Sisennae exstructam diceret.

liber a conspectu] Ed. pr. et Amerb. *libera a conspectu*, sensu inepto. Quid est enim ineptius, quam si quis promittat *domum* se aedificaturum *quae conspici nequeat*, et *ab omnibus arbitris sit immunis?* Ad *hominem* id pertinet, negotia sua *in domo* obeuntem, non ad *domum ipsam*. Quare Froehlichius in Diurn. doctt. Monacc. 1837. No. 67. p. 558. verissime *libera* mutavit in *liber*, quo fit ut verba ad *Drusum* relata sententiam praebeant longe sanissimam. — Gruterus vulgatam scripturam *libera a conspectu* pro glossa sequentium verborum habuit.

ab omnibus arbitris] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. est *ab omnibus hominibus*, Rhenani lapsu. Pricaeus ad Apulei. Apolog. Vol. III. p. 458. ed. Oudend. falsam Rhenani scripturam secutus coniecit *ab omnium luminibus*, fere ut Puteanus, cui in mentem venit *ab omnibus luminibus*.

neque quisquam in eam despicere posset] Haec verba Boxhornio auctore Ruhnkenius, Krausius, Cludius et Kreys-

quit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quicquid agam, ab omnibus perspici possit.

1 XV. Mors Drusi iam pridem tumescens bellum excitavit Italicum. Quippe L. Caesare et P. Rutilio consulibus abhinc annos centum viginti universa Italia,

sigius tanquam spuria eiecerunt, quod perperam factum esse iam diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 12. p. 103., quamquam vera caussa non perspecta. Nam rem plane diversam a verbis praecedentibus hac enunciatione contineri iam ex annotiatione superiore per se, opinor, patet. Cludius in Corrig. et Add. p. 240. coniecit *neque quisquam eam dispicere possit.*

posset] Ed. pr. et Amerb. *possit*, pro quo Orellius praeeunte Millero recte imperfectum reposuit. Nam praesens prorsus soloecum est et nullo pacto excusandum. v. ad. I, 5, 2.

XV, 1. *Mors Drusi*] Quae in Ed. pr., Amerb. et in omnibus edd. initio huius capitis leguntur verba *In legibus Gracchi — Carthago condita est*, ea supra II, 7, 7. suo loco collocavimus, ubi v.

P. Rutilio] Ed. pr. et Amerb. *Pompeio Rutulio.* Correxit Ed. Basil.

annos centum viginti] Amerb. *annis CXX;* Ed. pr. *annos CXX*, quod tum ob Burerii consensum, tum ob Velleii usum praetulimus. — Pro *CXX* Aldus Nepos scribi vult *CXIX;* — Ex nostra temporum constituendorum ratione adeo duobus annis omissis scribendum foret *CXIIX;* nam annis 120 a 781 detractis prodit numerus 661, quum tamen consulatus L. Caesaris et P. Rutilii, quo anno bellum Marsicum erupit, ad annum u. c. 663 pertineat. Sed h. l. lubricum videtur aliquid mutare, numerorum signis tam simplicibus, ut vix credibile sit quicquam librariorum culpa vel excidisse vel mutatum esse. Quare putamus Velleium, rotundo numero usum, ipsum duobus annis a vero abiisse.

universa Italia, cum id malum ab Asculanis] Ita Amerbach., quemadmodum scribendum esse coniectura assecuti erant Puteanus et Aldus Nepos; Ed. pr. enim sic habet: *cum id malum in universa Italia ab Asculanis;* unde patet haec iam in cod. Murbac. et turbata fuisse et signis quibusdam notata, quae Rhenani et Burerii aciem fugerunt, ab Amerbachio autem recte intellecta sunt. Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 38. p. 315., non intellecta sententiarum ratione, qua

cum id malum ab Asculanis ortum esset, (quippe Servilium praetorem Fontemiumque legatum occiderant,) ac deinde a Marsis exceptum in omnis penetrasset regiones, arma adversus Romanos cepit. Quorum ut fortuna atrox, ita causa fuit iustissima.

voces *universa Italia* sequentibus illustrantur, coniecit: *cum id malum in ultima Italia ab Asculanis ortum esset — ac deinde a Marsis exceptum in omnis penetrasset regiones, universa Italia arma adversus Romanos cepit.*

Asculanis] Cluverus in Ital. Antiq. IV, 8. et Camill. Peregrinus in Apparatu ad Antiq. Capuae p. 51. malunt *Asculanensibus.*

ortum] Haec vox operarum negligentia ex ed. Iunt. excidit, unde error in edd. Manutii, Gruteri, Lipsii, aliorum venit. — Totum locum Burmannus ita constituit: *cum id malum in universam Italiam ab Asculanis isset — arma adversus Rom. cepit* (sc. *Italia).*

quippe Servilium] Ed. pr. et Amerb. *quippe Servium.* Nomen *Servilii* restituit Aldus Nepos auctoritate Appiani de B. C. I, 38. et Livii Epit. LXXII. ubi Drakenborchius frequentissimam esse *Servii* et *Servilii* in codd. confusionem ostendit. — Heinsius coniecit *qui Q. Servilium*, invalidam ob caussam, quia *quippe* modo praecessit; v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq. Verissime praeterea Krausius monuit *quippe* saepissime a Velleio poni in parenthesibus inferendis, ut II, 13, 2; II, 18, 4.; II, 40, 5; II, 42, 4; II, 43, 1; II, 83, 1; II, 98, 2; II, 112, 4.

praetorem] Heinsius ex Livii Epit. LXXII. maluit *proconsulem*, quod merito improbat Ruhnkenius, veteribus in ea re haud raro sibi non constantibus; cf. interprr. ad Livii l. l., Dukerum ad Flor. II, 20, 5. ubi Crassus Mucianus dicitur *praetor*, quem Velleius II, 4, 1. vocat *proconsulem.* Aliqua ex parte etiam huc pertinent quae annotavimus ad II, 12, 2.

Fonteiumque] Burerius et Amerb. *Fontemiumque*, quod iam Rhenanus in Ed. pr. tacite correxit.

§. 2. *Quorum*] Burmannus coniecit *sociorum;* quod reprehendens Wopkensius in Lectt. Tull. II, 12. p. 194. ed. Amst. *quorum* refert ad *arma*, non animadvertens huic explicationi rursus obstare verba sequentia *petebant enim*, quae non possunt de *armis* intelligi. Recte Ruhnkenius vidit *quorum* per

2 Petebant enim eam civitatem, cuius imperium armis tuebantur; per omnis annos atque omnia bella duplici numero se militum equitumque fungi, neque in eius civitatis ius recipi, quae per eos in id ipsum pervenisset fastigium, per quod homines eiusdem et gentis et sanguinis ut externos alienosque fastidire posset. 3 Id bellum amplius trecenta milia iuventutis Italicae abstulit. Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello Cn. Pompeius, Cn. Pompei Magni pater, C. Marius, de quo praediximus, L. Sulla, anno

synesin pertinere ad *Italorum*, quae vox ex *Italia* cogitatione supplenda est; cf. ad I, 4, 2.

Petebant enim — tuebantur] Hanc enunciationem Cludius, haerens tum in sensu verborum *civitatem petere*, tum in constructione sequentium, mirifice censet ex glossa in textum irrepsisse, Velleiumque scripsisse: *querebantur enim per omnis annos* etc. Sed *eam civitatem petebant* significat *eius civitatis ius et dignitatem petebant;* ex isto verbo autem aliud, quod caussae declarationem habet, velut *dictitare, queri, causam afferre*, cogitatione eliciendum est, unde paullo liberiore sane modo sequentes accusativi pendent; cf. quae diximus ad Sall. Catil. c. XXI, 3. p. 106 et ad Iug. c. VIII, 1. p. 44.

tuebantur; per omnis annos atque omnia bella] Ed. pr. interpunctionem habet post *bella*. Correxit Puteanus.

duplici numero] Delbenius apud Manutium coniicit *duplici munere*, haud dubie propter *fungi* verbum. Sed Puteanus bene explicat *praestare*, cf. Tacit. Ann. XIV, 21, 2. *Cum eo sumptu respublica fungatur.* Iustin. IX, 2, 12. *Si voto fungi vellet.* Ulpian. I, 3. D. de dot. coll. *Si filia fuerit heres instituta, collatione dotis non fungetur.* Plura ex Iureconsultis habet Brisson. de V. S. Ruhnk.

per quod] Ruhnkenius, seductus alieno loco II, 76, 4., coniecit *ex quo*, quasi id melius conveniret voci *fastigium*. Quae quum h. l. significet *summas opes summamque potentiam*, ut II, 40, 4., II, 65, 1., facile patet *per quod* rectissime se habere. Gelenius maluit *propter quod;* — Bothius *prae quo*.

ante praetura functus, Q. Metellus, Numidici filius, qui meritum cognomen Pii consecutus erat. Quippe 4 expulsum civitate a L. Saturnino tribuno plebis, quod solus in leges eius iurare noluerat, pietate sua, auctoritate senatus, consensu populi Romani restituit patrem. Nec triumphis honoribusque quam aut causa exili aut exilio aut reditu clarior fuit Numidicus.

XVI. Italicorum autem fuerunt celeberrimi du- 1 ces Silo Popaedius, Herius Asinius, Insteius Cato, C. Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius,

§. 3. *clarissimi autem*] Bothius *autem* delevit, quia statim c. 16, 1. sequatur *Italicorum autem.* Quasi ista particula non utroque loco transitui inserviret.

de quo praediximus] Krausius, probante Kreyssigio Praef. p. XXI., haec verba ut spuria delenda censet, quia Velleius perpetuo dicat *quem praediximus.* Sed cur non potuerit etiam aliquando dicere *de quo* nulla plane caussa perspicitur, ut ostendimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 12. p. 104. Praeterea verba a Velleio esse scripta ex eo etiam potest colligi, quod nullum ex ducibus Romanis nude nominat, sed omnes accuratius designavit. cf. Froehlich. in Diurn. doctt. Monacc. 1837. No. 67. p. 559 sq. et Klotz. in Novis Annall. Phil. et Paed. Vol. XVII. fasc. 6. p. 201.

functus, Q. Metellus] Amerb. *functusq. Metellus*, ut II, 11, 1.

a L. Saturnino] Ita Amerb. ut coniecerat Aldus Nepos; in Ed. pr. *a* praepositio deest.

§. 4. *consensu populi Romani*] Ed. pr. et Amerb. *consensu reip.* Correctio certissima ineptae lectionis, ortae ex permutatione compendiorum *P. R.* et *R. P.*, debetur Puteano, qui simul contulit Valer. Max. IV, 1, 13. *Metello maximo consensu senatus et populi reditus datus.*

aut causa exili] Bothius haec verba ut interpretationem verbi *exilio* eiicienda censet!

XVI, 1. *Insteius Cato*] *Vettium Catonem* laudat Appian. B. C. I, 40. inter duces Italorum, Cicero Philipp. XII, 11, 27.

2 Papius Mutilus. Neque ego verecundia domestici sanguinis gloriae quicquam, dum verum refero, subtraham. Quippe multum Minati Magi, atavi mei, Aeculanensis, tribuendum est memoriae, qui nepos Deci Magi, Campanorum principis, celeberrimi et fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem prae-

P. Vettium Scatonem, ducem Marsorum, corrupte, ut videtur, pro *Catonem*. Eutrop. V, 2. *Titum Vettium*, et Seneca de Beneff. III, 23, 6. *C. Vettium*, praetorem Marsorum; cf. Schweighaeuser. ad Appian l. l. Unde Ursino placuit *Vettius Cato*. Sed quum gens *Insteia* etiam obvia sit apud Tacit Ann. XIII, 39., in lapide apud Cuiacium Observ. X, 37. et apud Livium in Fragm. lib. XCI., quumque plures Catonum inter socios fuisse non improbabile sit, nihil mutandum est. Krausius. Ne opus quidem, ut cum Vossio scribatur *Insteius Capito*.

Papius Mutilus] Ed. pr. et Amerb. *Pap. Mutilius*. Sed *Mutilus*, ut emendavit Raphelengius, constanti omnium auctorum confirmatur auctoritate; cf. Appian. I, 51. Wesseling. ad Diodor. Eclog. lib. XXXVII. Vol. II. p. 539. Fabric. ad Oros. V, 18. Krausius.

§. 2. *domestici sanguinis gloriae*] Ita Ed. pr.; Amerb. *domesticae gloriae*, omisso *sanguinis* vocabulo, nisi forte ipsius Orellii culpae loci depravatio tribuenda est.

verum] Ita Ed. pr.; Amerb. *vero*, unde Orellius fecit *vera*, quod, quum Rhenani et Burerii fides Amerbachio potior sit, probabilitate caret. *Vero* ortum ex *verū;* v. Prolegg. c. III. p. XC.

atavi mei] Amerb. *atavini*, sed superscriptum *atavi mei*.

Aeculanensis] Ed. pr. et Amerb. *Asculanensis*. Verissime hoc nomen praeeunte Cellario correxit Cluverus in Ital. antiq. p. 1202. et Camill. Peregrimus de Campania Felice Dissert. I, 8. in Thes. Rer. Ital. Vol. IX. P. II. *Aeculanensis* scribendo; cf. Sauppius in Mus. Helvet. a. 1837. I, 2. p. 137. Romanelli viaggio a Pompei I. p. 171. et Orelli Inscriptt. Lat. Vol. I. p. 155. No. 566. Nam quum Minatii Magii maiores in Campania essent, teste ipso Velleio ac Livio XXIII, 7 sqq., Minatius autem ad Romanos iuvandos *in Hirpinis*, vicina Campaniae gente, legionem conscriberet, prorsus incredibile est illum, si *Asculi*, longe remota

stitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret Compsamque occuparet; cuius de virtutibus cum alii, tum maxime 3
dilucide Q. Hortensius in annalibus suis retulit. Cuius illi pietatis plenam populus Romanus gratiam

Picenorum urbe, natus esset, in aliena terra istud facere tantumque valere potuisse. Contra nihil miri in ea re inest, si *Aeculanensis* fuit. *Aeculanum* enim *Hirpinorum* oppidum est, ubi Minatius facile potuit clientes sibi parare, quum valde probabile sit, ut Krausius acute coniecit, Magiorum gentem, qua auctoritate in Campania fuerit, eandem, sede in Hirpinos translata, ibi retinuisse.

Compsamque] Ed. pr. et Amerb. *Cosamque;* — Vossius recte scripsit *Compsam*, quae urbs est Hirpinorum; cf. infra II, 68, 3. Liv. XXIII, 1, 1. Plin. H. N. III, 11. *Cosa* vero urbs est Etruriae, cuius nulla hic mentio inter res in Campania gestas esse potuit.

§. 3. *maxime dilucide Q. Hortensius*] Ed. pr. *maxime dilucideque Q. Hortensius;* Amerb. *maxime dilucideq. que Hortensius.* Vulgatam tuetur Krausius, *dilucideque* explicans *et quidem dilucide;* sed ita mirifice friget *maxime.* Quare putamus recte vidisse Lipsium *que*, utpote ex nota *Quinti* nominis ortum (v. Prolegg. c. III. p. CXII.), delendum esse, ut *maxime dilucide* unius vocabuli vicem sustineat. Omnis enim sententiae vis inest in *dilucida laude*, qua Hortensius prae ceteris Minatium extulit. — Ruhnkenius coniecit *eximie dilucideque Q. Hort.*

Cuius illi pietatis] Ed. pr. *cuius ille pietati;* Amerb. *cuius illi pietati*, unde levissima mutatione veram scripturam nos restituisse confidimus in Zimmermanni Ann. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 135., in quam etiam incidit Leepius in Emendd. Vell. p. 3., structurâ pariter atque sententiâ commendabilem. *Cuius pietatis* enim de fide Minatii dictum, *illi* autem de Minatio ipso intelligendum, hoc sensu: *pro ea pietate illi* populus Rom. plenam *gratiam retulit.* Simili modo *ille* genitivis interpositum habes infra II, 47, 3. *Cuius ille honoris gloria — maxime a C. Caesare alienatus est*, qui locus etiam bis posito *cuius* pronomine est similis. *Gratiam referre alicuius rei* dixit

retulit ipsum viritim civitate donando, duos filios eius
4 creando praetores, cum seni adhuc crearentur. Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum duo Romani consules, Rutilius ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur,

etiam Livius XXXIX, 13, 4. Non autem offendendum esse neque in pronomine relativo, neque in *retulit* verbo repetito, facile concedent qui Velleium accurate legerunt; v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq. Ad nostram emendationem proxime accedit quod Schefferus suasit in Misc. Obss. Vol. IX. p. 348. *cuius illi pietati*, ut est in Amerb.; — Lipsius coniecit *cuius scilicet pietatis*; — Vossius *cuius in se pietati*, vel *cuius inde pietati*; — Heinsius *huius illibatae pietati*; — Oudendorpius apud Ruhnkenium *cuius fidei et pietati*; — Orellius *eius fidei et pietati*; — Cludius *huius illustri pietati*; — Ed. Basil. *cuius pietati*; — Bothius *pietati*, deletis verbis *cuius ille*; — Halmius in Emendd. Vell. p. 7. *illi pietati*, deleto pron. *cuius*; — Iacobsius in Praef. Vers. Germ. p. XXIX. *cuius insigni pietati*; — Herelius p. 561. *huius utili pietati*; — Laurentius in Locis Vell. p. 10. *quin illius pietati*; — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 443. *cuius* (sc. Minatii) *ille* (sc. Hortensius) *pietati plenam laudem, pop. R. gratiam* etc.

gratiam retulit] Perizonius apud Heinsium maluit *grat. reddidit*, quia modo praecessit *retulit*, probantibus Ruhnkenio et Kraussio. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq. Vulgatam etiam defendit Wopkens. Lectt. Tull. II, 11. p. 189. ed. Amst.

viritim] i. e. *singulatim, peculiariter*, sive *unum ex omnibus*; cf. Tacit. Ann. XI, 24, 2. *Non ignoro omni Italia in Senatum accitos, ut non modo singuli viritim, sed terrae, gentes in nomen nostrum coalescerent.* Seneca de Beneff. VII, 5. *Possum donare sapienti, quod viritim meum est, licet illius sint omnia.* Popma coniecit *Quiritem*; — Lipsius *Quiritium*, quod valde commendavit Heinsius; — Iacobsius in Praef. Vers. germ. p. XXIV. *Minatium.*

civitate] Amerb. *civitatem.*

§. 4. *continuum*] Ed. pr. et Amerb. *continuo.* Sed adverbio, quo minime temporis continuitas significatur, ut recte docuit Handius de Particc. Lat. Vol. II, p. 100., nullum hic locum

exercitus populi Romani multis in locis funderentur, utque ad saga iretur diuque in eo habitu maneretur. Caput imperi sui Corfinium legerant atque appellarant Italicam. Paulatim deinde recipiendo in civitatem qui arma aut non ceperant aut deposuerant maturius,

esse vidit Ed. Basil. Eius emendationem confirmat locus infra II, 48, 3. *Quae per continuos viginti annos consecuta sunt mala.* Vitium ortum est terminatione sequentis vocis ad prius translata, quem errorem frequentem esse docuimus in Prolegg. c. III. p. XCV. Ursinus maluit *continui.*

legerant atque appellarant Italicam] Ed. pr. *legerantq.* * *Italicani*; — Burer. *legerant quod appellarent Italicum*; — Amerb. *legerantq. appellarent Italicam.* Ex quibus obscuratae in cod. Murbac. lectionis vestigiis Orellius feliciter eruit quam in texto expressimus scripturam; v. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 89. Nam *quod* particulam, a Burerio positam, minime certam esse, apparet ex Rhenani et Amerbachii discrepanti lectione, quae certissime ad vocem *atque* ducit; qua reperta sponte se offert *appellarant*, praesertim mutatione *a* et *e* vocalium in cod. Murb. haud infrequente; v. Prolegg. c. III. p. LXXXVII. — Burerius coniecit *quod appellarunt*, plerisque editoribus probatum; — Laurentius in Loc. Vell. p. 135. *quod appellarent*; — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 37. p. 307., improbata Orellii coniectura, vitium altius reconditum, necdum sanatum, subesse dicit.

Italicam] Ed. pr. *Italicani*; — Burerius *Italicum.* At Amerb. *Italicam*; quod verum esse non solum probatur Rhenani consensu (nam *in* et *m* in codd. non differunt), sed multo maxime auctoritate Strabonis V. p. 369. C. Almelov. *Ἀπέσιησαν καὶ τὸ Μαρσικὸν καλούμενον ἔξῆψαν πόλεμον, Κορφίνιον, τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν, κοινὴν ἅπασι τοῖς Ἰταλιώταις ἀποδείξαντες πόλιν ἀντὶ τῆς Ῥώμης, ὁρμητήριον τοῦ πολέμου, μετονομασθεῖσαν Ἰταλικήν*; quocum consentit etiam Diodor. Sic. Eclog. lib. XXXVII, 1. Tom. II. p. 539. ed. Wessel. *κατὰ τὸ σφοδρότερον λοιπὸν εἶχοντο καὶ τοῦ ἐφεξῆς πολέμου τὴν κοινὴν πόλιν Ἰταλικὴν ὀνομάσαντες*, quemadmodum Casaubonus verissime scripsit pro *Ἰταλίαν.* — Burerium sequitur Krausius; — Vascosanus scripsit *Italicanum.*

vires refectae sunt, Pompeio Sullaque et Mario fluentem procumbentemque rempublicam Romanam restituentibus.

1 XVII. Finito ex maxima parte, nisi quae Nolani belli manebant reliquiae, Italico bello, quo quidem Romani victis afflictisque ipsi exarmati, quam

rempublicam Romanam] Ed. pr. *remp.;* Burerius et Amerb. *rem P. R.;* — Ruhnkenius in his antiquam formulam agnoscit, *rempublicam populi Romani,* de qua egerunt Gronovius Obss. IV, 14. p. 686. et ad Liv. VIII, 9, 8. Drakenborch. ad XXII, 10, 2. — Halmius in Annall. crit. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 42. p. 380. coniecit *rem populo Romano,* propter Ennii versum apud Cic. de Off. I, 24, 84.; — Laurentius in Loc. Vell. p. 136. et Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 18. *rem populi Romani.* Sed haec omnia vel nimis longe quaesita sunt, vel a loquendi usu discrepant. Longe simplicissimum est quod edidimus; non est enim dubium, quin *p* littera casu a praecedente voce avulsa fuerit.

XVII, 1. *nisi quae*] Lipsius coniecit *nisi quod;* — Vossius *nisi qua,* Ruhnkenio ac Krausio probantibus, maxime ob locum II, 37, 2. Sed vulgata proba est. Non agitur enim de *loco,* sed de *re ipsa,* quamquam Velleius et in *nisi* particula, et in *relativo* liberiorem paullo neque satis dilucidam dicendi rationem (v. Prolegg. c. II. p. LXIV.) secutus est. Nam quum hic fere sensus eius menti obversaretur: *exceptis, quae Nolani belli manebant, reliquiis,* vel *praeter eas, quae Nol. bel. man., reliquias,* primum *nisi* particula usus est, ad *exceptionem* significandam, tum hoc ipsum in caussa fuit, ut *reliquiae* nomen, quod primariae enunciationis esse debebat, attractione cum relativo secundariae enunciationis coniungeret, quamquam ista ratio longe est liberior illa, quam tetigit Kruegerus de Attract. Ling. Lat. §. 80. p. 194.

quae Nolani belli manebant reliquiae] Bothius scripsit *quae Nolanae manebant reliquiae,* deleta *belli* voce, quia statim sequitur *bello.* v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

ipsi exarmati] Heinsius maluit *paene et ipsi exarmati;* — Burmannus *ipsi exorati.* Sed *exarmati* sunt *infirmi et debiles facti,* ut verissime exponunt Wopkens. Misc.

integris universis, civitatem dare maluerunt, consulatum inierunt Q. Pompeius et L. Cornelius Sulla, vir, qui neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest. Hic 2 natus familia nobili, sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, cum fa-

Observ. Vol. VIII. p. 33. et Duker. ad Flor. I, 22, 3. Idque congruit historiae, quae Romanos in eas angustias deductos esse tradit, ut, quod nunquam aut raro fecerant, libertinorum delectum haberent. Ruhnk. — Heynius in Program. a. 1783. de belli Rom. socialis caussis et eventu, p. 7. coniicit *ipsi exarmari.*

quam integris universis] Heinsius coniecit *quam integri universis;* — Ruhnkenius *quam integri integris universis;* — Bothius *quam integris ineversi;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 4. *quam integri non eversis;* — Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 42. p. 330. *quam integris integri.* Quibus coniecturis omnibus quamquam concinnitati succurritur, tamen vulgata, licet minus concinna, retinenda est, quum Velleius, ut haud raro solet (v. Prolegom. c. II. p. LXIV.), animi sensus non ad liquidum perductos significaverit magis, quam accuratis verbis declaraverit. Nam pugnat quidem inter se, quod *integris universis* simul de *Romanis et Italicis* est intelligendum, *civitatem dare* autem ad *Italicos* solos pertinet; sed tamen caussa huius rei in promptu est. Velleius enim, quum hoc dicere vellet: Romani victis afflictisque ipsi exarmati *civitatem dare* maluerunt, quam *integris universis* (i. e. *dum omnes integri erant*, vel *ita, ut omnes integri essent) id facere,* brevitatis studio ductus duo orationis membra in unum contraxit, comparationemque imperfectam extulit, ut solet in sermone familiari, ubi incuriose loquimur, sexcenties fieri. Perplexe igitur et parum emendate locutus esse arguendus est potius, quam de mutanda scriptura cogitandum; nam verba *quam integris universis* ne minimam quidem corruptelae suspicionem praebent.

Q. Pompeius] Ita Burer. et Amerb. recte; cf. Fast. coss. capitt. a. u. c. 665. Liv. Epit. lib. LXXVII. Appian. B. C. I, 56. — Ed. pr. habet *Cn. Pomp.*

§. 2. *nobili*] Amerb. *nobilis.*

miliae eius claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogitationem habere
3 videretur. Deinde post praeturam illustratus bello Italico, et ante in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos duces hostium fuderat, ex successu animum sumpsit, petensque consulatum paene omnium civium suffragiis factus est. Sed eum honorem undequinquagesimo aetatis suae anno assecutus est.

familiae eius claritudo] Herelius p. 562. coniecit *familiae vetus claritudo.*

intermissa esset] Acidalius mavult *intermisisset.*

petendi consulatum] Cludio auctore Bothius scripsit *petendi consulatus.* Iniuria. V. Zumpt. Gramm. Lat. c. 81, 9. §. 649. p. 544. ed. VIII.

cogitationem] Sigonius ad Fast. a. 665. hunc locum laudans scribit *rationem.* cf. Cic. Paradox. I, 2.

§. 3. *qua eminentissimos*] Ed. pr. et Amerb. *quae eminent.* Vitium eo ortum, quod *e* ex sequenti voce adhaesit (v. Prolegg. c. III. p. CXI sq.), correxit Ed. Basil.

factus est.] Acidalius coniecit *aptus est;* — Gruterus *nactus est;* — Heinsius verba *factus est, sed* delenda censet, ut *omnium civium suffragiis* pertineat ad sequentia; — Munckerus apud Heinsium mavult *suffragiis factus, eum honorem* etc., deletis *est, sed* vocibus; — Cludius in Corrig. et Add. p. 241. *nactus, sed eum honorem.* Sed vulgatam tuentur Krausius et Halmius in Emendd. Vell. p. 18., recte assecuti per synesin (de qua dicendi ratione v. annotata ad I, 4, 2.) ex *consulatum* vocabulo assumendum esse *consul.* Grunerus contulit Aurel. Vict. de V. ill. c. LXVII. *Usque sextum consulatum per ordinem factus Apuleium Saturninum interemit.* Eo maiorem autem synesis excusationem habet, quod consuetudine vulgaris sermonis *fieri* et *factus* etiam absolute de creando magistratu dicebatur, ut observavit Burmannus ad Quintil. V, 10, 92. *Ac vide, an facile fieri tu poteris, cum is factus non sit, cui tu concessisti.*

XVIII. Per ea tempora Mithridates, Ponticus 1
rex, vir neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, occupata Asia necatisque in ea omnibus civibus Romanis, quos quidem eadem 2
die atque hora, redditis civitatibus litteris ingenti cum pollicitatione praemiorum, interimi iusserat, quo tem- 3

Sed eum honorem] Nugatur Gruterus censens elegantiorem fieri sermonem, si verba *sed eum honorem* simul cum extremis *assecutus est* deleantur.

XVIII, 1. *aliquando fortuna*] Lipsius maluit *aliquamdiu fort.*, sine ulla caussa; v. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 249. §. 4. cf. Tacit. Agric. c. IX. *Haud semper errat fama; aliquando et elegit.*

occupata Asia necatisque] Kreyssigius Praef. p. XXII., ut orationem, longiore parenthesi impeditam, ad iustum modum revocaret, scripsit *occupat Asiam, necatis in ea,* ac praeterea punctis distinxit post *iusserat*, post *par fuit*, et post *restituta est.* Sed istam trium verborum mutationem nimis violentam esse, et praeterea obscuriorem adeo fieri totius loci sensum, verbis *cum terribilis Italiae quoque videretur imminere* a periodi initio avulsis, praesertim quum postrema, *sorte obvenit Sullae Asia provincia,* cum fine capitis praecedentis arctissime cohaereant, luculenter ostendit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 101. p. 195.

§. 2. *quos — redditis civitatibus litteris — interimi iusserat*] Heinsius coniecit: *quos — redditae civitatibus litterae — interimi iusserant;* vel etiam: *quos — redditis civitati cuique litteris — interimi iusserat.*

interimi] Amerb. *interemi*, quod Kreyssigius Praef. p. XXII. probat, remittens ad suas Annotatt. ad Rabirii Fragm. 222. Sed tales archaismos Velleio obtrudere ut per se dubium est, ita vulgaris *interimi* forma Rhenani diserto, Burerii tacito testimonio firmatur.

pore neque fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis par fuit, (horum fidem Mytilenaeorum perfidia illuminavit, qui M'. Aquilium aliosque Mithridati vinctos tradiderunt, quibus libertas in unius Theophanis gratiam postea a Pompeio restituta est,) cum terribilis Italiae quoque videretur imminere, sorte obvenit Sullae Asia pro-
4 vincia. Is egressus urbe cum circa Nolam moraretur, (quippe ea urbs pertinacissime arma retinebat, exercituque Romano obsidebatur, velut poeniteret eius

§. 3. *horum fidem*] Cludius scripsit *quorum*, quod per se valde blanditur, quum vulgata Ed. pr. et Amerb. scriptura, in qua parenthesis a verbis *quo tempore* incipit, puncto autem post *fuit* distinguitur, prorsus absurda sit. Nam parenthesis *mediae* orationi interiecta nullo pacto potest *finem* structurae imponere, quia fieri nequit, ut parenthesi finita, rursus redeatur ad inceptam orationem, ubi iam in ipsa parenthesi oratio progredi desiit. Sed facilius, quam Cludii emendatio, vulgatae vitio medetur interpunctio nostra, ita instituta, ut puncto post *fuit* in comma mutato parenthesis ab *horum* pronomine incipiat, quod recte fieri docuimus supra ad II, 3, 1. — Bothius pariter ut Cludius, recepto modo parenthesin a verbis *quo tempore* incipientes, scripserunt *horumque*.

fidem Mytilenaeorum] Amerb. *fidem in Mytilen.*

M'. Aquilium] Ed. pr. et Amerb. *M. Aquilium.* Praenomen *Manii* restituit Ruhnkenius; v. ad. II, 4, 1.

gratiam] Amerb. *gratia.*

§. 4. *Is egressus*] Amerb. *egressus*, omisso *is* pronomine, quod Ed. pr. habet, non adversante Burerio; unde patet errare quidem Kreyssigium, qui Praef. p. XXIII. *is* Rhenani sive coniecturae sive interpolationi tribuerit, sed immerito eundem ob receptum pronomen vituperari ab Haasio in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 101. p. 195.

moraretur, quippe] Cludius scripsit: *moraretur, exercituque Romano obsideret eam, quippe;*— verbis, quae

fidei quam omnium sanctissimam bello praestiterat Punico,) P. Sulpicius, tribunus plebis disertus, acer, 5
opibus, gratia, amicitiis, vigore ingeni atque animi celeberrimus, cum antea rectissima voluntate apud populum maxumam quaesisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum suarum, et bene consulta ei male cederent, subito pravus et praeceps, C. Mario, post 6
septuagesimum annum omnia imperia et omnis provincias concupiscenti, addixit, legemque ad populum tulit, qua Sullae imperium abrogaretur, C. Mario

versu post leguntur, huc translatis, et *obsidebatur* in *obsideret eam* mutato.

exercituque Romano obsidebatur] Haec verba Bothius tanquam glossema importunum e textu eiecit.

eius fidei] Cludius scripsit *eam fidei*, quasi *eam* non suppleri posset. Nihil enim obstat, quominus in *poenitet* verbo fiat, quod in *pudet* licet; cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 73, 9. Annot. 2. §. 443. p. 392. ed. VIII.

§. 5 *apud populum maximam*] Amerb. *aput populum maxumam;* — Ed. pr. vulgarem scribendi rationem retinet, cuius, in re incerta, aliquanto maior est, quam Amerbachii auctoritas. cf. Haasium in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 101. p. 196. Certe unum exemplum non sufficit ad istam formam Velleio ita vindicandam, ut accusativos III. declin. in *is* exeuntes ei vindicavimus in Prolegg. c. III. p. CXXIII.

§. 6. *praeceps, C. Mario*] Puteanus et nuper Sauppius apud Orellium coniecere *praeceps se C. Mario*, quod ab Orellio receptum perperam ipse probavi in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 90. V. not. seq.

concupiscenti, addixit] Ita Ed. pr.; Amerb. *concupiscenti dedit addixit*, sed postea *dedit* delevit. Heinsius scripsit *concupiscenti se addixit*, quod Ruhnkenius tanquam unice verum praedicat. Sed verum tantummodo est, latine et commodo sensu ita dici *posse;* debuisse neque probari potest, neque ita dixit Velleius. Recte enim Burmannus ad h. l. et Graevius ad

bellum decerneretur Mithridaticum, aliasque leges perniciosas et exitiabilis, neque tolerandas liberae civitati tulit. Quin etiam Q. Pompei consulis filium eundemque Sullae generum per emissarios factionis suae interfecit.

1 XIX. Tum Sulla contracto exercitu ad urbem rediit eamque armis occupavit, duodecim auctores novarum pessimarumque rerum, inter quos Marium cum filio et P. Sulpicio, urbe exturbavit, ac lege lata exules fecit. Sulpicium etiam assecuti equites in Laurentinis paludibus iugulavere, caputque eius

Cic. or. p. Quinct. c. 18. iudicarunt *addixit* verbi obiectum non esse *se*, sed praegressa nomina *imperia et provincias;* quippe attractionis quodam genere nomen primariae enunciationis in secundariam cessit, ita ut pronomen demonstrativum *ea*, quo ad illud remittatur, supplendum sit; cf. Cic. p. Sulla c. 33, 92. *Quae prima innocentis mihi defensio est oblata, suscepi.* Sall. Iug. c. XLIX, 4. *Iugurtha, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere benefici sui. Addicere* autem, proprie de rebus in auctione emptori adiudicandis usurpatum (v. ad II, 25, 4.), translata significatione valet *pretio aliquid vendere, concedere, permittere;* quo ipso Sulpicii pravitas cernebatur. — Cludius scripsit: *concupiscenti, addixit Asiam.*

aliasque leges] Hottingerus in Mus. Turic. a. 1782. Vol. I. Tom. II. *leges* expellendum censet. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sq.

etiam Q. Pompei] Amerb. *etiamq. Pompei.*

XIX, 1. *inter quos*] Acidalius mavult *interque eos;* sed v. ad I, 17, 5.

cum filio et P. Sulpicio] Halmius in Annall. crit. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 341. legendum censet *cum filio et P. Sulpicium*, quia constructio falso procedat. Non opus esse iam diximus in Zimmermanni Annall. studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 128., quamquam non addita ratione, quae in eo cernitur, quod Velleius, *cum* praepositione *Sulpicium* quoque complexus, summam necessitudinem, quae ei cum utroque Mario intercedebat,

erectum et ostentatum pro Rostris velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius post sextum consulatum annumque septuagesimum nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto circa paludem Maricae, in quam se fugiens consectantis Sullae equites abdiderat, iniecto in collum loro in carcerem Minturnensium iussu duumviri perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus natione Germanus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat,

significare voluit. *Hi tres* enim arctissimo vinculo erant coniuncti, ita tamen, ut Marius maior natu princeps esset.

Sulpicium etiam] Cum in Ed. pr. et Amerb. scriptum sit *Sulpitium*, Orellius suspicatur *etiam* vocem ex geminatione litterarum *itium* ortam esse. Sed *etiam* non pertinet ad obiectum, sed ad praedicatum, ut significetur Sulpicium non modo exulem factum esse, verum etiam in fuga deprehensum et occisum.

erectum] Gruterus potius censet *exectum*.

§. 2. *annumque septuagesimum*] Ed. pr. et Amerb. *annoque LXX*. Puteanus coniecit *annosque LXX*; — Gruterus verba pro glossa habet; — Vossius emendavit *annumque LXX*, quod verum esse eo minus dubitari potest, quum non solum *que* particula ostendat constructionem *post* praepositionis continuari, sed res ipsa doceat Marium fugientem non egisse annum septuagesimum, sed iam transgressum esse; cf. II, 18, 6. et Inscriptt. apud Orellium, Vol. I. p. 147. No. 543., ubi inter alia haec leguntur: MARIUS POST LXX ANNUM PATRIA PER ARMA CIVILIA EXPULSUS, ARMIS RESTITUTUS, VII COS. FACTUS EST.

iussu duumviri] Lipsius coniecit *iussu duumvirum*; — Gruterus *iussu duumvirali*. Quasi non unus ex duumviris iubere potuerit!

§. 3. *cum gladio*] Gruterus haec merum glossema iudicat, quia sequatur *abiecto gladio*. V. Prolegg. c. III. p. LXVII sqq.

ab imperatore eo] Hudsonus *ab* censet delendum, Burmannus in *sub* mutandum, quia imperatoris non sit captivos

ut agnovit Marium, magno eiulatu, exprimente indignationem casus tanti viri, abiecto gladio profugit
4 e carcere. Tum cives, ab hoste misereri paulo ante principis viri docti, instructum eum viatico collataque veste in navem imposuerunt. At ille, assecutus circa Aenariam filium, cursum in Africam direxit, inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginien-

manu facere et prehendere. Sed rem miram et insolitam plane excusat et explicat addita vox *forte*. Praeterea absurdum est, omnes eos, qui *Mario duce* capti fuerunt, propterea eum *agnoscere* potuisse.

magno eiulatu] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. Rhenani lapsu est *cum magno eiulatu*, unde Ed. Basil. fecit *magno cum eiulatu*.

exprimente] Ed. pr. *expromenti*, Amerb. *exprimenti*. — Vossio auctore plerique editores *expromenti* sexto casu intellexerunt, pro quo Ruhnkenius rectius, quod ad formam attinet, *expromente* scribendum censet, coll. Bentl. ad Hor. Od. I, 25, 17., cui adde Zumpt. Gramm. Lat. c. 15, 4. §. 64. p. 61. ed. VIII. Sed Velleium scripsisse *exprimente* certissimum est, quippe quo non solum Amerbachii scriptura, sed res ipsa et loquendi usus ducat. *Expromere* enim *personarum*, non *rerum* est; neque *eiulatus expromit indignationem*, sed *homo eam expromit eiulatu*. Contra ut *expromere* est alienum, ita *exprimere* rei egregie convenit. Nam Germanus rudis non *verbis* commiserabatur Marium, sed eorum loco utebatur *eiulatu*, qui *exprimebat* animi indignationem, quam ille verbis declarare non valebat. Ceterum hoc corruptelae genere, quo *exprimente* abiit in *expromenti*, nihil est frequentius in Velleii cod. Murb.; nam *o* et *i*, ac rursus *i* et *e* saepissime confundi plurimis exemplis docuimus in Prolegg. c. III. p. XC. et LXXXVIII. — Ed. Basil. scripsit: *magno cum eiulatu se prodentem indignatione*; — Acidalius maluit *expromens*, vel etiam *exprimens*; — Heinsius *magnos eiulatus exprimente indignatione*; — Burmannus *cum magno eiulatu, exprimente indignationem casu tanti viri*, etc.

e carcere] Gruterus haec delenda censet, quia praecedit *in carcerem*. v. Prolegg. p. LXVII sqq.

sium toleravit, cum Marius aspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.

XX. Hoc primum anno sanguine consulis Ro- 1
mani militis imbutae manus sunt; quippe Pompeius, collega Sullae, ab exercitu Cn. Pompei proconsulis seditione, sed quam dux creaverat, interfectus est.

§. 4. *Aenariam*] Ed. pr. et Amerb. *Taenariam.* Correxit Ed. Basil.; cf. Plutarch. in Mario c. XL. et Sisenna apud Nonium II, 191. (Vett. histor. Fragm. in Frotscheri ed. Sallustii Tom. I. p. 483. No. 120.) *Marius ostio Liris evehitur adque Aenariam suos continuatur.* Laurentius in Locis Vell. p. 136. coniecit *circa insulam Aenariam.*

filium] Puteanus suspicatur *uxoris filium*, quia Plutarchus in vita Marii c. 37. et 40. tradat Marium in Aenaria Granium privignum recepisse.

in tugurio ruinarum] Cludius in Corrig. et Add. p. 241. coniicit *in tugurio e regione ruinarum*, lepida ratione usus, Marium in ipsis ruinis degentem neque potuisse aspicere Carthaginem, neque aspici ab illa!

XX, 1. *imbutae manus sunt*] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. *sunt* deest, Rhenani vel typographi errore.

quippe Pompeius] Heinsius scripsit *quippe Q. Pompeius*, probantibus Ruhnkenio, Krausio, Kreyssigio. Sed quamquam verum est, et *Q* litteram facile excidere potuisse, et praenomina plerumque addi ad duos eiusdem nominis discernendos, tamen Q. praenomine h. l. non opus est, quum Pompeius satis superque additis verbis *collega Sullae* designetur; cf. infra ad II, 58, 1.

ab exercitu] Ita Burerius; Ed. pr. *ad exercitum;* — Amerb. *ad exercitum*, superscripto *ab.*

seditione] Amerb. *seditioni.*

creaverat] Burerius coniecit *excitaverat*, vel *exciverat;* Heinsius *civerat*, vel *concitarat;* — Faehsius in Sylloge Lectt. in Gloss. *ornaverat;* — Kreyssigius Praef. p. XXIII. *conflaverat.* Sed vulgatam ferri posse iam declaravimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 12. p. 101. Idem censuit Halmius in Annall. crit. Berol. a. 1837. Vol. I. No. 60. p. 478. Wopkens. Misc. Obs. Vol. VIII. p. 35. et Schoepferus

2 Non erat Mario Sulpicioque Cinna temperatior. Itaque cum ita civitas Italiae data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives, ne potentia eorum et multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores benefici, Cinna in omnibus tribubus eos se distribu-
3 turum pollicitus est. Quo nomine ingentem totius Italiae frequentiam in urbem acciverat. E qua pulsus collegae optimatiumque viribus cum in Campaniam tenderet, ex auctoritate senatus consulatus ei abrogatus est, suffectusque in eius locum L. Cornelius Me-

in Adnotatt. crit. p. 19. v. Schelleri Lex. Lat. h. v. No. 2. p. 2468.

§. 2. *Sulpicioque*] Ita Amerb. ut coniecerat Rhenanus; Ed. pr. *Sulpicio, que* particula in cod. Murb., ut saepius factum in confinio *o* litterae (v. ad II, 34, 3.), oblitterata aut intercepta. Copulae defectum perperam ab Handio de Particc. Lat. Vol. II. p. 473. §. 7. probari iam diximus ad I, 4, 1. v. infra II, 103, 3.

cum ita] Heinsius maluit *cum sic;* — Herelius in libello quem inscripsit Krit. Beobacht. üb. Vell. p. 10. *cum ea lege.*

in octo tribus] Cludius, ne Velleii diligentia detrimentum caperet, scribendum putavit *in octo novas tribus.* Sed quamquam auctor potuisset ita scribere, tamen non necesse fuit, re ipsa haud obscure *contribuerentur* verbo declarata, quod *distribuendo* oppositum non potest aliter, nisi de novis tribubus intelligi. Rem accurate illustrat Schulzius de Comitiis Rom. p. 41 sq. coll. Appiano de B. C. I, 49. ed. Schweigh. T. II. p. 69. et I, 64. p. 90. Ceterum protasis pertinet usque ad verba *quam auctores benefici;* cf. Rosenheynii Lectt. Vell. p. 10. Sigon. de Antiq. iure Ital. III, 1. p. 752. ed. Lips.

§. 4. *universus*] Ed. pr. et Amerb. *universos.* Correxit Rhenanus.

§. 5. *auctoritate, gratia; cuius augendae*] In Ed. pr. sic

rula flamen dialis. Haec iniuria homine quam exemplo dignior fuit. Tum Cinna corruptis primo centu- 4
rionibus ac tribunis, mox etiam spe largitionis militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. Is cum universus in verba eius iurasset, retinens insignia consulatus patriae bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium, e quorum delectu trecentas amplius cohortis conscripserat ac triginta legionum instar impleverat. Opus erat partibus auctori- 5
tate, gratia; cuius augendae C. Marium cum filio de exilio revocavit, quique cum iis pulsi erant.

interpungitur: *opus erat partibus auctoritate, gratia cuius augendae C. Mar.* Amerbachius pro *augendae* exhibens *augenda,* nullam plane habet interpunctionem, quam editores multi Acidalio auctore sic instituerunt: *opus erat partibus, auctoritate, gratia; cuius augendae* etc. Ruhnkenius primus vidit sic interpungendum esse, ut fecimus, ac *partibus* tertio casu intelligendum esse de *factione Cinnae,* quae auctoritate et gratia indigebat. Utrumque autem, ut Haasius bene monuit in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 443, et in Mario eiusque filio inerat, et ipsis revocandis parabatur, unde patet male Orellium *gratia* ut glossam eiecisse, quod factum iam vituperavimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 94. De duobus substantivis sine copula positis vide quae diximus ad Sall. Cat. c. XLIII, 2. p. 199. et ad Iug. c. XX, 8. p. 130., unde intelliges male Froehlichium in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 67. p. 560. coniecisse *opus erat partibus auctoritas et gratia.* cf. infra II, 100, 3. Caussalem potestatem genitivorum *cuius augendae* abunde illustravimus ad Sall. Cat. c. VI, 7. p. 36.; quam non assecutus Laurentius in Loc. Vell. p. 136. coniecit *cuius augendae causa Marium.* Immerito etiam Zumptius Gramm. Lat. c. 86, 6. §. 764. p. 620. ed. VIII. dubitat meliusne esset *cui augendae,* in quod iam inciderat Boxhornius.

pulsi erant] Ed. Basil. scripsit *pulsi fuerant.*

1 XXI. Dum bellum autem infert patriae Cinna, Cn. Pompeius, Magni pater, cuius praeclara opera bello Marsico, praecipue circa Picenum agrum, ut praescripsimus, usa erat respublica, quique Asculum ceperat, (circa quam urbem, cum in multis aliis regionibus exercitus dispersi forent, quinque et septuaginta milia civium Romanorum, amplius sexaginta
2 milia Italicorum una die conflixerant,) frustratus spe continuandi consulatus ita se dubium mediumque partibus praestitit, ut omnia ex proprio usu ageret, temporibusque insidiari videretur, et huc atque illuc,

XXI, 1. *ut praescripsimus*] Ruhnkenius scripsit *ut praediximus*, omnibus fere editoribus probantibus. Sed nulla plane caussa intelligitur, cur *praescribere* non eodem modo, ut *praedicere* usurpari possit, neque obstare ei rei Velleii consuetudinem, qui saepisse utatur *praedicendi* verbo, *praescribendi* autem nisi hoc loco non usus sit, abunde patebit ex iis, quae ad II, 15, 3. disputavimus. Krausius verba *ut praescripsimus* pro glossemate habet, quia supra nihil de rebus Pompeii in *agro Piceno* gestis memoratum fuerit. Sed *ut praescripsimus* pertinet ad verba *bello Marsico*, de quo dixit auctor II, 15, 3. II, 16, 4. — Huthius in Quaestt. critt. p. 28. coniecit: *ut praeter ipsum;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 147. *ut supra scripsimus.*

amplius] Bothius necessarium putavit *et amplius.*

§. 2. *consulatus ita se*] Amerb. *COS. sulta se.*

praestitit, ut omnia] Amerb. *praestitit omnia.*

ageret] Vossius maluit *agere*, non assecutus quantum intersit inter *egit*, et *visus est agere.* — Bothius non solum *agere*, sed etiam *deflectere* scripsit.

affuisset] Aldus Nepos coniecit *affulsisset*, quod editores paene omnes cupidius arripuerunt. Nam licet saepisse ita locuti sint Latini, nulla tamen caussa est, cur vulgata ferri nequeat; non agitur enim de elegantia, sed de analogia, quam nemo non

unde spes maior affuisset potentiae, se exercitumque deflecteret; sed ad ultimum magno atrocique proelio 3
cum Cinna conflixit. Cuius commissi patratique sub ipsis moenibus oculisque urbis Romanae pugnantibus spectantibusque quam fuerit eventus exitiabilis, vix verbis exprimi potest. Post hoc, cum utrumque 4
exercitum, velut parum bello exhaustum, laceraret pestilentia, Cn. Pompeius decessit. Cuius interitus voluptas amissorum aut gladio aut morbo civium paene damno repensata est, populusque Romanus quam vivo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu 5

agnoscet, qui cognoverit quae germanicus Forcelliniani Lexici editor Tom. I. p. 75., huius quoque loci memor, contulit. Vulgatam defendit etiam Laurentius in Loc. Vell. p. 136.; cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 94.

potentiae, se] Amerb. *potentia esse.*

§. 3. *oculisque*] Ed. pr. et Amerb. *sociisque.* Ingeniosa est ac verissima Lipsii correctio *oculisque*, Dukero quoque ad Flor. II, 15, 7. et Drakenborchio ad Liv. IV, 28, 1. probata. Corruptelae fontem fuisse patet scribendi compendium *oclis*, *l* littera in *i* depravata, et *s* ex praecedente voce adhaerente. Sed longe certissimum veritatis argumentum cernitur in verbo *spectantibusque*, quod ut est absurdissimum si praecedit *sociis*, ita egregie convenit voci *oculis*. Praeterea frequenter ita loqui scriptores latinos iam a prioribus interpretibus observatum est, coll. infra II, 79, 4. *Gravis sub ipsius Caesaris oculis accepta clades.* II, 84, 3. *In ore atque oculis Antonianae classis Leucas expugnata.* Cic. de Finn. I, 10, 35. Virg. Aen. I, 95. Gruterus coniecit: *sub ipsis moenibus, id est oculis urbis Romae, pugnantibus;* — Vossius *moenibus focisque;* — Boxhornius *sub ipsis moenibus, sociis quoque urbis Romanae pugnantibus spectantibusque;* — Heinsius *sub ipsis moenibus fossisque;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 457. *sub ipsis moenibus portisque urbis.*

vix verbis] Amerb. *vix bis.*

duae, seu tres Pompeiorum fuere familiae, primus eius nominis ante annos fere centum sexaginta septem
6 Q. Pompeius cum Cn. Servilio consul fuit. Cinna et Marius haud incruentis utrinque certaminibus editis urbem occupaverunt; sed prior ingressus Cinna de recipiendo Mario legem tulit.

§. 5. *seu tres*] Amerb. *se ut res.* — Verba *Seu duae — consul fuit* Cludius, tanquam interpolatoris additamentum, quo narratio intempestive interrumpatur, temere uncinis inclusit. Bothius vero eo imprudentiae processit, ut adeo sequentem periodum eandem ob caussam damnaret, uncinos verbis *seu duae — legem tulit* apponens.

annos fere centum sexaginta septem] Ed. pr. *annos fere CLXVIII;* — Burerius et Amerb. *annos fere CLXVII,* ut edidimus. Nam Q. Pompeii consulatus secundum Fastos coss. capitt. in annum u. c. 612 incidit; quo numero ab 781 dempto, quamquam relinquitur 169, tamen nihil mutandum videtur. Nam primum Velleius in annorum computatione non admodum accuratus est, ac saepe uno aut duobus annis fluctuat, id quod hoc quoque loco fieri iure coniicias ex *fere* voce; tum non liquet utrum auctor usque ad ipsum Vinicii consulatum, quod alias facit, numeret, an, excluso eo, annum quo scripsit, i. e. 780, terminum supputandi numeri fecerit; v. Prolegg. c. II. p. XLVI. Quod si statuas, unius tantum anni discrepantia habetur; quae ipsa evanesceret, si liceret numerum CLXVIII a Rhenano expressum veriorem putare eo, quem Burerius et Amerb. legere sibi visi sunt. His ita comparatis levius videtur discrimen, quam quod ullam mutationem aut flagitet, aut commendet. — Krausius, qui accurate CLXX scribendum fuisse censet, nihilominus in vulgata acquiescendum iudicat. Laurentius in Fastt. coss. capitt. p. 79. coniecit CLXXII, quem secutus est Orellius.

Q. Pompeius] Ed. pr. et Amerb. *quam Pompeius.* Correxit Ed. Basil.

XXII, 1. *C. Marius*] Ed pr. *CN. Marius*; Amerb. *C. Marius,* recte quidem, sed fortasse ex coniectura.

§. 2. *licentia gladiorum*] Ita Ed. pr. et Amerb. — Burerius *gladiorum* omisit; quo non probari huius vocis in cod. Murbac. defectum luculenter demonstravit Laurentius in Locis

XXII. Mox C. Marius pestifero civibus suis 1
reditu intravit moenia. Nihil illa victoria fuisset cru-
delius, nisi mox Sullana esset secuta; neque licentia 2
gladiorum in mediocris saevitum, sed excelsissimi
quoque atque eminentissimi civitatis viri variis sup-
pliciorum generibus affecti. In iis consul Octavius,

Vell. p. 120 sq. Nam Burerii annotatio non spectavit ad hoc vocabulum, sed unice ad corruptam vocem *immediocri;* quo factum est, ut ille brevitatis caussa *gladiorum* non transcriberet. Sed eo deceptus omissit Ed. Basil., aliique. — Cludius ante *licentia* excidisse putat *enim.*

in mediocris] Ed. pr. *in mediocreis*: Burer. *immediocri;* Amerb. *in mediocri.* Recte Acidalius emendavit *in mediocris;* nam error natus est ex illo scribendi compendio, quo littera praecedentis vocabuli finalis eademque sequentis initialis semel tantum exarari solebat, de qua scribarum consuetudine cf. Laurentium in Loc. Vellei. p. 26. et, quos ibi laudat, Ebertum De noscendis codd. manuscriptis, Vol. I. p. 47 sq. ac Pertzii Iter Ital. p. 56 et 108. — Gruterus *immediocri* defendit, pro simplici *mediocris* voce positum dicens, praefixa *in* particula intensiva; — Popma coniecit *neque licentia in mediocria saevitum;* — Heinsius *neque licentiae in mediocria saevitum.*

sed excelsissimi quoque atque eminentissimi civitatis viri] Ed. pr. et Amerb. *sed excelsissimae quoque atque eminentissimae civ. viri,* quae corruptela ex eo orta est, quod scriba voces compendio scriptas, perversa constructione inita, ad falsum nomen retulit ac falso solvit. v. Prolegg. c. III. p. CV. Veram scripturam feliciter restituit Heinsius, recte retinens *quoque,* quod alii perperam in *quique* mutarunt, non reputantes superlativum masculinorum et femininorum a probatis scriptoribus nunquam plurali numero cum *quisque* pronomine iungi, quod praeter Krausium ad h. l. luculenter exposuit Haasius ad Reisigii Gramm. Lat. §. 204. not. 362. p. 351 sq. Si quos vero offendit enunciationum compositio per *non — sed quoque* facta, non attenderunt ad propriam eius vim. Nam ut particulis *non modo — sed etiam* orationis membra pari et aequali comprehenduntur modo, *non — sed* autem negans alterum opponitur aienti alteri, ab eoque excluditur (v. ad II, 126, 1.), ita omisso *modo* vel *so-*

vir lenissimi animi, iussu Cinnae interfectus est; Merula autem, qui se sub adventum Cinnae consulatu abdicaverat, incisis venis superfusoque altaribus sanguine, quos saepe pro salute reipublicae flamen dialis precatus erat deos, eos in exsecrationem Cinnae partiumque eius tum precatus, optime de republica
3 meritum spiritum reddidit. M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiae, gladiis militum, quos ipsos

lum in priore membro, sequente *quoque* vel *etiam* in posteriore, non plane et per se negatur prius enunciatum, sed ita tantum, ut significetur, *quia res eo contenta per se intelligatur, non multum ei tribui,* illud autem, quod gravius est et rem potiorem continet, *leviori addatur et ut cumulus adiiciatur.* cf. Cic. Acadd. II, 2, 7. *Qui mihi videntur non vivis* (quod non est mirum), *sed etiam mortuis invidere.* Id. in Verr. IV, 61, 136. *Verebar, ne mulierum formosarum gratiâ, virorumque, quibuscum illae nuptae erant, nimia in istum non lenitudine* (quae in talibus per se intelligitur), *sed etiam liberalitate oppugnarer.* Liv. XXVIII, 11, 14. *Consules in saltu angusto turbati sunt, ita ut non praeda* (quod accidisse facile intelligitur), *sed armati quoque in periculo fuerint.* Flor. II, 2, 20. *Nec cum hominibus* (quod nihil habet insoliti), *sed cum monstris quoque dimicatum est.* Nostri igitur loci sensus est: *non in mediocris saevitum* (id quod vix memoratu dignum), *sed excelsissimi quoque viri suppliciis affecti.* — Ed. Basil. coniecit *sed excelsissimi quique atque eminentissimi civ. viri;* — Acidalius *sed excelsissimi quique eminentissimique civ. viri;* — Popma *sed excelsissimi quique et eminentissimi civ. viri;* — Puteanus *sed excelsissimae quoque atque eminentissimae dignitatis viri;* — Vossius *scd excelsissimi quique atque eminentissimae dignitatis viri;* — Haasius ad Reisigii Gramm. Lat. l. l. *sed excelsissimae quoque atque eminentissimae claritatis viri.*

consulatu abdicaverat] Ed. pr. et Amerb. *COS. abdicaverat*, ex quo Lipsius fecit *consulis abdic.* multum defendente Burmanno. Sed Ed. Basil. recte vidit *COS.* compendium esse vocis *consulatu;* cf. ad II, 8, 2.

facundia sua moratus erat, iussu Mari Cinnaeque confossus est. Q. Catulus, et aliarum virtutum et belli 4
Cimbrici gloria, quae illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, conclusit se loco nuper calce harenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant praeci- 5

flamen dialis] Haec verba Bergkius delenda censet, tanquam ex II, 20, 3. a glossatore petita.

deos, eos] Herelius in libello qui inscribitur Kritische Beobacht. üb. den Vell. p. 13. *eos* deleri vult, ob ingratum sonum! Krausius eadem de caussa malit *deos* deleri!

partiumque eius tum precatus] Herelius l. l. p. 12. coniecit *partiumque extremum precatus.* Krausius *eius* ex margine irrepsisse putat, ac praeterea, ne idem vocabulum bis legatur, pro *precatus* scribi vult *imprecatus*, syllabam *im* praegressa *m* littera absorptam ratus. v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

meritum spiritum reddidit] Bothius, ut ὁμοιοτέλευτον syllabarum *itum* tolleretur, verbis transpositis scripsit *meritum reddidit spiritum*!

§. 3. *princeps civitatis*] Bothius scripsit *princ. civilitatis.*

quos ipsos] Ursinus auctorem emendasse sibi visus est scribendo *quos ipse.*

§. 4. *perpolito*] Lipsius coniecit *perlito*; — Burmannus vel hoc ipsum, vel *praelito* scribendum censet. Sed verissime Ruhnkenius: *polire*, inquit, non minus proprie de opere albario vel tectorio dicitur, quam *perlinere*; Varro apud Non. Marcell. I, 339. *Hic in coenaculo polito recipiuntur.* Id. de R. R. III, 2, 9. *Villa — quae est polita opere tectorio eleganter.* Columella VIII, 3. *Aviaria intrinsecus et extrinsecus poliantur opere tectorio.* Id. VIII, 8. *Ipsae columbarum cellae poliri debent albo tectorio. Locus perpolitus* autem non est is, cuius politura ad finem perducta et *iam dudum absoluta est*, ut Burmannus opinabatur, sed *ubique et per omnes partes politus*, quae res calcis vim pestiferam auxit.

magis voto] Heinsius excidisse putat *suo* ante *voto*, hau-

pitia in republica, nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoque accessit, ut saevitiae causam avaritia praeberet, et modus culpae ex pecuniae modo constitueretur, et qui fuisset locuples, fieret inde nocens, sui quisque periculi merces foret, nec quicquam videretur turpe, quod esset quaestuosum.

1 XXIII. Secundum deinde consulatum Cinna, et septimum Marius in priorum dedecus iniit. Cuius

stum scilicet litteris *s vo*, idque persuasit Orellio. Sed vulgatam sinceram esse demonstravimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 94 sq. Quippe non *ipse* cupivit Catulus mori, sed *inimici* cupiebant vel maxime, neque tamen, voluntaria eius morte praeventi, cruciatibus, quos ei destinaverant, eum poterant afficere, ut Florus quoque testatur III, 21, 15. *Catulus ludibrio hostium se exemit.* Quare *voto* oppositum *arbitrio* pariter cum hac voce pendet ex genitivo *inimicorum.*

§. 5. *praeberet, et modus — quod esset quaestuosum*] Totum hunc locum Bothius sic scripsit: *praeberet, modus culpae ex pecuniae constitueretur,* [sui quisque periculi merces foret] *nec quidquam videretur turpe, quod esset quaestuosum.*

et qui fuisset] Grunerus coniecit *ut qui fuisset,* quo sententia perversa infertur; nam sequentia non consectaria sunt ex praecedentibus, sed eandem sententiam aliis verbis repetunt. v. Prolegg. c. III. p. LV.

inde nocens] Ed. pr. et Amerb. *innocens,* pro quo Ed. Basil. scripsit *nocens,* ad sensum quidem recte, sed neglecta depravationis origine; nam sine ulla caussa librarium adiecisse ineptam negandi syllabam non est credibile. Verissime igitur Burmannus coniecit istud *in* nihil aliud esse, quam *inde* particulae compendium, temere cum sequenti voce conflatum. cf. Drakenborch. ad Liv. X, 20, 6. Hand. de Particc. Latt. Vol. III p. 371. *Inde* h. l. caussae potestatem habere non est quod moneatur, v. Hand. l. l. p. 364. §. 13.; aliquanto autem meliorem fieri orationem *causae* significatione addita, qua quis tunc fieret

initio morbo oppressus decessit, vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus quietisque impatientissi- 2
mus. In huius locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimae legis auctor, qua creditoribus quadrantem solvi iusserat; cuius facti merita eum poena intra biennium consecuta est. Dominante in Italia Cinna 3
maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit. Sulla interim cum Mithridatis praefectis circa Athenas Boeotiamque et Macedoniam ita dimicavit, ut et Athenas reciperet,

nocens, per se intelligitur. Hottingerus in Mus. Turic. Vol. I. P. II. vulgatae verba *qui fuisset locuples, fieret nocens* ut glossema delenda censet, haud improbante Krausio in Addend. et Corrigg. p. XLIX.

sui quisque periculi merces foret] Acidalius, ut oratio melius vincta procederet, coniecit *suique quisque* etc.: idem quaerens Lipsius *foret* delevit, probante Ruhnkenio et Krausio. Sed Velleius non tam id egit, ut periodum strueret rotundam, quam ut eandem sententiam variaret novisque acuminibus illustraret, cuius moris Velleiani ignoratio quantopere offecerit editoribus ingeniose exposuit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 202.

XXIII. 1. *et septimum*] Heinsius *et* deleri vult.

Cuius initio] Cludius pro suo captu convenientius putat sic scribi: *iniit, cuius tamen initio.*

§. 2. *iusserat*] Bothius, plusquamperfectum soloecum iudicans, scripsit *iusserit*, quod ferri posset, si Velleius pro *qua* dixisset *qui*. Plusquamperfecto continetur tacita comparatio latae legis cum poena istam legem secuta; utrumque praeterito tempore factum, sed illud alterum prius.

§. 3. *ac deinde post*] Cludius iunctis *deinde post* particulis offensus *deinde* delevit. Usum loquendi, quem ille non intellexit, bene illustravit Handius de Particc. Latt. Vol. II. p. 242. §. 4. cf. Boetticheri Lex. Tacit. Proleg. p. XCIV. et v. infra ad II, 117, 1.

et Macedoniam] Quoniam Sulla cum exercitu Mithridatis in Vellei. Paterc.

et plurimo circa multiplicis Piraeei portus munitiones labore expleto amplius ducenta milia hostium interficeret, nec minus multa caperet. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenae oppugnatae a Sulla sunt, imputat Atheniensibus, nimirum veri vetustatisque ignarus est. Adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper et in omni re, quicquid sincera fide gereretur, id Romani Attica fieri praedicarent. Ceterum tum oppressi Mithridatis armis homines miserrimae condicionis, cum ab inimi-

Macedonia non dimicavit, sed Macedonibus, qui defecerant, in fidem reductis (cf. Appian. Mithrid. c. XLI.) exercitum, Asiam petiturus, modo transduxit, (v. Plutarch. Sull. c. XXIII.), ac, dum de pace agitur, finitimas gentes, Macedoniam infestantes, repulit ac devicit (v. Appian. l. l. c. LVI.), Krausius verba *et Macedoniam*, tanquam margini ascripta, expungenda censet. Sed vel oblitus est, vel non assecutus, in Velleio talem, qualem ipse requirit, rerum narrandarum ἀχρίβειαν frustra quaeri, nihilque esse, quod glossam vel librarii interpolationem arguat.

Piraeei] Ed. pr. et Amerb. *Pirei.* Correxit Ruhnken.

§. 4. *nimirum*] Krausius nulla de caussa coniicit *is nimirum*, quasi ad inferendam vocem sufficeret, eam praegressa syllaba videri posse absorptam esse. Nihilominus Cludius recepit. Boxhornius maluit *nimium;* — Heinsius *nae nimium;* — Cludius praeterea etiam suspicatur *nimis ille*, quae omnia incredibiliter a vero discrepant. *Nimirum* est *haud dubie, profecto;* cf. Horat. Epp. I, 14, 21. *Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.* cf. Donat. ad Terent. Eun. III, 3, 2. Beier. ad Cic. de Off. II, 20, 71. p. 136. Kühner. ad Tusc. I, 22, 52. p. 100. ed. II. Grysar. Art. lat. scrib. p. 554.

§. 5. *tum oppressi*] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. est *cum oppressi.*

necessitati servientes] Amerb. *necessitate servientis.*

§. 6. *in Asiam*] Ed. pr. et Amerb. *in Asia.* Correxit Ed. Basil.

parentem ad omnia] Ed. pr. et Amerb. *parentem ante*

cis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, et animos extra moenia, corpora, necessitati servientes, intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam Sulla 6 parentem ad omnia supplicemque Mithridatem invenit. Quem multatum pecunia ac parte navium Asia omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coëgit, captivos recepit, in perfugas noxiosque animadvertit, paternis id est Ponticis finibus contentum esse iussit.

XXIV. C. Flavius Fimbria, qui praefectus 1

omnia, quam scripturam Vossius ad h. l., Burmannus in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 369. et Wopk. ibid. Vol. IX. p. 250. falso, quamquam varie, tuentur. Feliciter mendum correxit Ruhnkenius pro *ante* scribens *ad*, quae praepositiones etiam apud Liv. XXXV, 32, 5. confusae sunt. *Ad omnia* autem idem est, quod *in omnibus*, vel *respectu omnium rerum;* cf. Sall. Fragm. Hist. II, 26. ed. Gerl. apud Donat. ad Terent. Phorm. I, 3, 18. *Modestus ad omnia alia nisi ad dominationem.* Liv. IV, 42, 9. *Hortensii placabile ad iustas preces ingenium.* Plura vide apud Handium de Particc. Latt. Vol. I. p. 106 sq. — Acidalius coniecit *par. in omnia;* — Heinsius *terrentem ante omnia supplicem Mithridatem;* — Bothius *parentem arte omnia.*

multatum] Ed. pr. et Amerb. *multa tum.* Correxit Ed. Basil. v. Prolegg. c. III. p. CII.

in perfugas] Ed. pr. et Amerb. *in perfugam*, quod Hottingerus in Mus. Turic. Vol. I. P. II. tuetur, inani ratione usus, dispares numeros eleganter ab optimis scriptoribus componi. Verissime Ed. Basil. scripsit *perfugas.* Nihil autem frequentius in cod. Murb., quam litterarum *m* et *s* in fine vocabulorum confusio. v. Prolegg. c. III. p. XCV.

contentum esse] Amerb. inverso ordine *esse contentum.*

XXIV, 1. *C. Flavius Fimbria*] Herelius p. 563. coniecit *at C. Flavius Fimbria*, quia Velleius transitum ad rem novam saepe *at* particula faciat, eaque vox praegressis litteris —*it* facile absorberi potuerit. His rationibus Krausius et Cludius obsecuti

equitum ante adventum Sullae Valerium Flaccum consularem virum interfecerat, exercituque occupato imperator appellatus forti Mithridaten pepulerat proelio, sub adventu Sullae se ipse interemit, adulescens,
2 quae pessime ausus erat, fortiter exsecutus. Eodem anno P. Laenas tribunus plebis Sext. Lucilium, qui in priore anno tribunus plebis fuerat, saxo Tarpeio

sunt. Sed quamquam concedi potest, melius ista particu'a necti orationem, tamen re vera ita scripsisse Velleium, aut scribere debuisse probari non potest.

forti] Ed. pr. et Amerb. *fonte.* Rhenanus coniecit *forte,* quod Vossius explicat *casu magis, quam virtute;* sed aperte repugnat Appian. Mithrid. c. LII. qui de Fimbria: *καὶ μάχας τινὰς*, inquit, *οὐκ ἀγεννῶς ἠγωνίσατο τῷ παιδὶ τοῦ Μιθριδάτου.* Optime correxit Puteanus *forti*, quae vox neque apicibus multum a scriptura cod. Murb. discrepat, et sensu valde commendatur; nam *forte proelium* est quo *fortiter pugnatur.* Valer. Max. V, 3, 2. *Quum C. Gracchi aciem pia et forti pugna fugasset.* Valer. Flacc. IV, 193. *Omnibus idem animus forti decernere pugna.* Vell. II, 112, 1. *Forte conatu opus mandandum est memoriae.* Puteani coniecturam defendit etiam Wopkens. in Misc. Obss. Vol. IX. p. 251. Halmius in Annall. crit. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 42. p. 330. coniecit *sponte,* quod foret sine iussu, contra ducis auctoritatem. Sed interfecto imperatore haec ipsa auctoritas nulla fuit, quam quis neque sequi, neque negligere posset.

Mithridaten] Ita Ed. pr., de qua forma v. ad II, 35, 1. Amerb. *Mithridatem.*

sub adventu] Ita Ed. pr. et Amerb. Sed edd. fere omnes habent *sub adventum,* cuius mutationis nullam caussam esse ostendimus ad I, 17, 1.

pessime] Amerb. *pessima.*

§. 2. *P. Laenas*] Cum *Laenas* cognomen sit Popilliorum, Aldus Nepos coniecit *Popillius Laenas;* — Vossius vero *P. Popillius Laenas,* ut absorptum fuerit nomen gentis a *P.* praecedente. Sed Popillii facile ex cognomine agnoscuntur. Krausius.

in priore anno] Ed. Basil. delevit *in,* Ruhnkenio, Krausio

deiecit, et cum collegae eius, quibus diem dixerat, metu ad Sullam perfugissent, aqua ignique iis interdixit. Tum Sulla compositis transmarinis rebus, cum 3
ad eum primum omnium Romanorum legati Parthorum venissent, et in iis quidam magi ex notis corporis respondissent coelestem eius vitam et memoriam futuram, revectus in Italiam haud plura quam triginta

et Orellio assentientibus. Sed quamquam praepositio in tempore notando plerumque omittitur, tamen sat magnus exemplorum numerus docet sensu fere eodem, nisi quod diuturnitas paullo definitius designatur, *in* ablativo addi; cf. Handium de Particc. Latt. Vol. III. p. 280 sq.

metu] Ed. pr. et Amerb. *motu*, quod Burerius certissima coniectura correxit. Ursinius maluit *noctu*.

perfugissent] Ed. pr. et Amerb. *profugissent*. Id falsum esse, scribendumque *perfug.* vidit Baiterus apud Orellium; cf. quae supra diximus ad I, 9, 4.

§. 3. *cum ad eum primum*] Krausius in Add. et Corrig. p. XLIX. suspicatur excidisse *olim* ante *primum*. Non liquet cui bono.

coelestem eius vitam et memoriam] Ita Ed. pr.; at Amerb. primo habuit *coel. eius in vita inq. memoriam*, tum *inq.* deleto *m* voci *vita* superscripsit. Eam ob caussam Orellius scripsit *coel. eius vitam atque memoriam;* — Laurentius autem, ambigens quid esset *coelestis vita*, in Locis Vell. p. 137. coniecit *coelestem eius invictamque memoriam;* — Lipsius *celebrem eius vitam et memoriam*. Sed vulgata, tacito Burerii consensu cum Rhenano confirmata, optime se habet, quam Krausius recte sic explicavit: „Divinam atque beatissimam fore eius vitam, et memoriam post obitum eximiam atque gloriosissimam. Plutarch. vit. Sull. c. XXXVII. ὡς ἀναγκαῖον εἴη τοῦτον τὸν ἄνδρα μέγιστον γενέσθαι. Vocabulum *coelestis*, pro quo Cicero et alii *divinus* dicunt, Velleio in personis et rebus eximiis praedicandis admodum solenne est, velut II, 60, 2; II, 66, 3; II, 94, 1; II, 104, 3. *Vita* autem illa *coelestis*, quam alii *felicitatem* seu *fortunam* Sullae vocant, continetur in summa rerum, qua devictis adversariis potitus est. Tum ipse *Felicis* nomen assumpsit; v. infra II, 27, 5. Plut. Sall. c. XXXIV."

revectus] Acidalius nugatur coniiciens *reventus*.

armatorum milia adversus ducenta milia amplius ho-
4 stium exposuit Brundusi. Vix quicquam in Sullae operibus clarius duxerim, quam quod, cum per triennium Cinnanae Marianaeque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit, nec quod erat in manibus omisit, existimavitque ante frangendum hostem, quam ulciscendum civem, repulsoque externo metu, ubi quod alienum esset vicisset, superaret quod erat domesticum. Ante ad-
5 ventum L. Sullae Cinna seditione orta ab exercitu interemptus, vir dignior qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum; de quo vere dici

adversum] Amerb. *adversus.*

Brundusi] Ed. pr. et Amerb. *Brundusii;* — Ed. Basil. *Brudisii.*

§. 4. *repulsoque externo metu*] Vossius coniecit *repulso quo externo metu*, ita ut *quo* particula finalis sit, cui rei tum eius collocatio, tum ceteri ablativi repugnant.

superaret] Ursinus coniecit *superare*, quod placuit etiam Oudendorpio ad Apulei. Met. I. p. 72; Ruhnkenius maluit *superandum;* — Ed. Basil. *superavit;* — Laurentius in Loc. Vell. p. 137. *superaturus erat;* — Handius ad Wopkensii Lectt. Tull. I, 14. p. 111. (Ed. Amst. p. 81.) *ut superaret.* Sed quamquam vulgata lectio inconcinnitate laborat, tamen nihil mutandum videtur, quum dubitari non possit, quin Velleius, dum more suo eandem rem pluribus modis efferre studet (v. Prolegg. c. II. p. LV sqq.), in anacoluthum inciderit. Nimirum non scripsit revera *ut superaret*, quemadmodum Handius suspicatur, sed longiore oratione implicitus structurae inceptae rationem non tenuit, ab eaque ita deflexit, quasi *ut* particulam supra posuisset hac fere sententia: *nihil clarius duxerim, quam quod — id egit, ut, repulso externo metu, ubi quod alienum esset vicisset, superaret quod erat domesticum.*

§. 5. *ausum eum*] Amerb. *ausus eum*, unde Orellius coniecit a Velleio scriptum fuisse *ausum esse eum.* Sed non

potest, ausum eum, quae nemo auderet bonus, perfecisse, quae a nullo nisi fortissimo perfici possent, et fuisse eum in consultando temerarium, in exsequendo virum. Carbo nullo suffecto collega solus toto anno consul fuit.

XXV. Putares Sullam venisse in Italiam non 1
belli vindicem, sed pacis auctorem; tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, urbium perduxit in Campaniam, tentavitque iustis legibus et aequis condicionibus bellum componere; sed iis, quibus et pessima et immodica cupiditas erat, non poterat pax

est, cur Rhenano atque Burerio fidem non habeamus. Praeterea *esse* in codicibus non compendio *s* litterae scribitur; saepissime autem in cod. Amerb. *s* et *m* litterae finales confusae sunt; v. ad II, 23, 6.

perfecisse] Amerb. *perfecisset.*

nullo nisi] Amerb. *nullo si.*

possent] Amerb. *posset.*

et fuisse eum] Hottingerus in Mus. Tur. Vol. I. Tom. 2. *eum*, utpote natum ex ultima *fuisse* verbi littera et *in* sequente, delendum censet, non dissentiente Krausio in Addend. et Corrig. p. XLIX.

in exsequendo virum] Marklandus ad Statii Silv. V, 1, 63. *temerarium et virum* minus commode sibi opponi putans coniecit *in exsequendo navum.* Sed sua scripturae constat integritas. *Vir* ponitur pro *forti*, ut centies; Cic. Phil. II, 14, 34. *Virum res illa quaerebat. Fortis* autem saepe opponitur *temerario*, ut apud Auctor. ad Herenn. IV, 25, 35. Quintil. X, 2, 16; XII, 10, 80. Ruhnk.

XXV, 1. *tentavitque*] Amerb. *temptavitque.*

et pessima] Ruhnkenius, seductus nonnullis locis Sallustii, quibus *corrupta res familiaris* et *rerum novarum studium* simul commemorantur, coniecit ante *pessima* excidisse *res* vocem, interceptam *pes* syllaba. Quod quam falsum sit et nos docuimus

2 placere. Crescebat interim in dies Sullae exercitus confluentibus ad eum optimo quoque et sanissimo. Felici deinde circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque consules superat, quorum Norbanus acie victus, Scipio, ab exercitu suo desertus ac proditus,

in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 10. p. 95., et Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 443.; nulla enim caussa est, cur Sullae adversariorum cupiditas non simul et pessima et immodica dici possit. Ruhnkenio tamen temere assentitur Wyttenbachius in Bibl. crit. Vol. I, 4. p. 58. et Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 535.

§. 2. *et sanissimo*] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. deest *et*, typographi errore. — Pro *sanissimo* Rhenanus coniecit *sanctissimo*. Sed *sani* dicuntur *meliorum partium cives*, et seditiosis opponuntur; cf. Cic. p. Sext. c. 45, 97. *Qui et integri sunt, et sani.* Liv. VIII, 27, 9. *Tumultu etiam sanos consternante animos.* v. Gronov. ad Gell. II, 12. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. XII, 10, 1. Ruhnk. — Boxhornius maluit *sapientissimo.*

Felici deinde] Ita Burer.; Ed. pr. *denique;* Amerb. *dein denique*, sed *dein* deletum, unde patet in cod. Murb. particulam ita fuisse scriptam, ut ambiguam haberet lectionem. Laurentius in Iahnii Nov. Ann. Phil. et Paed. Suppl. Vol. VI, 1. p. 16. *denique* praefert.

circa Capuam eventu] Amerb. *eventu circa Capuam eventu.* Cum Ed. pr. consentit Burerius.

Scipionem] Aldus Nepos, non constat qua de caussa, legi vult *Caepionem.*

Norbanumque — Norbanus] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. est *Narbonumque — Narbonus.*

§. 3. *dissimilis fuit bellator ac victor*] Hottingerus in Mus. Tur. Vol. I. Tom. 2. commate interpungendum censet post *fuit*, probante Krausio in Addend. et Corrig. p. XLIX.

dum vincit acie, iustissimo lenior] Ed. pr. et Amerb. *dum vincit, ac iustissimo lenior*, quem locum palmari et certissima coniectura persanavit Burmannus inepta *ac* particula in *acie* mutata. Error ortus est ex non intellecto scribendi compendio, siquidem ꝛe i. e. *acie* habitum est pro *ac* particula, cuius generis errores notavimus in Prolegg. c. III. p. XCIX. *Acie vincere*

inviolatus a Sulla dimissus est. Adeo enim Sulla 3
dissimilis fuit bellator ac victor, ut, dum vincit acie, iustissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior. Nam et consulem, ut praediximus, exarmatum, Quintumque Sertorium, pro quanti mox belli facem!

quam saepe dicatur, ita ut paene in formulam solennem abiisse videatur, ostendimus supra ad II, 11, 2. Magnopere autem errant, qui cum Krausio ad vim sententiae solum *vincere* verbum sufficere putant; nam ut laus clementiae ac lenitatis quam clarissime pateret, Velleius, pro more suo acumen quaerens, dicit ibi lenem fuisse Sullam, ubi etiam mitis ingenii homines exasperari solent, *in aciei caede ac strepitu*, quum victoriam parabat. — Krausius lacunam statuens sic scripsit: *dum vincit, *** ac iustissimo lenior; post victoriam* etc. — Ed. Basil. *ac*, quod est in Ed. pr., delevit; — Lipsius coniecit *dum vincit, iusto lenior;* vel etiam *mitissimo lenior;* — Grunerus *dum vinceret, iusto sane lenior;* — Laurentius Loc. Vell. p. 15. *dum vinceret, iustissimo lenior*; — Heinsius *dum vincit, placidissimo lenior;* — Censor in Bibl. Germ. univ. Tom. XLVIII. p. 546. *dum vincit alios* etc.; — Huthius in Quaestt. critt. p. 7. *dum vincit vel iustissimo lenior;* — Halmius apud Orellium *dum vincit ac bellat iustissimo lenior;* — Bothius *dum vicerat* etc.; — Bachius Animadverss. p. 9. *dum victurus erat.*

et consulem] Ed. pr. et Amerb. *ut COS.* — Pro *ut* scribendum esse *et* vidit iam Ed. Basil. cf. Prolegg. c. III. p. XCI. et infra ad II, 117, 2.

exarmatum, Quintumque Sertorium] Ed. pr. et Amerb. *exarmatumque Sertorium,* quam scripturam Huthius in Quaestt. critt. p. 8. falso defendit, perperam assentiente Orellio. Non enim *Sertorius exarmatus est* a Sulla, sed *Scipio*, ut modo dixit Velleius, *desertus ab suo exercitu;* cf. Plutarch. v. Sullae c. XXVIII. Appian. B. C. I, 85. p. 118. Schweigh. Epit. Liv. LXXXV. Proxime igitur ad verum accessit Ed. Basil., qui recte vidit *exarmatum* ad *consulem* pertinere, ceterum *que* depravatum censens ex *Quinti* nominis compendio. Persanavit autem locum Heinsius, sollerter assecutus *Q.*, i. e. *Quintum*, ante *que* excidisse, scriptumque fuisse *qque Sertorium*, ut apud Valer. Max. III, 7, 5. *Q. enim Metellum Q. que Pompeium.* Necessaria

et multos alios, potitus eorum, dimisit incolumis, credo, ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi
4 conspiceretur exemplum. Post victoriam, qua descen-

est enim *que* copula, quia Velleius bipartitam orationis divisionem per *et — et* particulas instituit, ita ut priori membro adiungendum sit *Q. que Sertorium*, quod sine copula fieri nequit; distinguit enim inter eos, quos Sulla dimisit, i. e. abire passus est *non captos*, in quibus fuere Scipio et Sertorius, et inter eos, quibus *captis* libertatem concessit. — Heinsii emendationem sequitur etiam Laurentius Loc. Vell. p. 15., quem laudavimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 122. Vossius coniecit *exarmatum, atque Sertorium;* — Cludius *exarmatum, et Q. Sertorium.*

pro quanti mox belli facem!] Aldus Nepos scripsit *propinquanti mox bello facem;* — Puteanus in Analectt. I, 3. coniecit *pro in quanti mox belli facem.*

§. 4. *Post victoriam*] Ed. pr. et Amerb. *posuit victoriam*, quod scite correxit Ed. Basil. Nam *posuit* eo ortum est, quod scriba *post* pro compendio habuit *posuit* verbi; v. Prolegg. c. III. p. C.

qua descendens montem Tifata] Ed. pr. Burer. et Amerb. *qua demendesmontem ti fata*, unde Ed. Basil. feliciter veram lectionem, in textu a nobis expressam, eruit; v. quae diximus in Zimmermanni Ann. Studd. antiq. a. 1840. No. 37. p. 305. Burerius coniecit: *posuit victor. m, qua demens de monte Tifata;* — Burmannus *qua tenentes montem Tifata Marium cum C. Norbano cos. fuderat Sulla;* — Laurentius Loc. Vell. p. 15. *qua defendens montem Tifata;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 4. *quod emensus montem Tifata;* — Ed. Bipont. *post victoriam, quam dimicando sub montem Tifata cum C. Norbano retulerat;* — Cludius .... *exemplum! et in deos reposuit victoriam; nam dimicans sub montem Tifata cum C. Norbano consule* (deletis verbis *concurrerat Sulla) grates Dianae ..... aquas enim* etc. — Ruhnkenius, ceterum emendationem Ed. Basil. amplectens, *qua* mutandum censet in *quia*, temere propterea laudatus a Wyttenbachio in Bibl. crit. Vol. I, 4. p. 56.; quippe non assecutus est, *qua*, quod perperam ad *victoriam* retulit, adverbium esse loci, significans *ea parte, qua*, sive *ibi, ubi;* cf. quae de eius usu diximus ad Sall. Iug. c. XVIII, 2. p. 108. et ad c.

dens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat, Sulla gratis Dianae, cuius numini regio illa sacrata est, solvit; aquas salubritate in medendisque

XXXVIII, 6. p. 221. Non melius Ruhnkenio Orellius, ut *qua* defenderet, verba *post victoriam, qua — concurrerat* dicta esse vult hac sententia, *post proelium secundum, quo concurrerat;* — Bothius scripsit *quoniam descendens monte Tifatis*, scilicet soloecum ratus *descendere* cum accusativo coniunctum. Sed quamquam insolitus est casus quartus, minime tamen rationi et analogiae repugnat. Non dissimile est enim accusativi exemplum, quod iam Ruhnkenius ex Sallustio attulit, qui auctore Arusiano Messo, Corp. Gramm. Lat. Vol. I. p. 223., in libro IV. Historr. dixit *exercitum dimisit, ut primum Alpes digressus est.* Neque multum discrepat quod apud Ciceronem legitur de Finn. II, 34, 112. *Quum Xerxes — mare ambulavisset, terram navigasset,* de qua structura egimus ad Sall. Cat. XX, 11. p. 105.

concurrerat, Sulla] In Ed. pr., quam pleraeque sequuntur, comma male est post *Sulla*. Primus Orellius vidit *Sullae* nomen non ad secundariam, sed ad primariam enunciationem pertinere.

gratis] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. est *gratus*. Scilicet Rhenanus, ex salebris codicis Murbac. se non expediens, verba sic construxit: *gratus Dianae, c. n. r. i. s. e., solvit aquas.* — Krausius scripsit *grateis*, Bothius *grates*.

numini] Ita Ed. pr. ex verissima, sed tacita Rhenani correctione; nam Burer. et Amerb. habent *nomini*, quod Vossius ac Bothius temere tuentur. De horum verborum confusione v. ad II, 124, 3.

sacrata est, solvit; aquas] Ita Amerb.; Ed. pr. habet *sacrata est, solvit aquas, salubritate* etc.

in medendisque corporibus] Ed. pr. et Amerb. non habent *in* praepositionem, quam in cod. Murbac. exstare testatur Burerius. Delendam censuerunt Ruhnkenius et Krausius, tanquam natam ex *m* littera, ut aliquoties factum; sed eam recte tuetur Handius de Particc. Lat. Vol. III. p. 276. §. 43., observans adiectivis, quae qualitatem designant, per *in* particulam adiungi eius rei nomen, in qua illa qualitas conspiciatur. Ne tamen offendas in *que* particula, qua deleta simplicior videri possit oratio sic instituta: *aquas salubritate in medendis corporibus nobilis*, tenendum est duplicem huius loci esse structuram, primo

corporibus nobilis agrosque omnis addixit deae. Huius gratae religionis memoriam et inscriptio templi

simplici ablativo, deinde *in* praepositione cum adiectivo *nobilis* coniuncta. *Salubritas* autem quum sit *egregia alicuius rei natura*, cf. Doederlini Synon. Lat. Vol. I. p. 32. §. 10., aquae *salubritate nobiles* dicuntur generatim ac per se; at *in medendis corporibus nobiles*, quatenus ista praestantia peculiariter in restituenda valetudine cernitur.

agrosque omnis] Aldus Nepos his verbis praemisit voces *ut potius*, quae sunt Burerii, lectionem codicis afferentis, non Velleii ipsius. Qui Aldi error rursus Popmam in errorem induxit, ut coniiceret *et portus agrosque omnes.*

addixit] Ed. pr. Burer. et Amerb. *adduxit*, quod Ed. Basil. verissime mutavit in *addixit;* nam *addicere*, vocabulum in auctionibus proprium, quum significet alicui aliquid possidendum tradere, facile transiit in potestatem donandi, vel vovendi aut dicandi. Apte Ruhnkenius haec contulit exempla, Iustin. XXII, 3, 4. ubi Siculi de Agathocle queruntur: *Nunc insuper civitates sociorum eidem titulo pacis addictas.* Valer. Max. VII, 7, 4. *Neque erubescis ei totum patrimonium addicere.* Inscript. Benevent. p. 7. *Deo aeterno pro restituta valetudine ex voto aediculam T. Antonius Felicianus dat; addicit et coniunctum fundum trium et tricenum iugerum cum oleto.*

memoriam] Ed. pr. et Amerb. *memoria.* Accusativum, qui pendet ex *testatur* verbo, restituit Lipsius.

affixa posti hodieque, et tabula] Ed. pr. et Amerb. *adfixa posti. hodieque tabula;* — Burerius *adfixa posti. hodieque crabula*, unde Ed. Basil. feliciter eruit veram lectionem, in textu a nobis expressam.

in area interna. Deinde consules Carbo] Ed. pr. *aerea intra aedem. COSS. Carbo;* — Amerb. *aerea inter edeinde Cos. Carbo*, sed voci *edeinde* deletae superscriptum *aedem inde;* — Burer. *aerea interea deinde Con. Carbo.* — Ed. Basil. coniecit *aerea intra aedem. Deinde Coss. Carbo*, quod Ruhnkenius, Krausius, Orellius, alii, receperunt, prorsus securi de eo, quid sit *tabula aerea.* Quae quum aperte distinguatur ab *inscriptione* tum vocabulo ipso, tum geminatâ *et*

affixa posti hodieque, et tabula testatur in area interna.

particulâ, ita ut nullo pacto possit rursus de *titulo* cogitari, vix aliud relinquitur, quam ut *tabula aerea* intelligatur *tabula anaglypha, ex aere fusa aut cusa, imaginem rei gestae sive pugnae exhibens.* Sed de eiusmodi tabulis *aereis* quae exstant usquam antiquitatis testimonia? Ne multa, inanis ac falsa est Ed. Basileensis coniectura, neque talis, in qua vel tuenda vel refellenda tempus consumas, quum locum felicissime sanaverit Laurentius, in Loc. Vell. p. 13 sqq. ex corrupta lectione eruens: *in area interna,* quo non solum id efficitur, ut ineptum *aerea* tollatur, sed etiam ut *tabula* commodissimum sensum habeat, locique diversi recte sibi opponantur. *Area* enim, id quod Laurentius bene ostendit, non solum *locum apertum ante aedes,* sed etiam *in mediis aedificiis* designat, tum profanis (cf. Fest. v. *atrium*, p. 12. ed. Lindem. Plin. Epp. II, 17, 4.), tum sacris (cf. Vitruv. III, 2, extr. I, 2, 5.); qui locus, templi porticibus undique clausus (v. Wachsmuthii Antiqq. Gr. Vol. II. P. II. p. 362.), neque diversus ab eo, quod Graeci τὸ ὕπαθρον dicunt (cf. Gothofred. ad Fest. v. *area*, p. 314. ed. Lind.), perspicuitatis caussa a Velleio *area interna* vocatur. In hac igitur *porticuum area* suspensa erat *tabula* sc. *picta,* oculis conspiciendum subiiciens, quod in inscriptione, posti affixa, verbis erat declaratum, neque dubium est, quin Sulla in ista tabula dicanda Graecorum morem imitatus sit; cf. Nep. Milt. c. VI, 3. et Wachsmuthii Antiqq. Graec. Vol. II. P. II. §. 133. p. 347. Iam, sensu loci constituto, intelligitur etiam, quantum a vero aberraverint, qui *aedem* vocem a Rhenano ex *edeinde* factam, probent, ac nihilominus etiam *deinde* initio capitis sequentis retineant. Quae particula cum et ad transitum necessaria, et Burerii Amerbachiique auctoritate certa sit, sequitur, ut *aedem* non possit a Velleio scriptum esse; qua voce falsa, falsum est etiam *intra.* Quam facile autem *interna. deinde* depravari potuerit in *interea. deinde* vel *inter. edeinde* in promptu est; nec minus facile intelligitur, eum, qui codicem Murbacensem scripsit, quum locum hunc in suo exemplo pessime exaratum inveniret, pinguique Minerva de singulis apicibus potius quam de integris vocibus coniecturam faceret, pro *iarea,* quod non intelligeret, *aerea* legendum putasse. Faehsius in Sylloge Lectt. coniecit *aerea integra. Deinde Cos. Carbo.*

1 XXVI. Deinde consules Carbo tertium et C. Marius, septiens consulis filius, annos natus viginti sex, vir animi magis quam ingeni paterni, multa

XXVI, 1. *Deinde consules*] Ed. pr. *aedem COSS.*; Burer. *deinde CON.*; Amerb. *edeinde COS.*, de quibus discrepantiis v. not. praecedentem. — Lipsius, quem Cludius sequitur, scripsit *inde coss.* — Burerius pro *CON.*, quod in cod. exstare dicit, vel pro *COSS.*, quod Rhenanus recte ex coniectura posuit, scribi vult *COS.*, vocem istam perperam ad solum Carbonis nomen trahens.

C. Marius, septiens consulis filius] Ita Ed. pr. Burer. et Amerb. — Puteanus coniecit *Marius, Marii, sept. cons. fil.*; — Ruhnkenius *C. Marius, C. Marii, sept. cons. fil.*, probantibus Krausio, Cludio, Kreyssigio. Sed vulgata est sanissima, ut ostendimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 135. Nam quum notissimum esset, C. Marium maiorem septies consulatum gessisse, sufficiebat Marium minorem dici *septies consulis filium*.

vir animi] In Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 136. coniecimus puncto post *sex* posito pro *vir*, quod natum videretur ex numeri VI signo, scribendum esse *Is animi* etc., quo sequentia, ut res postulat, ad solum Marium referrentur. Idem alii quaesiverunt aliter; Ruhnkenius enim pro *vir* scripsit *qui*; — Ed. Basil. *qui* inseruit ante *multa*; — Krausius, auctore Santenio apud Ruhnkenium, paulo infra scripsit *inferior nomine consul. Is apud*; — Orellius *inferior nomine suo. Is apud.* Sed locus emendatione non eget; quippe Velleius in *ἀναζολουθίαν* incidit, dum in Marii laudes ita discedit, ut oblitus de Carbone et Mario *consulibus* se dicere instituisse, extremam orationem ita componeret, quasi non nisi de altero ageretur.

ingeni paterni] Ed. pr. et Amerb. *aevi paterni.* Emendatio debetur Orellio, qui recte vidit ineptissimum esse, si lectores doceantur filium viginti sex annorum patris septuagenarii, ante quattuor annos mortui, *non fuisse aevi paterni.* Contra optimam et huic loco accommodatissimam laudem habent verba ex Orellii coniectura, quum Marius iunior dicatur *fortitudine* et virtute bellica patris similior fuisse, quam *atroci ac violento ingenio*; cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. 1837. No. 14. p. 124. Corruptelae origo in promptu est; nam in

fortiterque molitus neque usquam inferior nomine consulis, apud Sacriportum pulsus a Sulla acie, Praeneste, quod ante, natura munitum, praesidiis

cod. fuit quāmgeni; unde lineola neglecta et cauda *g* litterae obliterata facillime prodiit *quam aevi*, utriusque vocabuli ductibus iisdem. — Heinsius coniecit *fati paterni;* — Bothius *vir animi nimii magis, quam saevi paterni;* — Laurentius in Loc. Vell. p. 137. et in Iahnii N. Ann. Phil. et Paed. Suppl. Vol. VI, 1. p. 8. vulgatam tuetur, quae possit fortasse retineri, si statuas Velleium hoc dicere voluisse: Marium *animo* quidem patri fuisse similem, sed, immatura morte exstinctum, *tam longum vitae spatium explere nequivisse.*

multa] Ed. Basil. scripsit *qui multa.* V. supra.

fortiterque] Boxhornius coniecit *fortiter quoque;* — Wopkensius in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 38. probante Ruhnkenio *que* delendum censet; — Kreyssigius Praef. XXV. eadem voce offensus suspicatur a Velleii manu fuisse *strenue fortiterque.* Nemo eorum vidit *que* h. l. significare *et quidem,* additoque adverbio verbum simul cum obiecto accuratius definiri, plane ut apud Tacitum Annall. XV, 55, 5. *Milichum uxor admonuit, Antonium Natalem multa cum Scevino ac secreto collocutum.* cf. quae dixi in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 136. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 476. §. 3. Beier. ad Cic. Off II, 16, 57. p. 110.

nómine consulis] Krausius, praeeunte Santenio apud Ruhnkenium, scripsit *nomine consul. Is;* — Orellius *nomine suo. Is.* V. supra. — *Nomen consulis* est dignitas atque vis universa consulis, quae nomine comprehenditur. Praegnanti enim sensu *nomen* id significat, quo cuiusque rei peculiaris natura constat, qua sublata res ipsa esse nequit; cf. Herzog. ad Caes. B. G. II, 28. Cic. Parad. IV, 1, 27. *Senatus nomen in republica non erat,* i. e. Senatus, qui vere ita vocari posset. Liv. XXXVII, 54, 16. *Omne genus humanum vestrum nomen imperiumque intuetur,* ubi v. Drakenb. Eiusdem generis sunt formulae notissimae *nomen Romanum, Latinum, Volscum,* etc., de quibus v. Cort. ad Sall. Iug. XXXIX, 2. et Drakenb. ad Liv. III, 8, 10. Marii igitur laus, quam nullam aut ineptam his verbis contineri dicit Orellius, eo constat, quod, quamvis iuvenis viginti sex annorum, qua aetate aliis vix quaesturam adipisci licebat, tamen consulatus dignitatem nusquam non sustinuit. Ex eo in-

2 firmaverat, se exercitumque contulit. Ne quid usquam malis publicis deesset, in qua civitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus, optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessimus. Quippe dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus praetor Domitium, Scaevolam Mucium, pontificem maximum et

telligitur, quam falso Orellius Rhenanum interpolationis insimulet; cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 136. et Froehlichium in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 37. p. 308.

§. 2. *Ne quid*] Ita Ed. pr. et Amerb. — Ed. Basil. scripsit *Et ne quid*, quod in multas edd. irrepsit.

usquam] Ed. pr. et Amerb. *unquam*, sensu incommodo, quum h. l. non de variis temporibus, sed de multitudine ac varietate malorum eiusdem temporis agatur. Vere igitur Puteanus emendavit *usquam*, i. e. *ulla in re;* cf. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XIII, 5. p. 68. — Bucretius apud Acidalium coniecit *et ne quid iniquum;* — Gruterus *et ne quicquam;* — Vossius *ne quid utique.*

malis publicis] Amerb. *malis publice;* unde Orellius coniecit *mali publici;* — Halmius in Annall. crit. Berol. 1836. Vol. I. No. 42. p. 331. et in Emendd. Vell. p. 8. *mali reipublicae.* Quam emendationem sane bonam licet assensu nostro comprobaverimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 126., nunc tamen nihil caussae esse iudicamus, cur a Rhenani auctoritate, Burerii silentio confirmata, discedatur; nam in vulgata nihil insolens aut vitiosum inest; cf. Flor. IV, 2, 52. *Ne quid malis desit.* Idem visum est Laurentio in Loc. Vell. p. 137. et in Iahnii Nov. Ann. Philol. et Paed. Suppl. Vol. VI, 1. p. 8.

praetor Domitium] Ne hic solus sine dignitate, quam gessit, commemoretur, Heinsius coniecit *praetor praetorem Domitium;* — Ruhnkenius *Domitium consularem.* Sed quae in his valet lex certa, aut quae necessitas? — Ed. Basil. scripsit *praetor Q. Mutium Scaevolam etiam.*

Scaevolam Mucium] Ed. pr. et Amerb. *Scaevolam etiam,* quae particula quid sibi velit nemo dixerit. Veram scripturam Ruhnkenius coniectura assecutus est; nam lineola super a prae-

divini humanique iuris auctorem celeberrimum, et C. Carbonem praetorium, consulis fratrem, et Antistium aedilicium velut faventis Sullae partibus in curia Hostilia trucidavit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Cal- 3
purnia, Bestiae filia, uxor Antisti, quae iugulato, ut praediximus, viro gladio se ipsa transfixit. Quantum huius

cedente obliterata, *m* adhaesit vocabulo *Scaevola;* quo factum, ut *utium* (saepe enim *Mutius* pro *Mucius* scribebatur) abiret in *etiam.* Nihil autem frequentius apud Velleium, quam cognomini postponi nomen; cf. I, 14, 6. *Rufinus Cornelius;* II, 1, 4. *Mancinus Hostilius;* II, 8, 2. *Acidinus Manlius;* II, 9, 1. *Carbo Papirius;* II, 10, 1. *Lepidus Aemilius;* II, 12, 2. *Scaurus Aurelius;* II, 16, 4. *Cato Porcius;* II, 27, 6. *Ofella Lucretius;* II, 33, 4. *Magnus Pompeius;* II, 36, 2. 73, 2. 76, 2. *Pollio Asinius;* II, 38, 2. *Marcellus Claudius;* II, 39, 2. *Vulso Manlius;* II, 43, 4. *Vetus Antistius;* II, 51, 3. *Balbus Cornelius;* II, 68, 2. *Milo Annius;* ibid. *Marullus Epidius, Flavus Caesetius;* II, 69, 2. *Crispus Marcius;* II, 71, 3. *Drusus Livius;* II, 77, 3. *Nero Claudius;* II, 127, 3. *Seianus Aelius.* v. Bonnellii Lexic. Quintil. Prolegom. p. LXXIX. Praefat. nostram ad Sall. Cat. p. XXII. et Ellendtium in Annall. critt. Berol. a. 1830. Vol. I. No. 22. p. 174. — Heinsius, ut *etiam* tueretur, in hanc quoque incidit coniecturam: *Damasippus, praeter Domitium, Scaevolam etiam* etc.; — Bothius pro *etiam* mavult *et tum.*

§. 3. *ut praediximus*] Gruterus haec verba spuria habet.

se ipsa] Ed. pr. *se ipsam*; Amerb. *se ipsa,* ut iam coniecerat Vossius. Accusativum frustra defendunt Huthius in Quaestt. critt. p. 11. et Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 21., quia Calpurniae mors mariti morti opponatur. Oppositionis ratio potius haec est: Antistium trucidavit *Damasippus,* Calpurnia interfecit se *ipsa.* cf. II, 6, 6; II, 71, 3; II, 119, 3; ac v. Froehlichium in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 38. p. 313. et annotat. nostram ad Sall. Cat. XX, 6. p. 99.

Quantum huius — accessit!] Orellius de coniectura scripsit *Quo quantum* etc.; — Grunerus *Quantum tum;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 12. *Quantum huius gloriae familiae quoque accessit!* — Krausius *Quantum huic* etc.; — Cludius *Quantum huius gloriae famaeque accessit*

gloriae famaeque accessit! Nunc virtute feminae eminet, propria latet.

virtute! — Heinsius *Quanta huius — accessio!* Nihil horum opus est; v. not. seq.

Nunc virtute feminae eminet, propriâ latet.] Ed. pr. et Amerb. *nunc virtute eminet, patria latet.* De his vulgatae verbis magnus Ruhnkenius: „facilius est, inquit, aliorum de hoc loco coniecturas convellere, quam, quid Velleius scripserit, ingenio reperire.“ Nobis id Laurentius reperisse visus est, cuius emendationem, in Locis Vell. p. 138. propositam, in textu expressimus. Velleius enim, Calpurniam more suo argutiis et quaesita sententiarum oppositione laudans (v. Prolegg. c. II. p. L sqq.) hoc dicit: Antistius, *vir, sua virtute* splendidam famam non nactus, *feminae egregio facinore* illustratus est; nam eo, quod *tanti animi uxorem habuit,* factum est, ut fama eius adhuc perduret; *sine tali uxore* memoria eius, ut plurimorum, obliterata foret, ac de eo sileretur. Qua verborum explicatione prodita per se patet *huius* in antecedentibus de *Antistio* esse accipiendum, non de *Calpurnia,* ut plerique fecerunt, quae res vero videndo plurimum offecit. *Feminae* quomodo potuerit excidere facile intelliget, qui reputaverit in cod. fuisse mrtutefemmrrmmrt; cf. II, 115, 3. et v. Prolegg. c. III. p. CVIII. *Propria* autem, compendio scriptum, ab imperito vel negligente librario confusum cum *patria;* v. Prolegg. c. III. p. XCVII sq. — Orellius coniecit: *aliena nunc virtute eminet, propria latet;* — Huthius Quaestt. critt. p. 13. *nunc virtute feminea pariter latet;* — Herelius p. 563. *quantum h. gl. fam. cessit, nunc foeminae pater latens?* — Grunerus *nunc virtus eminens et patriam latet;* — Acidalius *sua virtute eminet* etc. — Heinsius *nunc sua virtute,* vel etiam *nunc sua et viri virtute eminet;* — Burmannus *n. v. e. patre latente;* — Pontanus Annall. I, 3. *n. v. e. per patriam late;* — Cortius in Actt. Erudd. Lips. a. 1721. p. 118. *Quanta tum huius gloria famaque? At nunc virtus foeminae ingloria latet;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 457. *Quantum huius gloriae famaeque accessit tum virtuti, minuit patria labes;* — Halmius in Annall. critt. Berol. 1836. Tom. I. No. 42. p. 332. *sua nunc virtute eminet, patris latet;* — Censor in Bibl. germ. univ. Berol. Vol. XLVIII. p. 547. *sua* (vel *nunc sua) virtute eminet, patriâ iacet;* — Cludius *nunc*

XXVII. At Pontius Telesinus, dux Samni- 1
tium, vir animi bellique fortissimus genitusque Ro-

eminet, patria latet; — Bothius *nam sua virtute eminet, nec patria latet;* — Luxdorphius in Iahnii Nov. Annall. Phil. et Paed. Suppl. I, 2. p. 168. *accessit nunc virtute! Eminet, patria latet.*

XXVII, 1. *animi bellique fortissimus*] Non ita vitiosa videtur haec dictio, ut ferri non possit, quamquam paullo insolentiorem esse facile concedas. Sed ausus est Velleius utrumque coniungere, quia alterutrum, et *animi fortissimus*, et *belli fortissimus*, per se recte habet, simili fere modo, ut II, 22, 3. dixit *M. Antonius princeps civitatis atque eloquentiae.* Idem iudicavit Bachius Animadvers. p. 8. et Krausius ad h. l., qui sensum bene explicat *animo manuque fortissimus.* Rhenanus coniecit *domi bellique fort.;* — Cludius *vir maximi animi, belloque fortissimus;* — Ruhnkenius *vir animi fortissimus, belli peritissimus, Romanoque;* — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 444. *vir animi fortissimus, bellique peritus, Romano n. inf.;* — Laurentius Loc. Vell. p. 138. *vir animi fortissimus, bellique peritissimus;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 5. *vir animi domi bellique fortissimus;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 349. *vir irati animi bellique fortissimus.*

genitusque] Ed. pr. et Amerb. *penitusque*, quod soloece cum superlativo iunctum tamen defendunt Krausius, Cludius et Orellius, damnant Ruhnkenius, Burmannus ad h. l. et ad Propert. I, 16, 17., iique, qui eius loco *peritus* vel *peritissimus* scripserunt; v. not. praeced. Sed leniore ac verissima medela locum sanavit Rosenheynius, in Lectt. Vell. Specim. p. 11. pro *penitus* coniiciens *genitus*, quo Telesinus perquam commode dicitur *naturâ ipsâ inimicus nomini Romano factus atque formatus esse*, quippe qui et inter duces belli socialis fuisset (v. supra II, 16, 1.), et fortasse genus duceret ex *gente Pontia*, quae bello Samnitico ducem suppeditaverat C. Pontium, de quo v. Livium IX, 1 sqq., ita ut odio in Romanos hereditario videri posset accensus. De dictione ipsa cf. II, 102, 1. *Obitsse Censorinum graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum.* II, 116, 2. *Adulescens in omnium virtutum exempla genitus.* II, 118, 2. *Germani versutissimi natumque mendacio genus.* Sall. Histor. Fr. I, 15, 3. Gerl. (Cort. p. 936.) *Praeclara*

mano nomini infestissimus, contractis circiter quadraginta milibus fortissimae pertinacissimaeque in retinendis armis iuventutis, Carbone ac Mario consulibus, abhinc annos centum et novem, Kal. Novembribus ita ad portam Collinam cum Sulla dimicavit, ut ad summum discrimen et eum et rempublicam perduceret,
2 quae non maius periculum adiit Hannibalis intra tertium miliarium castra conspicata, quam eo die, quo circumvolans ordines exercitus sui Telesinus dictitans-

Brutorum proles, geniti ad ea, quae maiores virtute peperere, subvortunda. I, 9. (Cort. p. 935.) *Adeo iuventus corrupta est, ut merito dicatur, genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares*, etc. III, 39. (Cort. p. 979.) *Antonius perdundae pecuniae genitus.* Caes. B. G. VII, 37. *Convictolitanis Aeduos hortatur, ut se imperio natos meminerint,* ubi v. Herzog.

quadraginta milibus] In numero variant auctores. Appianus Civ. I, 90. et Eutrop. V, 5. habent LXX, at Oros. V, 20. LXXX milia. Inde Lipsius, quum in cod. Murb. sit $\overline{XL}$, transpositis numeris coniecit *LX milibus.* Krausius.

fortissimae] Ruhnkenius coniecit *ferocissimae,* quia modo praecessit *fortissimus.* V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq. Bothius eandem ob caussam vocem cum sequente copulā delendam censet.

annos centum et novem] Ed. pr. *annos XL;* — Burer. et Amerb. *annos XI.* Ante quem numerum centenarii signum vel excidisse vel evanuisse, scriptumque fuisse *annos CXI,* coniectura est Aldi Nepotis, omnibus editoribus probata, quum 111 anni ad annum consulatus Marii et Carbonis additi, qui fuit 671 u. c., efficiant annos 782, quod plane congruit cum vulgari ratione, secundum quam Vinicii consulatus incidit in annum 783 u. c. Sed quum Velleius istum consulatum duobus annis ponat priorem (v. Prolegg. c. II. p. XLI sqq.), eius ratio sibi constabit, si unitatis signo, quod librarius proclivi lapsu alieno loco posuisse videtur, ante denarium numerum retracto nobiscum scripseris *annos CIX.* Nam 109 annis cum 671 coniunctis efficitur 780, qui annus est proximus ante Vinicii consulatum, quo scripsit Velleius.

que adesse Romanis ultimum diem vociferabatur cruendam delendamque urbem, adiiciens nunquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos, nisi silva, in quam refugere solent, esset excisa. Post primam demum 3
horam noctis et Romana acies respiravit, et hostium cessit. Telesinus postera die semianimis repertus est, victoris magis quam morientis vultum praeferens, cuius abscisum caput ferri gestarique circa Praeneste Sulla iussit. Tum demum desperatis rebus suis C. 4

§. 2. *eo die*] Ita Burer.; *eodem die* Ed. pr. et Amerb.

solent] Ita Ed. pr. et Amerb. — Burerius coniecit *solerent*, quod cupide arripuerunt editores. Indicativum recte tuetur Orellius, collato Tacito Annall. II, 26, 3. *Posse et Cheruscos, quando Romanae ultioni consultum est, internis discordiis relinqui.* v. annot. nostram ad Sall. Iug. c. XXXVIII, 9. p. 222. et ad c. LXIII, 1. p. 337. cf. infra II, 117, 3.

§. 3. *vultum*] Ed. pr. et Amerb. *cultum.* Correxit Ed. Basil. — Kreyssigius Praef. p. XXVI. mavult scribi *voltum* propter II, 118, 2. II, 127, 4. Sed ipsa corruptela huius loci *vultum* magis commendat.

abscisum] Ed. pr. *abscissum;* Amerb. recte *abscisum*, ut volebat Ruhnkenius, coll. II, 66, 2. et 3. II, 119, 5. De horum verborum discrimine et frequenti confusione v. Duker. ad Flor. II, 2, 2. Drakenb. ad Liv. XXXI, 34, 4. et ad Sil. Ital. XV, 473. Gronov. ad Liv. XLIV, 5, 5.

ferri] i. e. *afferri*, sc. ex acie ante Romam in castra Praenestina. Hanc vocis potestatem recte tuentur Wopkensius in Lectt. Tull. II, 4. p. 142. ed. Amst. Orellius et Kreyssigius Praef. p. XXVI. Idem hunc usum illustravit in Commentat. de Sallustii Hist. Fragm. p. 89. cf. Liv. XXXIX, 50, 7. *Vicit pars avidior poenae, missusque qui venenum ferret.* XXX, 15, 6. *Hunc nuncium ac simul venenum ferens minister quum venisset.* VI, 3. 4. *Etruscis se luctum lacrimasque ferre.* Iustin. I, 5, 10. *Lepus Cyro ferendus servo traditur.* Similiter usurpatur *portare* pro *apportare;* Liv. XXI, 18, 13. *Vobis bellum et pacem portamus*, ubi Polybius III, 33. habet ὁ δὲ πρεσβύταιος καὶ τὸν πόλεμον αὐτοῖς, ἔφη, καὶ τὴν εἰρήνην φέρειν.

Marius adulescens per cuniculos, qui miro opere fabricati in diversas agrorum partis fuerunt, conatus erumpere, cum foramine e terra emersisset, a dispositis in id ipsum interemptus est. Sunt, qui sua manu, sunt, qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesini, una obsesso et erumpente, occubuisse prodiderint. Utcunque cecidit, hodieque

Terent. Andr. II, 2, 1. *Di boni, boni quid porto.* v. Drakenb. ad Liv. VI, 3, 4. — Handius ad Wopkensii Lectt. Tull. l. l. (p. 201. ed. Hd.) vel nomen aliquod excidisse censet, vel scribendum *afferri;* — Wopkensius ipse, explicatione sua rursus improbata, coniicit *efferri;* — Wunderus ad Cic. p. Planc. c. 25, 63. p. 170. *eeferri;* — Hottingerus in Mus. Turic. Vol. I. P. II. *ferri* una cum *que* copula delendum censet.

gestarique] Burmannus maluit *spectarique;* — Ruhnkenius *ostentarique,* quem errorem genuit perversum de *ferri* voce iudicium, quasi *ferri gestarique* esset idem. v. not. praeced.

§. 4. *fuerunt*] Ed. Basil. de coniectura scripsit *ferunt;* quod quamquam non solum inutile est, sed etiam falsum atque absurdum, propter tempus praesens, tamen summo applausu ab omnibus fere editoribus exceptum est. Qui non concoquere potuerunt *fabricati fuerunt,* adeant Zumptii Gramm. Lat. 76, 3. §. 495. p. 425. Ed. VIII. et Haasium ad Reisigii Gramm. Lat. §. 285. not. 447. p. 490. Heinsius coniecit *vergunt;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 349. *aperti fuerunt.*

foramine e terra] Amerb. *foramina et terra.*

§. 5. *fratre Telesini*] Ed. pr. *fratre Telesino;* Amerb. *frater Telesino.* Genitivus debetur coniecturae Dukeri ad Liv. Epit. LXXXVI., ubi simul minus bene coniicit etiam scribi posse *cum minore Telesino,* deleta voce *fratre.* Nam corruptela huius loci orta est ex confusione *i* et *o* litterarum in cod. Murb. frequentissima. v. Prolegg. c. III. p. XC. Deteriorem istam Dukeri coniecturam probarunt Ruhnkenius, Orellius, Bothius; veram sequuntur Krausius, Kappius ad Valer. Max. VI, 8, 2. Haasius in Ephemm. Litt. Hall. 1836. Vol. I. No. 56. p. 444. et Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 38. p. 316.

prodiderint] Amerb. *prodiderunt.*

magnitudine] Ed. pr. et Amerb. *imagine,* quod frustra de-

tanta patris magnitudine non obscuratur eius memoria. De quo iuvene quid existimaverit Sulla, in promptu est; occiso enim demum eo Felicis nomen assumpsit, quod quidem usurpasset iustissime, si eundem et vincendi et vivendi finem habuisset. Oppugnationi autem 6 Praenestis ac Mari praefuerat Ofella Lucretius, qui, cum ante Marianarum fuisset partium, proditor ad

fendunt Censor in Ephemm. Litt. Gotting. a. 1779. Addit. p. 119., Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 547. et Friebeiius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 148. *Imago* enim quomodo aliquam rem *obscurare* potest? Verissime Ruhnkenius scripsit *magnitudine*, cuius vocis compendium magtne non intellectum (v. Prolegg. c. III. p. XCVII.) corruptelam genuit, plane ut infra II, 116, 4. Eadem sententia iisdemque paene verbis auctor dixit II, 36, 1. *Augustus natus eo anno, omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem.* Liv. XXXVIII, 58, 9. *Ne magnitudo et splendor legati laudibus consulis officeret.*

eius memoria] Burer. et Amerb. *civis memoria;* — Rhenanus in Ed. pr. ut lenissima, ita verissima mutatione tacite scripsit *eius mem.*, pro quo Laurentius in Loc. Vell. p. 19. parum feliciter coniecit *filii mem.* V. quae dixi in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 124. — Heinsio in mentem venit *civis huius memoria.*

quod quidem] Ita Ed. pr. ex levi coniectura Rhenani; nam Burer. et Amerb. *quo quidem.*

§. 6. *Oppugnationi*] Ed. pr. et Amerb. *oppugnationis.* Correxit Ed. Basil.

praefuerat] Amerb. *praefuera.*

Ofella] Ed. pr. et Amerb. *Asella* vel *Afella*; Burer. *Affella;* quo teste margini cod. Murb. ascriptum fuit *Ofella.* Ita scripsit Ed. Basil., ut nomen exhibent Appian. Civ. I, 88. Plutarch. Sulla, c. XXIX. Liv. Ep. LXXXVIII et LXXXIX.

Marianarum] Ita Ed. pr. ex tacita correctione Rhenani; nam Burer. et Amerb. *Marinarum.*

proditor] Ed. pr. et Amerb. *praetor,* aperto vitio, quum Ofella nunquam praetor fuerit, ut liquet ex Appiano Civ. I, 101. Qui autem cum Ruhnkenio *praetorem* h. l. intelligendum cen-

Sullam transfugerat. Felicitatem diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honoravit memoria, qui sub eius nomine Victoriae celebrantur.

1 XXVIII. Paulo ante quam Sulla ad Sacripor-

sent *propraetorem* (quo sensu vocabulum interdum usurpari ostendimus ad Sall. Cat. c. XIX, 1. p. 90.), aut cum Krausio interpretantur *ducem* ex prisco dicendi usu (de quo v. Ascon. in Verr. I, 14. et Varron. de L. L. V, 16.), videant ne fallantur. Nam ut taceam de perverso vocis loco, sive ad antecedentia, sive ad sequentia trahis, quis unquam audivit de *Marianarum partium praetoribus aut propraetoribus? Ducis* autem potestas non solum a Velleii usu, sed a toto eius aevo est alienissima. Quae omnia expedivit Vossius scribendo *proditor;* quo nihil esse ad sententiam et nexum aptius et res ipsa docet, et locus confirmat alius II, 83, 1. *Plancus, non iudicio recta legendi, sed morbo proditor, — transfugit ad Caesarem.* cf. II, 63, 3. *Plancus senatui se litteris venditans, mox eiusdem proditor* etc.

qui sub eius nomine Victoriae] Burer. et Amerb. *qui sub eius nomine Sullanae Victoriae;* Ed. pr. *quibus eius nomine Sullanae Victoriae,* Rhenano tamen in margine notante: alias *qui sub eius* etc. — Vocem *Sullanae* auctore Haasio in Ephemm. Litt. Hall. 1836. T. I. No. 56. p. 444. eiecimus, quippe quae aperta eaque inepta glossa sit verborum *sub eius nomine.* Ludi enim a Sulla tum instituti simpliciter vocabantur *ludi Victoriae,* non *ludi Sullanae Victoriae,* ut patet ex Cic. in Verr. Act. I. c. 10, 31. et ex vetere Kalendario apud Gruterum, Inscriptt. p. 133. (Orellii Inscr. Lat. Vol. II. p. 400.). Praeter haec testimonia quum non solum ipsa religionis ratio, sed etiam verborum collocatio doceat *Victoriam* hic deam esse, in cuius honorem illi ludi instituerentur, neque nomen appellativum, in promptu est eam nullo modo posse *Sullanam* dici. Quod autem ludi dicuntur *sub eius,* i. e. *Sullae, nomine* Victoriae celebrari, id hoc sibi vult, ludis illis, Victoriae dicatis, plurimam vulgo Sullae mentionem fieri consuevisse, ita ut ad eius nominis memoriam quotannis recolendam valerent. Qui igitur nomine legitimo et peculiari *Sullanorum* carerent, tamen *sub eius no-*

tum dimicaret, magnificis proeliis partium eius viri hostium exercitum fuderant, duo Servilii apud Clusium, Metellus Pius apud Faventiam, M. Lucullus circa Fidentiam. Videbantur finita belli civilis mala, 2 cum Sullae crudelitate aucta sunt. Quippe dictator

mine celebrabantur. Quod quum non intelligeret librarius, explicationis caussa versui superscripsit *Sullanae*, quae vox postea in textum irrepsit; v. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 131. — Ed. Basil. coniecit *quibus sine nomine Sullanae victoriae celebrantur;* — Popma *quibus sine nomine Sullanae victoriae celebratur*, sc. memoria felicitatis eius diei; — Heinsius *qui sub nomine eius victoriae celebrantur;* — Burmannus *quibus, sub Deae nomine, Sullanae celebrantur victoriae;* — Ed. Bipont. *qui sub Idus Nov. nomine Sullanae victoriae celebrantur;* — Orellius *qui sublato eius nomine Sullanae Victoriae celebrantur;* — Gronovius Observatt. II, 23. p. 313. Ed. Lips. *qui sine eius nomine Sullanae victoriae celebrantur;* — Menardus ad Cic. in Verr. Act. I. c. 10, 31. *qui ludi sine nomine Sullae victoriae celebrantur*, vel etiam *quibus, sine nomine Sullae, eius victoriae celebrantur;* — Krausius verba *Sullanae victoriae* pro glossa habet eiiciendaque censet; — Ruhnkenius vulgatam vitio carere putat.

XXVIII, 1. *magnificis*] Aldus Nepos maluit *magnis*. cf. II, 29, 1. II, 52, 6. et. v. Prolegg. c. II. p. XLIX.

partium eius viri hostium exercitum] Heinsius coniecit *part. eius hostilem exerc.*, omissa *viri* voce, et deleto commate post *fuderant*.

Servilii] Ed. pr. et Amerb. *Servili*.

Clusium] Ed. pr. et Amerb. *Plusium*. Correxit Ed. Basil. ex Livii Epit. LXXXVIII, ubi v. Drakenb.

Pius] Amerb. *plus*.

Fidentiam] Amerb. *Fidentia*.

§. 2. *crudelitate*] Amerb. *crudelitatem*, unde Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Tom. I. No. 43. p. 341. immerito suspicatur scriptum fuisse *crudelitate etiam*. V. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 128. et cf. Prolegg. c. III. p. XCIII.

creatus (cuius honoris usurpatio per annos centum et viginti intermissa; nam proximus post annum, quam Hannibal Italia excesserat, uti appareat populum Ro-

intermissa; nam proximus post annum, quam] Schegkius coniecit *intermissa, a proximo post anno, quam;* — Acidalius *intermissa iam protinus post annum q.;* — Popma *intermissa iam proximi post annum;* — Cludius putat aut nomen *Sulla* excidisse post *proximus*, aut *fuit* post *excesserat*, idque, ut probabilius, in textum recepit. Pessime omnes! *Proximus* enim non intelligitur Sulla, sed *proximus dictator*, sc. *retro inde a Sulla*, omisso verbo *est*, ut sexcenties fit apud Velleium; v. ad II, 55, 1.

quam Hannibal] Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 148. coniecit *quo Hannibal.*

excesserat, uti] Cludius scripsit *excesserat, fuit; uti.* V. annot. superiorem.

ut in metu desiderasse, ita in otio timuisse potestatem] Ed. pr. *aut metu desideras Tulio Co timuisse potestatem;* — Amerb. *aut metu desidera Tulio cotimuis se potestatem.* Quam in textu expressimus corrupti loci emendationem, Rosenheynii est, in Lectt. Vellei. Specimine p. 13. proposita, cui nonnulla praeivit Ruhnkenius. Singularum mutationum veritatem facile praestat certam accurata membrorum oppositorum aequalitas, quae talis est, ut vero in altera parte reperto altera paene sua sponte se offerat. Nam quum pateat *usum* respondere voci *potestatem, timuisse* infinitivus ostendit *desideras* corruptum esse ex *desiderasse;* tum *ut*, frequenti corruptela in *aut* depravatum (v. Handii Tursell. Vol. I. p. 558. Drakenb. ad Liv. IV, 12, 8.), necessario ducit ad *ita* in altero membro; *metus* autem, quum significet *bellum* sive *belli periculum*, aut *periculum ingens* (cf. supra I, 12, 7. Tacit. Hist. I, 86. Annall. XV, 45.), cui legitime opponitur *otium* (cf. II, 23. 1. Bremi. ad Nep. Timol. c. III, 2. Beier. ad Cic. de Off. I, 22, 77. nos ad Sall. Iug. c. XIV, 13. p. 82.), nihil certius, quam in litteris *o co* latere *otio* sive *ocio;* denique *in* praepositio, quam dicendi usus postulat, quum aperte *m* litterâ absorpta fuerit, in altero membro nullo negotio ex monstro scripturae *Tulio* eruitur. Iam si reputaveris *ut — ita* particulas h. l. valere *quamquam — tamen*, de quo usu v. infra ad II, 31, 4., nihil profecto verborum integritati deesse senties. — Rhenanus coniecit *haud deside metu a S.*

manum usum dictatoris ut in metu desiderasse, ita in otio timuisse potestatem) imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam olim usi erant,

Tullio continuisse potestatem; — Ed. Basil. *non tam desiderasse, quam timuisse potestatem;* — Lipsius *non tam desiderasse, quam timuisse, potestate imperii* etc.; — Vossius *haud ita desiderasse, uti extimuisse potestatem imperii*, etc.; — Heinsius *aut metu desiderasse, aut illico timuisse potestatem;* — Burmannus *ut remedium desiderasse subito* (vel *dubio) morbo, timuisse potestatem;* — Ruhnkenius *haud ita in metu desiderasse, ut in otio timuisse potestatem;* — Ed. Bipont. *haud in metu desiderasse, sed in loco timuisse potestatem;* — Bothius *haud in metu desid. ut in otio timuisse potestatem;* — Cludius *ut in metu desiderasse, ita ultra consularem timuisse potestatem;* — Gronovius in Obss. II, 23. p. 313. *haud ita desiderasse, uti extimuisse potestatem;* — Witthofius in Krit. Anmerk. üb. Horat. u. a. Schriftst. Vol. III. p. 102. *orto metu desiderasse, sepulto contra timuisse) potestate imperii* etc. — Fiedlerus Praef. p. VII. *haud metu desiderasse, sed Sullae cos. timuisse potestatem;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 349. *haud metu desiderasse, sed tulisse, ac timuisse potestatem;* — Laurentius in Loc. Vell. p. 21. *ante metu desiderasse, tum illius solum timuisse potestatem;* — Friebelius in Graec. Satyrograph. Fr. p. 148. *aucto metu desideratum, pulso non sustinuisse potestatis imperio,* vel: *aucto metu desiderasse, pulso non sustinuisse potestatem imperio.*

imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam olim usi erant, eo] Ed. pr. *imperio, proh res ad vindicandum maximi periculi, spolia musieranteo;* — Amerb. *imperio, prores ad vindicandam maximi periculi spolia mus ierant eo.* Recepta in contextum scriptura debetur Ruhnkenio, nisi quod Orellio auctore *olim* post *rempublicam* inseruimus. Iam singula illustrabimus. *Quo* absorptum proxima *o* littera, ut saepius et in hac voce, et in *que* particula factum est; cf. II, 20, 2. Sulpicio*que;* II, 34, 3. utriu*sque* ordinis; II, 39, 1. Fabio*que;* II, 104. 3. tractum*que* omnem; v. annotat. nostr. ad Sall. Iug. c. XXXV, 2. p. 205. — *Priores* scripturae compendio obscurato vel male intellecto abiisse in *pro res*

3 eo in immodicae crudelitatis licentiam usus est. Primus ille, et utinam ultimus, exemplum proscriptionis

argumento non eget. Intelliguntur autem *dictatores*, non *veteres Romani*. — *Vindicandam*, in quod multi etiam coniectura inciderunt, Amerbachius felicius e cod. Murbac. eruit, quam Rhenanus et Burerius, eoque veritas restitutae vocis *rempublicam* haud parum sustentatur. — *Maximis periculis* rescribendum esse pro *maximi periculi* ipsa constructio ostendit et postulat; cf. Iustin. VII, 15. *Quem scelerum suorum supplicii s liberorum contemplatio vindicaverat.* Curt. IX, 10. *Itaque fame duntaxat vindicatus exercitus.* Nullum autem corruptelae genus in cod. Murb. frequentius, quam *s* littera in fine vocabulorum omissa; ita legitur I, 8, 5. *Latini* pro *Latinis;* II, 11, 1. *assumpti* pro *assumptis;* II, 16, 3. *pietati* pro *pietatis;* II, 79, 1. *virtuti* pro *virtutis;* II, 93, 5. *ipsi* pro *ipsis;* II, 119, 5. *hosti* pro *hostis;* II, 127, 3. *equestri* pro *equestris;* alia v. in Prolegg. c. III. p. XCIII. — *Rempublicam* in eo codice, unde Murb. fluxit, scriptum fuit r. p. Inde factum sp; quod ad tres proximas litteras relatum codicis Murb. scribam in eum errorem induxit, ut *spolia* legendum putaret. Ita *olim* vocis ac sequentium compage soluta, nata sunt illa vocabulorum monstra *musieranteo*, vel *mus ierant eo*, quae litteris disiunctis aliterque compositis facile in ordinem redierunt. Iam relicuorum coniecturas afferam, ex quo simul patebit, unde Ruhnkenius singula desumpserit. Rhenanus coniecit *imperio (proh res ad vindicandum maximi periculi) spoliantem. nam multi abusi erant eo;* — Ed. Basil. *imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi fuerant;* — Lipsius *imperii*, cet. ut Ed. Basil.; — Vossius *potestatem imperii) quo priores ad vindicandum max. per. rempubl. usi erant;* — Heinsius *imperio, quo priores ad vindicandum a maximis se periculis olim iam usi erant;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 349. *imp. quo pr. ad vind. in max. per. R. P. olim usi erant;* — Burmannus *imperio, quo pr. ad vindicandum maximis periculis populum usi erant;* — Cludius *imperio, quo priores ad vindicandum maximis periculis olim usi erant;* — Witthofius in Krit. Anm. üb. Horat. u. a. Schriftst. Vol. III. p. 102. *potestate imperii, quo pr. ad vind. m. p. remp. usi fuerant olim;* — Laurentius in Loc. Vell. p. 22. *imperio, quo priores ad vindicandum maximis periculis populum semper olim usi erant.*

invenit, ut in qua civitate petulantis convici iudicium histrioni exoleto redditur, in ea iugulati civis Romani

eo in immodicae crudelitatis licentiam] Ed. pr. et Amerb. *eo immodicae crudelitatis licentia usus est*, quae scriptura sententiam ab hoc loco alienam et auctoris consilio repugnantem continet. Velleius enim, in hac quoque periodi parte membrorum aequalitatem secutus, diversum dictaturae usum priorum et Sullae ita comparat, ut dictaturam *in res salutares* adhibitam opponat eius usui *ad res pessimas*. Sed eam rationem vulgatae verba prorsus invertunt, quippe quae usus *modum*, non consilium *et finem* declarent. Quare *in* praepositione illata *licentiam* ex coniectura Cludii scripsimus, si modo haec coniectura dicenda est; nam *in* iam continetur voce *immodicae* sic scriptae ıuuodicae: lineola autem *a* litterae imposita, hic, ut sexcenties, evanuit. Iam sensus est: ut *priores dictatores* summo imperio usi sunt *ad remp. maximis periculis vindicandam*, ita *Sulla* dictaturam sumpsit, *ut licentiam haberet immodicae crudelitatis*. Eodem modo *uti aliqua re in aliquid* etiam infra dixit Velleius II, 41, 2. *Qui somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur*. cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. III. p. 318. §. 26. Davisius ad Cic. Tuscc. V, 21, 62. coniecit *eo in immodicae crudelitatis licentia;* — Ruhnkenius *eo in immodicam crudelitatis licentiam;* — Burmannus *eo ad immodicae crud. licentiam*, vel *eo immodico crudelitatis licentia*, vel *eo immodice crud. licentia;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 349. *eo immodice, crudelitatis licentiâ, usus est;* — Orellius *eo immodica crudelitatis licentia*, falso id Gronovio in Obss. II, 23. p. 313. tribuens; is enim vulgatam sequitur.

usus est] Lipsius scripsit *abusus est*.

§. 3. *histrioni exoleto*] Ed. pr. et Amerb. *historiarum ex alto*, quod verissime correxit Ed. Basil. *Histrioni* enim, plene scriptum, pro compendio habitum est vocis *historiarum*, v. Prolegom. c. III. p. C; *exoleto* autem, casu divisum, quomodo in *ex alto* abire potuerit, clarum est. Ruhnkenius coniecit *histrioni exacto*, docta animadversione probans histriones, etiam optimos, saepe *explodi atque eiici solitos*, coll. Cic. p. Rosc. Com. 11, 30. de Or. I, 61, 258. Auct. ad. Herenn. IV, 47, 60. et Ter. Hec. Prol. 11., sed probare oblitus histrionibus, in quos summa spectatoribus licentia concessa fuit, ius fuisse adversus eos, a quibus explosi essent, agendi. Quod neque habuerunt,

publice constitueretur auctoramentum, plurimumque haberet, qui plurimos interemisset, neque occisi hostis quam civis uberius foret praemium, fieretque
4 quisque merces mortis suae. Nec tantum in eos, qui contra arma tulerant, sed in multos insontis saevitum. Adiectum etiam, ut bona proscriptorum ve-

neque potuerunt habere. Praeterea *petulans convicium* non dici potest de iniuria, quae histrioni explodendo atque exsibilando infertur, sed unice capiendum est de verborum petulantia, qua histrio extra theatrum non a spectatoribus, sed a singulis lacessitur. Quod ubi fiebat, etiam histrioni, quamvis infami, licebat eum, a quo violatus fuerat, in ius vocare. Summa igitur legum aequitas quum in eo cerneretur, quod etiam *personae infami* (v. Reinii Ius Rom. civ. p. 110.) iudicium reddebatur, de voce *exoletus*, qua maxima infamia notatur, non potest dubitari. v. Censor. in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 549. et quae diximus in Zimmermanni Ann. Studd. antiq. a. 1840. No. 37. p. 312 sq. Lipsius *in histrionem ex albo*, ac prius in Epistoll. Quaestt. III, 8. *histrionicum ex albo;* — Pithoeus in Collat. legum Mos. et Rom. p. 739. *iudicium iniuriarum ex albo;* — Popma *histrionicarum ex albo;* — Heinsius ad h. l. et ad Sil. Ital. VIII, 266. ed. Drakenb. *histrioni rarum ex alto;* — Cludius *histrioni e scena exacto*, et in Corrig. et Add. p. 243. vel *histrioni area exacto*, vel *histrioni parum exculto;* — Friebelius Graec. Satyrogr. Fr. p. 148. *histrioni ob artem exacto.*

civis Romani publice] Ed. pr. *civis Reip.;* Amerb. *civis R. publicae*, quod paene congruit cum verissima Puteani correctione, in contextu a nobis expressa; nam *R.* est *Romani;* quod quum librarius cod. Murb. falso *rei* interpretaretur, nihil erat facilius, quam ut *publice* mutaret in *publicae*, quoniam saepissime *ae* diphthongus sola *e* littera scribebatur; v. ad II, 9, 1; II, 31, 1; II, 33, 4; II, 70, 1; II, 116, 3. Male autem Ruhnkenius *publice* deleri vult. Nam quum summa esset *civis Romani* dignitas, quam nemini impune laedere liceret (v. supra II, 6, 5. *Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi, sed civis Romani pretium se daturum promisit;* cf. Reinii Ius Rom. priv. p. 44.), profecto fuit facinus

nirent, exclusique paternis opibus liberi etiam petendorum honorum iure prohiberentur, simulque, quod indignissimum est, senatorum filii et onera ordinis sustinerent, et iura perderent.

XXIX. Sub adventum in Italiam L. Sullae Cn. 1
Pompeius, eius Cn. Pompei filius, quem magnificen-

indignissimum *publice*, i. e. in hoc nexu, ab eo, qui tum reipublicae gubernacula tenebat, praemium constitui civis iugulati. — Pithoeus in Collat. leg. Mos. et Rom. p. 739. coniecit *civis e publico*; — Hottingerus in Mus. Tur. Vol. I. P. II. *civis res publice;* — Heinsius ad Sil. Ital. VIII, 266. ed. Drak. *civis reis publice;* — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 22. vulgatam inepte tuetur.

§. 4. *Nec tantum*] Ed. pr. et Amerb. *nec tamen*, quod Acidalius et Burmannus temere dictum censent pro *nec tantum*. Non magis verum est, quod non solum Vossius et Krausius, sed etiam Halmius in Emendd. Vell. p. 7. et Beierus ad Cic. de Off. II, 8, 27. contendunt, *tantum* suppleri etiam tum in priore membro formulae *non tantum — sed etiam*, quum in altero membro *etiam* desit, cuius rei quae afferunt exempla et inter se diversa sunt, (v. supra ad II, 22, 2. et annot. nostr. ad Sall. Iug. C, 4. p. 533.) et praeterea eo ipso, quod *tamen* particula carent, alienissima. — Huius loci emendatio unice pendet ex compendiorum cognitione; nam *tamen* ortum est similitudine compendii *tantum* particulae, quam recte restituit Ursinus, probante Ruhnkenio. De creberrima harum vocum in codicibus permutatione v. infra II, 68, 5. et Duker. ad Flor. I, 13, 15. III, 5, 25. Drakenb. ad Liv. III, 46, 1. IX, 12, 6. XXX, 30, 23. Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 9, 27. Rationem sententiarum per particulas *non tantum — sed* iungendarum ignorans Cludius scripsit *sed et in multos*. V. annotat. ad Sall. Cat. c. XVIII, 7. p. 89. et ad c. XXXIX, 6. p. 185. Goerenz. ad Cic. de Legg. III, 7, 17. Frotscher. ad Quintil. X, 1, 8. — Heinsius maluit *nec tam in eos*.

exclusique] Burmannus coniecit *excussique*.

filii] Amerb. *fili*.

XXIX, 1. *eius Cn. Pompei*] Ed. Basil. *Cn.* omisit. —

tissimas res in consulatu gessisse bello Marsico praediximus, viginti tris annos natus, abhinc annos centum et decem, privatis ut opibus, ita consiliis magna ausus magnificeque conata exsecutus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriae firmum ex agro Piceno, qui totus paternis eius clientelis refertus
2 erat, contraxit exercitum. Cuius viri magnitudo multorum voluminum instar exigit, sed operis modus

Krausius suspicatur *eius* spurium esse, ortum quippe ex syllabis extremis praecedentis vocis *Pompeius*.

in consulatu] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. est *in senatu*, aperto Rhenani vel potius typographi errore.

annos centum et decem] Ed. pr. et Amerb. *annos CXIII*. Sed quum Pompeius anno u. c. 670 exercitum Sullae adduxerit, Velleius autem librum composuerit paullo ante initum a Vinicio consulatum, i. e. anno u. c. 780, inter hunc atque superiorem illum annum non intersunt anni 113, sed 110, quem numerum, quamquam paullo audaciore mutatione, in textu expressimus. Krausius contra codicis numerum CXIII uno anno inferiorem censet vero.

paternis eius clientelis] Herelius p. 563. *eius* deleri vult, assentiente Krausio.

§. 2. *instar*] Cludius suspicatur legendum esse *historiam*.

eam narrari] Ed. pr. et Amerb. *eum narrari*. *Eam* scripsimus auctore Halmio in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 342. et Friebelio in Graec. Satyrogr. Fr. p. 148. Nam *narrare aliquem* tantopere abhorret a pedestris orationis consuetudine, ut ne Velleio quidem concedi possit. Praeterea auctor non de Pompeio in universum, sed de eius *magnitudine* se dicturum esse ostendit, nec sequentia, quae maximas eius laudes continent, alio spectant, quam ut *magnitudinem* illius illustrent. — Bothius scripsit *paucis enarrari*.

ex dignitate constantiaque, quae] *Quae*, quod deest in Ed. pr. et Amerb., ex coniectura Aldi Nep. addidimus, quo simplicissime et sensui et structurae consulitur; nam *quae* excidit propter praecedens *que*, ut sexcenties, cf. II, 25, 3; II, 50, 1; II, 94, 4; II, 128, 1. Drakenb. ad Liv. XXIX, 6, 8. annot. nostr.

paucis eam narrari iubet. Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae, forma excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constantiaque, quae in illam conveniens amplitudinem fortunamque eum ad ultimum vitae comitata est diem, innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia 3 medius, potentiae, quae honoris causa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus;

ad Sall. Cat. III, 5. Iug. XXVII, 5. Halm. Emendd. Vell. p. 6. *Ex* h. l. *causam* designat, hoc sensu: formae in eo fuit excellentia, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ea, quae *prodit ex dignitate*, vel *efficitur dignitate et constantia;* cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 635 sqq. *Dignitas constantiaque* figurâ ἓν διὰ δυοῖν est *constans dignitas*, i. e. quae per omnes aetatis gradus permanet. Ceterum per se patet, mutata structurae ratione ac sublata membrorum aequalitate, hic rursus cogitandum esse *formâ excellens*. Ed. Basil. scripsit *sed dignitate constanti, quae;* — Lipsius *sed ex dign. constanti, quae;* — Acidalius *sed quae in illam conveniens amplitudinem, dignitatem et constantiam*, vel *sed quae dignitate et constantia in illam conveniens amplitudinem, fortunam eius;* Heinsius *sed ex dignitate constans, atque in illam conveniens amplitudinem;* — Burmannus *sed ea dignitate constantiaque, quae;* — Ruhnkenius, *sed ea dignitate et constantia, quae;* — Pontanus in Annall. I. c. 3. *sed dignitatis constantia, quae;* — Crusius in Misc. Obss. Nov. Vol. X. p. 384. *sed quae ex dignitate constantiaque in illam conveniret amplitudinem fortunae, quaeque eum ad ultimum;* Laurentius in Loc. Vell. p. 139. *sed ex dignitate constantiaque in illam conveniente amplitudinem, quae fortunam eius* etc.

fortunamque eum] Ed. pr. et Amerb. *fortunamque eius*, quod Krausius tuetur, ad sequentia *eum* suppleri iubens. Sed ut *eius* in priore membro et sensu supervacaneum est propter *illam*, et loco etiam molestum, ita in altero *eum* utique est necessarium, ut iam Lipsius coniecit. Ed. Basil. scripsit *fortunam quoque eius;* — Heinsius *fortunam quae eius.*

ultimum] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr. *ultimam.*

dux bello peritissimus, civis in toga, nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem, modestissimus; amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus; potentia sua nunquam aut raro ad impotentiam
4 usus, paene omnium vitiorum expers, nisi numeraretur inter maxima in civitate libera dominaque gen-

§. 3. *bello peritissimus*] Lipsio praeeunte Krausius scripsit *belli perit.*, quo non est opus. Nam quum per se *peritus* cum ablativo iungi possit (v. Gronov. ad Gell. IV, 8. Davis. ad Hirt. de B. Afr. c. 31, 2. Ruddim. Institt. Gramm. II, p. 71.), tum h. l. iste casus plurimam ab oppositionis ratione excusationem habet; *bello* enim respondet verbis *in toga.*

in reconcilianda gratia] Lipsius scripsit *in reconciliata gratia*, quod Ruhnkenius falso amplexus est. *Fidelissimus* enim h. l. non est *fidem religiose servans*, sed *optima fide agens*, quo haec laus continetur, Pompeium, dissensionibus sibi cum amicis exortis, *non mala fide in reconcilianda gratia egisse*, neque dissimulanter in gratiam cum iis rediisse.

§. 4. *vitiorum*] Ed. pr. et Amerb. *votorum.* Verissima corruptae lectionis emendatio debetur Aldi Nepoti, quam et sequentia confirmant, et simile Velleii de Catone iudicium II, 35, 2. *Cato omnibus humanis vitiis expers.* — Schoepferus in Adnott. crit. p. 23. *votorum* defendit coll. II, 33, 3.

in civitate] Ita Burer. et Amerb., quamquam hic deleta *in* particula; Ed. pr. *civitate.*

haberet] Heinsius maluit *haberentur*, et statim post *conspici*; — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 350. *iura haberent pares.*

§. 5. *Hic a toga*] Ita Burer. et Amerb.; Ed pr. *hicce toga.* De vitii caussa v. ad II, 33, 1.

assuetus] Ruhnkenius coniecit *assumptus*, speciosius, quam verius. *Assumi* enim dicuntur, quos rei gerendae *adiutores* sibi adiungit dux, quod non cadit in Pompeium, qui, auctore Cicerone p. L. Manil. 10, 28. *e ludo atque pueritiae disciplina ad patris exercitum atque in militiae disciplinam profectus est.* — *Assuetus commilitio* est *assiduo patris commilitio*

tium indignari, cum omnis civis iure haberet paris, quemquam aequalem dignitate conspicere. Hic a toga virili assuetus commilitio prudentissimi ducis, parentis sui, bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentiae coluerat, ut a Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius.

usus, ut recte cepit Krausius, coll. Plutarcho Pomp. c. III. ἔτι δὲ μειράκιον ὢν παντάπασι καὶ τῷ πατρὶ συστρατευόμενος ἀντιτεταγμένῳ πρὸς Κίνναν. — Cludius coniecit *assuetus militiae comilitio* (abl.).

prudentiae coluerat, ut a Sertorio] Ed. pr. et Amerb. *prudentiae celeriora et a Sertorio.* Hac corruptissima scriptura non melior est Burerii coniectura *prudentia celerior, ita ut a Sertorio.* Ed. Basil. scripsit *prudentia excoluit, ut a Sert.*; — Vossius *prudentia coluit, ita ut a Sert.*; — Ruhnkenius *prudentia excoluerat, ut a Sert.*; — Grunerus *prudentia coluerat, ut a Sert.*; — Cludius *prudentia coluerat ita, ut a Sert.*; quae coniecturae, inter se valde similes, omnes sensu magnopere laborant. *Ingenium* enim non *colitur per prudentiam militarem*, sed *ad prudentiam militarem*, quippe quae *culto ingenio constet*, non *ad colendum ingenium adhibeatur.* Quare, quum ablativo hic nullus plane locus sit, certiorem ac multo simpliciorem medelam proposuimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 124.; quippe scribendum censemus *prudentiae coluerat*, hoc sensu: Pompeius bonum et capax recta discendi ingenium, neglectis aliarum disciplinarum studiis, *imprimis* (singulari) *ad eum finem coluerat, ut rerum militarium prudentiam consequeretur.* Quae sententia quin dativo contineatur quum dubitari nequeat, illud emendationi nostrae non obesse iudicamus, quod exempla structurae *ingenium colere alicui rei* non in promptu sunt. — Heinsius coniecit *prudentia expolierat, ut a Sert.*; — Burmannus *prudentia celebraverat, ut a Sert.*; — Ed. Bipont. *prudentia extulit, ut a Sert.*; — Laurentius in Loc. Vell. p. 139. *prudentia excellere curarat, ut a Sert.*

validius] Amerb. *validus.*

1 XXX. Tum M. Perperna praetorius, e proscriptis, gentis clarioris quam animi, Sertorium inter coenam Oscae interemit, Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mor-
2 tem pessimo auctoravit facinore. Metellus et Pompeius ex Hispaniis triumphaverunt; sed Pompeius, hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus, ante diem, quam consulatum iniret, curru urbem invectus
3 est. Quem virum quis non miretur per tot extra-

• XXX, 1. *Tum M. Perperna*] Ed. pr. et Amerb. *Tum M. Perpenna.* V. supra ad II, 4, 1.

e proscriptis] Herelius p. 563. coniicit *unus e proscr.*, qui merus est Germanismus. V. ad II, 83, 3.

Oscae] Ed. pr. et Amerb. *Etoscae*, quod correxit Puteanus. Nulla enim fuit urbs nomine *Etoscae;* in Ilergetarum autem regione postremo bellasse Sertorium tradit Strabo III. p. 244. B. ed. Almel., ubi nihil certius est Puteani emendatione, pro ἐτελεύτα δὲ νόσῳ (ὁ Σερτώριος) scribendum esse ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκῃ. cf. Wesseling. ad Anton. Itiner. p. 391. Flor. III, 22, 9. et v. Ukerti Geogr. Gr. et Rom. Vol. II. P. I. p. 451. — Laurentius, ut corruptelae originem quodammodo monstraret, in Loc. Vell. p. 139. coniecit scriptum fuisse *U. Oscae*, i. e. *urbe Oscae;* — Heinsius *ut Oscae — facinore, Metellus* etc.; — Popma *et Oscae.*

Romanisque] Amerb. *Romanosque.*

§. 2. *Metellus et Pompeius*] Amerb. *Metellus Pompeius.*

ex Hispaniis triumphaverunt] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. est *ex Hispanis triumpharunt.*

hoc quoque triumpho adhuc eques Rom.] Haec verba in edd. mala interpunctione obscurantur; commate enim post *Pompeius* sublato et post *triumpho* posito fit, ut verba *adhuc eques Rom.* sensum inanem habeant, priora *hoc quoque triumpho* relata ad praedicatum *curru urbem invectus* ineptam contineant sententiam. Velleius ad priorem Pompeii triumphum respicit, de quo v. Plutarch. Pomp. c. XIV. Cic. p. L. Man. c. 21, 61. *Quid tam inauditum, quam equitem Rom. triumphare?* Eutrop. V, 6. Plin. H. N. VII, 26. — Friebelius in Graec. Satyrogr.

ordinaria imperia in summum fastigium evectum iniquo tulisse animo C. Caesaris in altero consulatu petendo senatum populumque Romanum rationem habere. Adeo familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere, et invidiam rerum non ad causam, sed ad voluntatem personasque dirigere. Hoc consulatu 4 Pompeius tribuniciam potestatem restituit, cuius Sulla imaginem inanem reliquerat. Dum Sertorianum bellum 5 in Hispania geritur, sexaginta quattuor fugitivi, e ludo

Fr. p. 148. coniecit *pro equestri triumpho*, vel *pro equo triumphali* etc.

§. 3. *quis non miretur*] Amerb. *quis nominetur.*

evectum] Ed. pr. et Amerb. *vectum*, pro quo ex constanti usu loquendi scribendum esse *evectum* recte vidit Heinsius. V. ad II, 4, 7.

iniquo tulisse animo] Amerb. *iniquo tulisse iniquo.*

C. Caesaris] Krausius putat fuisse *C. Caesaris absentis.* Sed hoc ipsum in re nota intelligi voluit auctor.

§. 4. *tribuniciam potestatem*] Ed. pr. et Amerb. *tribuniciam P.*, quod Ed. Basil. recte intellexit.

imaginem inanem] Ed. pr. et Amerb. *imaginem in iure*, quod corruptum esse ex *imag. inanem* Edd. Bipont. felici coniectura assecuti sunt, in quam etiam incidit Laurentius in Loc. Vell. p. 24. Sensu nihil posse commodius esse iam monuimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 128., neque litterarum ductus nimis discrepare facile concedes, si reputaveris scriptum fuisse *inanē*, praesertim *a* litterae apicibus paullo diductioribus. — Ed. Basil. scripsit *imag. sine re*, quod, quamvis fere omnibus editoribus et Menardo ad Cic. in Verr. I, 45. ac Burmanno ad Ovid. Met. III, 417. probatum fuerit, paene ineptum est. Nam licet *imagini* rectissime *res* nude opponatur, tamen *alicuius rei imago* non magis potest *cum re ipsa coniuncta esse*, quam *sine re esse*, aliudque est *nomen sine re*, aliud *imago sine re.* Vossius coniecit *im. sine iure*; — Heinsius *im. sine vi*; — Halmius in Emendd. Vell. p. 7 sq. *im. in republica*, in quod etiam incidit Casaub. ad Suet. Caes.

gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primo Vesuvium montem petiere, mox, in dies crescente multitudine, gravibus variis-
6 que casibus affecere Italiam. Quorum numerus in

c. 5; — Schoepferus in Adnott. crit. p. 23. Ed. principis scripturam defendit.

§. 5. *sexaginta quattuor fugitivi*] Ed. pr. et Amerb. *LXIV fug.* Lipsius malebat LXXIV *fug.*, ut Velleius congrueret cum Livii Epit. XCV. Sed recte Vossius: ut nihil hic, inquit, mutandum putem, facit maxima scriptorum dissensio, de qua v. Freinshem. ad Flor. III, 20, 3.

fugitivii — profugientes] Herelius offensus horum verborum coniunctione p. 563. suspicatur *servi publici — profug.*; — Krausius maluit *fugitivi — prorumpentes.* Neutro opus. Nam vulgato dicendi usu, ex re frequenti orto, *servi pessimi generis atque gladiatores* nude dicebantur *fugitivi*, cf. Doederlini Synonym. Lat. Vol. IV. p. 239. Cic. in Catil. II, 9, 19. *Non vident id se cupere, quod fugitivo alicui aut gladiatori concedi sit necesse.* Quare proprie et constanter a scriptoribus ita vocantur illi, qui Spartaco duce bellum illud cruentum moverunt; cf. in Verr. V, 2, 5. Epit. Liv. XCVI. et nobilissimum Sallustii ex libro Historr. III. Fragmentum, Kreyssigii ingenio illustratum, ubi septies ista vox legitur. Hunc usum secutus Velleius primum *fugitivos* in universum dicit, tum ad rem accuratius designandam addit *e ludo glad. Capua profugientes.* Male Krausius coniunxit *fugitivi e ludo gladiatorio.*

casibus affecere] Dukerus ad Flor. II, 18, 2. coniecit *cladibus affecere*, quod Ruhnkenius, Krausius, Orellius et Kreyssigius perperam receperunt. Nam quod illi volunt, loquendi usum obstare, id nihili est, quum ita dixerit Seneca Consol. ad Marc. c. 2. et Solin. c. 11. Non magis viderunt *clades*, quippe *Romanis excercitibus et ducibus* illatas, non bene convenire *Italiae*; sed ista terra sane *affecta gravibus variisque casibus*; cf. Sallust. Hist. lib. III. Fr. p. 28 sq. *Fugitivi contra praeceptum ducis rapere ad stuprum virgines matronasque; alii in tecta iaciebant ignis, multique ex loco servi, quos ingenium socios dabat, abdita a dominis, aut ipsos trahebant ex occulto; neque sanctum aut nefandum quicquam fuit irae barbarorum et servili ingenio.* Quae cum ubique fere fierent,

tantum adulevit, ut, qua ultima dimicavere acie, nonaginta milia octingenti hominum se Romano exercitui opposuerint. Huius patrati gloria penes M. Crassum fuit, mox reipublicae per omnia principem.

num *cladibus* potius, an *casibus* affectam Italiam dices? *Casum* pro *calamitate* dixit etiam Sallustius in eodem Fragmento; frequentem Taciti usum v. apud Boetticherum in Lex. Tacit. p. 82.

§. 6. *qua ultima*] Amerb. *quo ultima;* — Ed. pr. *qua ultimo.* Correxit Ed. Basil.

nonaginta millia octingenti] Ed. pr. $\overline{\text{XL}}$ a CCC; Amerb. $\overline{\text{XI}}$ *a* CCC. — Uterque numerus aperte est vitiosus; nam Appian. B. C. I, 117. totum fugitivorum numerum constitisse tradit *centum et viginti millibus,* epitomator autem Liv. lib. XCVII. et Orosius V, 24. *sexaginta millia caesa fuisse* narrant. Quare Rhenani numerum $\overline{\text{XL}}$ pariter ut Amerbachii $\overline{\text{XI}}$ ortum putamus ex $\overline{\text{XC}}$, ut coniecit Vossius; *a* autem corruptum ex *D* littera, numeri 500 nota, quae confusio haud est infrequens, ut II, 5, 1; II, 49, 2; II, 65, 2; II, 103, 3; cf. Kreyssig. Praef. p. XXV, et, quos ibi laudat, Drakenborch. ad Liv. X, 29, 17. et Angel. Maium ad Cic. de Rep. II, 20. p. 267. ed. Mos. Integer igitur numerus in cod. Velleii fuit $\overline{\text{XC}}$ DCCC; in quo quamquam DCCC quodammodo putidum videtur, tamen in eo acquiescendum est. — Ed. Basil. scripsit XL millia; — Vossius *XC millia;* — Heinsius *XC aut C* millia; — Drakenborch. ad Liv. Epit. 97. *LX millia;* — Laurentius in Loc. Vell. p. 29. *XL ac CC millia.*

exercitui] Amerb. *exercitu.*

Huius patrati] Kreyssigius Praef. p. XXVII. coniecit *huius belli patrati;* — Bothius scripsit *huius* (Spartaci) *prostrati;* sed vulgata proba est. *Huius* enim auctor paullo negligentiore oratione ad superiora verba *Sertorianum bellum* ita retulit, quasi iis subiecisset *Spartacium bellum,* quod re quidem, sed non vocabulo fecit. cf. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 101. et Halmii Emendd. Vell. p. 18.

reipublicae per omnia] Ed. pr. *Reip. omnium;* — Amerb. *rei p. omni,* ex qua discrepantia intelligitur in codicis Murb. scriptura aliquid dubii atque incerti fuisse. Quam exhibuimus verborum emendationem, in eam simul inciderunt Kreyssigius in Addend. p. 124. et Laurentius in Locis Vell. p. 47. *Per*

1 XXXI. Converterat Cn. Pompei persona totum in se terrarum orbem et per omnia maior aevo habebatur. Qui cum consul perquam laudabiliter iurasset se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum,

omnia, quod saepissime legitur apud Velleium, formula est exaggerationis, cui ille valde studet; cf. II, 31, 1; II, 33, 1; II, 35, 2; II, 40, 2; II, 69, 6; II, 97, 1; II, 91, 3; II, 100, 3; II, 125, 5; II, 127, 1; II, 130, 5; *principem* autem non capiendum est strictissimo sensu, sed significat *virum cum primis potentem*, quemadmodum supra II, 22, 3. Antonius orator dicitur *civitatis atque eloquentiae princeps;* v. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 11. p. 101. De corcuptelae genere cf. Prolegg. c. III. p. CVIII. — Ed. Basil. coniecit *Romanorum omnium principem;* — Ruhnkenius *Romani nominis principem;* — Lipsius *Romanorum opibus principem;* — Heinsius *reipublicae principem;* — Burmannus *reipublicae communis principem;* — Orellius *mox cum Pompeio et Caesare Romani nominis principem;* — Bothius *reipublicae somno* (quod explicat *per somnum, non re) principem;* — Barthius Advers. XVI, 7. *Romanorum hominum principem;* — Pontanus in Electt. I, 6. *Romani nominis mox futurum principem;* — Bergkius in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1834. No. 125. p. 1006. *reipublicae omnium confessione principem;* — Laurentius in Iahnii Nov. Ann. Phil. et Paed. Suppl. Vol. VI, 1. p. 13., priore emendatione sua improbata, *reipublicae omnis.*

XXXI, 1. *per omnia maior aevo*] Ed. pr. et Amerb. *per omnia maiore vi.* Quam huius loci emendationem primus invenisse mihi videbar in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 16. p. 137., in eandem, ut postea cognovi, iam inciderunt Acidalius et Popma, ac praeterea Morgensternius in Probabb. critt., eamque assensu suo comprobavit Iacobsius in Zimmermanni Annall. a. 1835. No. 58. p. 471. Nihil ista coniectura esse facilius et accommodatius per se patet; nam *ae* in codd. inde a saeculo XIII fere ubique simplici *e* scribebatur (v. ad II, 28, 3.); *o* autem in cod. Murb. saepius corruptum in *i*, v. Prolegg. c. III. p. LXXXIX. De male distractis syllabis v. ibid. p. CII. *Aevum* pro hominibus, qui aliqua aetate vivunt, eodem modo dixit Velleius II, 13, 2. et II, 36, 3., pariter ut *saeculum* II, 11, 1. De

idque servasset, post biennium A. Gabinius tribunus 2
legem tulit, ut, cum belli more, non latrociniorum,
orbem classibus iam, non furtivis expeditionibus pi-
ratae terrerent, quasdamque etiam Italiae urbis diri-

Pompeio autem similiter iudicat II, 40, 2. *Per omnia fortunam hominis egressus revertit in Italiam.* — Ed. Basil. coniecit *paene homine maior habebatur;* — Manutius per *omnia maior evehebatur;* — Schegkius *per omnia maior viro habebatur;* — Vossius *p. o. maior voto habebatur,* vel *p. o. maior aevi hab.,* de quo etiam Acidalius cogitaverat; — Heinsius *p. o. maior cive habebatur,* de qua coniectura v. quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1840. No. 37. p. 306 sq.; — Burmannus *p. o. maiore vi agebatur;* — Ruhnkenius *p. o. homine maior existimabatur;* — Grunerus *p. o. maior eius ratio habebatur;* — Iacobsius Praef. p. XXXI. *p. o. maior mortali hab.,* quem secutus est Orellius; — Pontanus in Electt. I, 6. *p. o. maior eo aevo,* vel *maior eo viro* (s. Crasso) *habebatur;* — Laurentius in Loc. Vell. p. 25. *p. o. homine maior esse videbatur;* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 148. *p. o. maior avis hab.;* — Schoepferus Adnotatt. crit. p. 23. *p. o. maiora vir habebatur;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 458. *par omni maiori vi hab.;* — Crusius in Misc. Obss. Nov. Vol. X. p. 384. *par omni maiorum aevo hab.,* — vel: *pari omnium, maior sors eius hab.;* — Schwarzius in Nov. Actt. Erud. Lips. a. 1733. p. 432. *per omnia maior e vi hab.;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 68. p. 567. *par animo* (sc. Crasso), *maior vi habebatur.*

§. 2. *classibus iam, non furtivis*] Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 444. propter loquendi usum scribi vult *classibus, non iam furtivis exp.,* coll. II, 115, 4. Handius contra de Particc. Lat. Vol. III. p. 133. vulgatum ordinem et interpunctionem *classibus, iam non furtivis exp.* defendit. Eam rationem per se bonam non impugno; sed loci natura mutatur oppositione, qua in utroque orationis membro aequaliter instituta efficitur, ut *iam non* particulae minime cohaereant. Nam ut in priore membro dicitur *belli* more, *non latrociniorum,* ita in altero est *classibus, non furtivis expe-*

puissent, Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur, essetque ei imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus usque ad quinquagesimum
3 miliarium a mari. Quo senatus consulto paene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur. Sed tamen idem hoc ante septennium in M. Antonio prae-

ditionibus; quae ratio non mutatur *iam* particula *classibus* addita, quum etiam sine ulla oppositione dici posset *piratae classibus iam orbem terrebant.*

quasdamque etiam Italiae] Amerb. *quasdam que Italiae.* Lipsius scripsit *quasdam etiam Italiae.*

aequum] Amerb. *aecuum.*

§. 3. *Quo senatus consulto*] Ed. pr. *quo senatus COS.;* Amerb. *quo S. C.* Cuiacius Obss. VII, 9. scribendum censuit *quo plebiscito*, quia ex Dione XXXVI, 7. Tom. I. p. 90. ed. Reim. constet concionem populi legem Gabinii statim ratam esse iussisse, contradicente senatu. Sed *senatusconsultum* h. l. est pro plebiscito, quod quidem senatus approbare vi coactus est, ut narrat Dio XXXVI, 20. p. 98. Krausius. cf. infra II, 38, 6. ubi similiter Clodii rogatio comitiis tributis de Catone in Cyprum mittendo facta et a plebe accepta non plebiscitum, sed *senatusconsultum* vocatur, senatu scilicet postea consentiente.

Sed tamen] Haec verba Gruterus deleri vult; — Heinsius coniecit *et tamen*; — Cludius *attamen*; — Bothius *sed* delendum censet; omnes offensi repetita ista particula. V. Prolegg. p. LXXVII sqq.

ante septennium] Ed. pr. et Amerb. *ante biennium*, quod tantopere a vero abhorret, ut ipsius Velleii in re notissima errore excusari nequeat. cf. Ascon. ad Cic. in Verr. II, 3, 8. *Antonius, gratia Cottae consulis et Cethegi factione in Senatu, curationem infinitam nactus totius orae maritimae.* Cotta autem cum Lucullo consul fuit anno 679 u. c. sive a. 74 a. Chr. n. Inter hunc igitur et eum annum, quo Gabinius legem tulit de imperio Pompeii, i. e. 686 u. c. sive 67 a. Chr. n., intersunt *septem* anni; cf. Popmam ad Sallustii Fragm. Historr. III, 39. Gerl. (Cort. 979.), et Zumptii Annali. vett. regn. p. 97 sq. Quare Krausio et Orellio praeeuntibus scripsi *ante septennium.* Kreyssigius Praef. p. XXVII. malit *a. sexennium*, quia vulgatum *biennium* ortum sit ex *VIennium*; — Bothius *ante in biennium.*

tore decretum erat. Sed interdum persona, ut exem- 4
plo nocet, ita invidiam auget aut levat. In Antonio homines aequo animo passi erant. Raro enim invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur. Contra in iis homines extraordinaria reformidant, qui ea suo arbitrio aut depositurі aut retenturi videntur,

in M. Antonio praetore] Ed. pr. et Amerb. *in M. Antoni praetura*, quod ad tempus indicandum insolens est et parum aptum, ad rem prorsus ineptum, quum de Pompeii et Antonii *persona* agatur. Correctio certissima debetur Boherio ad Cic. Tusc. V, 21. cf. Liv. XXVI, 2, 14. *Hoc idem in Cn. Fulvii legionibus nuper decretum.* V, 36, 9. *Ne id, quod placebat, decerneret in tantae nobilitatis viris, ambitio obstabat.* V. supra ad I, 12, 7. infra II, 41, 3. et ad Sall. Cat. c. LI, 35. p. 256. — Davisius ad Tusc. l. l. coniecerat *M. Antonio praetori;* — Cludius maluit *iam M. Antonio praetori.*

decretum erat] Gruterus delevit *erat.*

§. 4. *ut exemplo nocet*] Lipsius coniecit *ut exempla docent;* — Laurentius in Locis Vell. p. 139. *ut exemplum docet;* — Heinsius *ut exemplo prodest vel nocet, ita rei invidiam;* — Krausius *ut exemplo nocet, aut minus nocet;* — Orellius *ut exemplo nocet, aut non nocet.* Falsi omnes, eo maxime decepti, quod non assecuti sunt *ut — ita* particulas h. l. significare *quamquam — tamen;* cf. II, 28, 2; II, 33, 3; II, 36, 3: II, 59, 2; II, 120, 3. Tacit. Histor. I, 6, extr. I, 85, med. Sanissimorum enim verborum sensus hic est: interdum persona, quamquam exemplo (i. e. malo aliquo facto, quod alii ut exemplum sequuntur) nocet, tamen non semper eâdem invidiâ premitur, sed eam modo auget, modo levat, i. e. modo maiorem, modo minorem habet invidiam. Eandem sententiam planius etiam sic accipe: interdum *duo, quamquam idem faciant,* quod exemplo noceat, tamen *non eandem invidiam experiuntur,* sed pro personae ratione, acriorem alter, alter leviorem.

levat] Amerb. *leva.*

In Antonio homines] Ruhnkenius scripsit *Id in Antonio hom.;* — Heinsius *In Antonio id omnes.*

extraordinaria reformidant] Amerb. *extraordinaria re formidant.*

et modum in voluntate habent. Dissuadebant optimates, sed consilia impetu victa sunt.

1 XXXII. Digna est memoria Q. Catuli cum auctoritas, tum verecundia. Qui cum dissuadens legem in contione dixisset esse quidem praeclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium iam liberae reipublicae, neque omnia in uno reponenda, adiecissetque: Si quid huic acciderit, quem in eius locum substituitis? succlamavit universa contio, Te, Q. Catule.

consilia] Laurentius in Loc. Vell. p. 140. coniicit *eorum consilia*. Sed nude et in universum sibi opponuntur *consilia* et *impetus*, hoc sensu; *impetu*, non *consilio* res acta est.

XXXII, 1. *contione*] Ita Amerb.; Ed. pr. *concione*. V. Prolegg. c. III. p. CXXI.

liberae reipublicae] Ed. pr. *liber aere Reip.;* Burerius *liber acret reip.;* — Amerb. *liberae reip.*, cum rasura post *ae* litteram. — Burerius coniecit *libere imperaret reipublicae;* — Vascosanus *libere imperare reip.*, eo peius, quo certior est Rhenani coniectura in textu a nobis expressa, quam Ruhnkenius firmavit coll. Liv. III, 9, 2. *Maxime in consulare imperium, tanquam nimium nec tolerabile liberae civitati, invehebatur*, et interpp. ad VI, 11, 3. Tacit. Hist. III, 52. *Quippe nimius iam Antonius.* cf. Agricol. c. VII. *Legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat vicesima legio*, ubi Walchius p. 165. comparat Annall. II, 34. *Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat.* Sil. Ital. XV, 708. *Gelido nunc flumine soles frangebat nimios pecori.* — Warburton in Bibl. Brit. Vol. VII. p. 275. coniecit *nimium regiam liberae reipubl.*

substituitis] Vascosanus aliique scripserunt *substituetis*, quod etiam Halmius apud Orellium putavit necessarium. Futurum ex vulgari usu esse facile concedes, praesertim quum Graeci quoque scriptores in eadem re futurum adhibuerint, Plutarch. Pomp. c. XXV. Ἢ τινα ἕξετε ἄλλον, ἂν ἀπολέσητε τοῦτον; et Dio Cassius, cuius verba a Xiphilino servata Fabricius attulit ad lib. XXXV, 19, extr. p. 98. Κάτλου δὲ εἰρηκότος, τίνα ἄλλον ἀντ' αὐτοῦ εὑρήσετε; sed tamen praesens optime habet, siqui-

Tum ille victus consensu omnium et tam honorifico civitatis testimonio e contione discessit. Hic hominis 2 verecundiam, populi iustitiam mirari libet; huius, quod non ultra contendit, plebis, quod dissuadentem et adversarium voluntatis suae vero testimonio fraudare noluit. Per idem tempus Cotta iudicandi munus, 3 quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtulerant, aequaliter inter utrumque ordinem partitus est; Otho Roscius lege

dem Catulus, commotiore oratione usus, hoc intelligit: quem *nunc iam animo designatum habetis,* ut eum, si necesse fuerit, Pompeii loco imperatorem faciatis. cf. Billrothii Gramm. Lat. §. 216. not. 5. p. 274. Sall. Cat. c. LVIII, 9. *Si vincimus, omnia nobis tuta erunt.* Curt. V, 5, 15. *Coniuges parvosque liberos trahimus nobiscum, an relinquimus?* Drakenborch. ad Liv. II, 5, 1. et ad III, 56, 4. Reisig. Commentt. crit. ad Soph. Oed. Col. v. 91. p. 191. et Haasius ad Reisigii Gramm. Lat. §. 289. n. 452. p. 498.

§. 2. *huius*] Bothius scripsit *illius.*

adversarium voluntatis suae] Burmannus coniecit *advers. voluntati suae,* in quod etiam Laurentius in Locis Vell. p. 26. incidit; sine caussa idonea. cf. Tacit. Ann. III, 23, 5. *Lepida illustrium domuum adversa.* v. Zumptii Gramm. Lat. c. 72. §. 411. p. 365.

vero testimonio] Amerb. *vero testimonium.* Orellio in mentem venit eo contineri *testimonio morum.*

§. 3. *transtulerant*] Amerb. *transtulerat,* quemadmodum Cludius iam ex coniectura ediderat, probante Orellio et Kreyssigio. Sed non est, cur Rhenani disertam, Burerii tacitam auctoritatem Amerbachii fidei postponamus, cum loquendi usus pluralem satis tueatur; cf. II, 67, 3. *Antonius L. Caesarum avunculum, Lepidus Paulum fratrem proscripserant.* II, 91, 1. *Signa romana, quae Crasso oppresso Orodes, quae Antonio pulso filius eius Phrahates ceperant.*

inter utrumque] Amerb. *in utrumque,* quod Orellius probavit, Rhenanum correctionis haud necessariae arguens. Sed Amerbachius potius erravit, qui *inter* compendio scriptum cum

4 sua equitibus in theatro loca restituit. At Cn. Pompeius multis et praeclaris viris in id bellum assumptis, descriptoque in omnis recessus maris praesidio navium, brevi inexsuperabili manu terrarum orbem

in confuderit, quod saepius factum esse recte monuit Kreyssigius Praef. p. XXVIII, coll. Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 57, 6. v. etiam Hand. de Particc. Lat. Vol. III. p. 410.

Otho Roscius] Ed. pr. et Amerb. *ut Horoscius.* Veram scripturam restituit Puteanus. De lege Roscia theatrali, lata a L. Roscio Othone, qua sancitum fuit, ne quis in quattuordecim gradibus orchestrae proximis sederet nisi equites, res est notissima; cf. Livii Epit. lib. XCIX. Cic. Philipp. II, 18, 44. p. Muren. c. 19, 40. Ascon. ad eiusd. or. p. Corn. p. 632. ed. Verburg. Plin. H. N. XXXIII, 8. et 12. Tacit Annall. XV, 32. Sueton. Aug. c. XL. Dio Cass. XXXVI, 25. p. 101. Reim. Plutarch. in vita Cic. c. XIII. — Burerius coniecit *et Horoscius;* — Aldus Nepos *L. Roscius;* — Ed. Basil. *ut Roscius;* — Krausius *et Otho Roscius.*

restituit] Aldus Nep. coniecit *constituit,* vel *distribuit*: — Lipsius *instituit.* Sed verbo *restituit,* quo Velleius usus est, etiam in hac lege commemoranda bis utitur Cicero p. Muren. c. 19., ut credibile sit, quod Puteanus suspicatur, equites aliquando ante hanc legem separatis a plebe locis sedisse. A qua ratione se non alienum profitetur Ernestius in Ind. Legg. v. *Roscia.* Ruhnkenius.

§. 4. *descriptoque*] Amerb. *discripto quos ue.* Inde Orellius coniecit scribendum esse *descripto quoque;* — Laurentius in Loc. Vell. p. 140. *distributo quoquoversus.* Sed recte iudicat Kreyssigius in Praef. p. XXIX. errare eos, qui in Amerbachii scriptura aliud quid, quam negligentiae documentum quaerant, quippe qui, quum per errorem *quos* scripsisset, *ue* addiderit, ut *que* legendum esse significaret, non deletis *uos* litteris. Ed. principis lectionem firmat Burerii silentium, quem non credibile est in tali scripturae monstro, quale Amerb. edidit, siluisse.

inexsuperabili manu] Herelius p. 563. coniicit *inexsup. malo,* quod Huthio quoque in Quaestt. critt. p. 13. probatum recepit Orellius. Sed nihil obstat, quominus *manus* de praedonum copia intelligatur, quam Velleius consulto ita vocavit, quia illi *iustum exercitum* non habebant. Quod si reputaveris, facile senties indignitatem atque infamiam vexationum, quibus piratae

liberavit, praedonesque per multa ac multis locis victos circa Ciliciam classe aggressus fudit ac fugavit. Et quo maturius bellum tam late diffusum conficeret, reliquias eorum contractas in urbibus remotoque mari

Italiam continuo affecerunt, egregie significari eo, quod *inexsuperabilis manus* dicuntur. — Cludius scripsit *ab inexsup. manu*, ambiguitatem vitaturus, quae, nisi forte pueris, nulla est.

per multa ac multis locis victos] Ed. pr. *per multa a multis locis victos;* Amerb. *per m˜lta a multis locis victis.* Nihil facilius est ac planius Burerii correctione, *a* in *ac* mutantis, quae corruptela etiam supra I, 14, 4. fuit. Similiter infra II, 95, 3. *nec* abiit in *ne*. *Per multa*, ut ostendimus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 16. p. 137., significat *multis consilis et apparatibus*, omninoque *multis artibus belliqque modis;* cf. Dion. Cass. XXXVI, 20. p. 98. Reim. πολλῇ μὲν γὰρ καὶ τῇ παρασκευῇ τῇ τε τοῦ ναυτικοῦ, καὶ τῇ τῶν ὁπλιτῶν ἐχρῆτο. Flor. III, 6, 11. *Per omnes aequoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum et oppressum est.* Simili dictione Velleius usus est II, 110, 6. *Occupata armis Macedonia; omnia et in omnibus locis igni ferroque vastata.* Ed. Basil. coniecit *per multa proelia multis locis victos;* — Ed. Bipont. *per multa maria multis loc. vict.*, quod probavit Morgensternius in Probabb. crit.; — Vossius *per multa proelia ac multis loc. vict.;* — Heinsius *per multa proelia iam multis loc. vict.;* — Burmannus *per multa loca a multis victos;* — Lipsius *per multos multis loc. vict.*; — Gruterus *permultis locis victos;* — Orellius *per X ultra annos multis loc. victos;* — Halmius apud Orellium *per multa tempora multis locis victores;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 13. et Laurentius in Locis Vell. p. 27. *permultis iam aliis locis victos;* — Schoepferus in Adnotatt. crit. p. 24. *per M. naves ac multis locis cinctos.*

quo maturius] Amerb. *quod maturius.*

§. 5. *in urbibus*] Gruterus aut haec verba delenda censet, aut *in certa sede.* — Bothius *in urbibus remotoque mari loco* tanquam glossema uncinis inclusit.

remotoque mari loco] Ed. Basil. *rem. a mari l.*, quo non

6 loco in certa sede constituit. Sunt, qui hoc carpant; sed quamquam in auctore satis rationis est, tamen ratio quemlibet magnum auctorem faceret. Data enim facultate sine rapto vivendi rapinis arcuit.

1 XXXIII. Cum esset in fine bellum Mithridaticum, et L. Lucullus, (qui ante septem annos ex consulatu sortitus Asiam Mithridati oppositus erat,

opus esse iam Ruhnkenius monuit, coll. Cic. or. c. 2. Suet. Tib. c. 42. Tacit. Ann. II, 50, 4.

in certa sede] Amerb. *incerta sede.*

§. 6. *tamen*] Ed. pr. et Amerb. a pr. manu *tum*, a sec. manu *tamen*, ut Ed. Basil. ex coniectura scripsit. Error natus est similitudine compendiorum; v. Drakenborch. ad Liv. XXII, 17, 12. — Bothius *tum* retinens, pro *quamquam* scripsit *cum.*

arcuit] Amerb. *arguit.*

XXXIII, 1. *bellum Mithridaticum*] Ed. pr. et Amerb. *bel. Piraticum*, quod neque cum sequentibus verbis potest conciliari, et historiae aperte repugnat. Nam verba *cum in fine esset bellum* non significant *ad finem perducto bello*, ut Schoepferus in Adnott. crit. p. 24. imperite censet, sed *sub finem belli;* plane autem *confectum* fuisse bellum piraticum, quum Manilius legem suam ferret, intelligitur ex Cic. p. L. Manil. c. 12. Quare optime Santenius apud Ruhnkenium coniecit *Mithridaticum*, approbantibus omnibus, praeter Laurentium, qui in Locis Vell. p. 140. *Piraticum* scriptoris errori tribuit, non aliam ob caussam, quam, quia Velleius in eadem periodo *bellum Mithridaticum — idem bellum, — bellum Mithridaticum* dicere non potuerit. At potuit ita dicere, et dixit haud dubie, quamquam non eleganter, sed oratione paullum diffluente, et ad familiarem consuetudinem instituta. cf. Prolegg. c. II. p. LXXII sq.

et L. Lucullus] Ed. pr. et Amerb. *cum et L. Lucullus.* Krausius recte vidit *cum* particulam delendam esse, quippe quae nullo modo simul cum *et* vocula, sive ea copula est, sive pro *etiam* posita, stare possit, et aperte geminatione syllabae praecedentis orta sit. v. Prolegom. c. III. p. CXII.

ex consulatu] Ed. pr. et Amerb. *ex COS.*, quod est *ex consulatu*, ut recte vidit Vossius; cf. Duker. ad Flor. III, 21, 17.

magnasque et memorabilis res ibi gesserat, Mithridaten saepe multis locis fuderat, egregia Cyzicum liberarat victoria, Tigranen, regum maximum, in Armenia vicerat ultimamque bello manum paene magis noluerat imponere, quam non potuerat, qui alioqui per omnia laudabilis et bello paene invictus pecuniae pellebatur cupidine,) idem bellum adhuc administraret,

et Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 646. §. 5. — Ursinus coniecit *ex S. C.*; — Heinsius maluit *ex consule.*

Mithridaten — Tigranen] Amerb. *Mithridatem — Tigranem*, haud dubie ex coniectura, qua non opus est; v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 41. Infra §. 4. *Xerxen;* II, 24, 1. et II, 37, 1. *Mithridaten;* II, 46, 4. *Euphraten;* II, 73, 3. *Menecraten;* II, 82, 3. *Artavasden;* II, 118, 4. *Segesten.*

Mithridaten saepe] Cludius parenthesis signum, quod omnes recte habent ante *qui,* transtulit ante *Mithridaten,* ac simul *enim* ante *saepe* inseruit.

regum maximum] Vix mihi temperare potui, quin scriberem *regem maximum.* Nam nescio quid ineptum habet ac Romanis moribus repugnans, quemquam regem a scriptore Romano dici *regum maximum.* Eo insolentius autem *Tigranes* ita dicitur, quum Mithridates et opibus et ingenio longe illo esset superior. At quin ille *rex maximus*, i. e. valde potens et clarus, nominetur, nihil obstat; cf. II, 37, 2.

qui alioqui] Cludius scripsit *quippe alioqui;* — Bothius *quia, alioqui.*

pellebatur] Ed. pr. *expellebatur;* Amerb. *pellebatur,* quod Orellius et Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 37. p. 309. merito pro vera scriptura habuerunt. Quippe similitudine a certamine desumpta *pellebatur* opponitur voci *invictus* hoc sensu: *bello invictus pecuniae cupidine tanquam a validiore hoste subigebatur.* Cf. Plaut. Trinum. II, 2, 33. *Si animus hominem pepulit, actumst; animo servit, non sibi; sin ipse animum pepulit, vivit, victor victorum cluet,* quo loco planissime patet *pelli* idem esse atque *vinci.* Tacit. Hist. III, 24, med. *Admonens ut nuper Sarmatas pepulissent.*

Manilius tribunus plebis, semper venalis et alienae minister potentiae, legem tulit, ut bellum Mithridati-
2 cum per Cn. Pompeium administraretur. Accepta ea, magnisque certatum inter imperatores iurgiis, cum Pompeius Lucullo infamiam pecuniae, Lucullus Pom-

Discrepantiam Ed. pr. Froehlichius l. l. bene inde repetit, quod, quum in cod. Murb. *a* littera in hunc modum *cc* esset formata, ut saepissime fieri monuit Burerius ad p. 24. v. 39. (cf. §. 4. et not. ad. II, 29, 5. II, 40, 2.), Rhenanus verba *pecuniccepellebatur* legeret *pecunie* (i. e. *pecuniae) ecpellebatur*, idque in *expellebatur* mutaret, Burerio in ea re consentiente. — Aldus Nepos coniecit *explebatur;* — Acidalius *excellebatur;* — Lipsius *debellabatur;* — Gruterus *exbellabatur;* — Heinsius *impellebatur;* — Burmannus *expugnabatur;* — Ruhnkenius *exercebatur;* — Grunerus *impediebatur;* — Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 550. ad *expellebatur* supplendum censet *ex Asia,* ita ut haec verba opponantur superioribus *sortitur Asiam.*

potentiae] Warburtonus in Bibl. Brit. Tom. VII. p. 276. coniecit *impotentiae.*

§. 2. *infamiam pecuniae*] Lipsius coniecit *infamem pecuniae,* sc. *cupiditatem;* — Heinsius *famem pec.* vel *insaniam pecuniae.* Sed nihil sollicitandum. *Infamia pecuniae* est infamia collecta ex pecuniae cupidine, ut apud Caes. B. C. I, 4. *infamia duarum legionum* est infamia, quam Pompeius sibi contraxerat ob duas legiones interceptas. Avaritiam in Lucullo notant etiam Seneca Pat. Controv. IV, 25. p. 308. et Plutarch. in Lucull. c. XXXIII. Ruhnk.

neuterque] Ed. pr. et Amerb. *ne uterque;* Burer. *neuterque;* — Rhenanus coniiciebat *nec uterque,*

ab eo, quo arguebatur] Ed. pr. et Amerb. *ab eo, quod arguebatur.* Facillima ratione, *quod* in *quo* mutato (v. II, 32, 5.) Ed. Basil. veram lectionem restituit. Acumen quaesivit Velleius eodem verbo vario sensu posito; nam quum priore loco *argui* sit *criminibus peti,* altero *convinci,* praepositio autem ante relativum cogitatione repeti debeat (v. ad I, 7, 1.), sententia haec est: *neuterque ab eo, a quo arguebatur* sive *probris afficiebatur* (i. e. uno verbo *ab adversario) convinci posset mentitus esse,* i. e. *falsa esse quae illi obiecisset.* Idem brevius dixit

peio interminatam cupiditatem obiiceret imperi, neuterque ab eo, quo arguebatur, mentitus argui posset. Nam neque Pompeius, ut primum ad rempublicam 3 aggressus est, quemquam animo parem tulit, et in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupie-

Tacitus Hist. I, 74, 1. *Otho et Vitellius stupra et flagitia invicem obiectavere; neuter falso.* — Aldus Nepos coniecit *ab eo, quod arguebat;* — Acidalius *adeo quod arguebat, id,* vel *adeo quod arguebat, ut;* — Lipsius *adeo, quod arguebat;* — Heinsius *eo, quod arguebat, ut;* — Munckerus apud Heinsium *ab eo, qui arguebat;* — Ortuinus apud eundem *in eo, quo arguebatur;* — Burmannus *ab altero, quod arguebat;* — Ruhnkenius *ab eo, quem arguebat;* — Ed. Bipont. *ab eo, qui arguebatur;* — Cludius *in eo, quode arguebat;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 459. *ab eo, a quo id arguebatur;* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 148. *adeo, quo de arguebat alterum;* — Gruterus *verba ab eo quod arguebatur* ut glossema delenda censet, non multum dissentiente Ruhnkenio, obsequente Bothio; — Krausius *ab eo* ut spuria uncinis inclusit, *quod arguebatur* retinuit; — Schoepferus in Adnott. critt. p. 24. Ed. pr. lectionem tuetur, tantummodo insolita collocatione *quod* pronominis, in constructione ante *ab eo* ponendi, obscuriorem esse dicens.

§. 3. *ad rempublicam*] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. deest *ad*, Rhenani, vel, quod verisimilius, typothetae lapsu.

animo parem] Acidalius coniecit *omnino parem;* — Lipsius *aequo animo parem;* — Ruhnkenius *magnitudine parem.* Sed vulgata sana est. *Quemquam animo parem* dictum est pro *quemquam animo pari,* quem morem adiectivi, ad praedicatum pertinentis, cum subiecti vel obiecti nomin econiungendi uberius illustravimus ad Sall. Cat. c. LIII, 6. p. 286. et ad Iug. c. LXIII, 7. p. 344. cf. supra II, 11, 1. *Marius fuit vita sanctus.* II, 29, 3. *Pompeius innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia medius.* II, 34, 3. *Cicero ut vita clarus, ita ingenio maximus.* II, 41, 1; II, 73, 1; II, 118, 2; II, 106, 1; II, 108, 2; II, 117, 2. Verba igitur significant *quemquam, qui pari* sive *eodem animo esset,* i. e. *qui eadem cuperet, eadem animo agitaret, eodem, quo ipse, ani-*

bat, (neque eo viro quisquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit; in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus, ut qui eos ut libentissime iniret, ita finiret aequo animo, et quos
4 cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret,) et

mum intenderet. Tales homines non *tulisse* Pompeium et Velleius ipse narravit supra II, 29, 3. II, 30, 3., et alii tradiderunt auctores, velut Caes. B. C. I, 4. Senec. Cons. ad Marc. c. 14. Lucan. I, 125. Flor. IV, 2, 14. Dio Cass. XLI, 54. p. 296. Reim., qui loci Ruhnkenio debentur. — Heinsius, vulgatam retinens, coniungit *animo tulit.*

in quibus rebus] Heinsius coniecit *in qua is urbe,* quod merito damnavit Wopkens. Lectt. Tull. I, 16. p. 94. ed. Amstel.

primus esse debebat] Lipsius coniecit *pr. esse havebat;* — Gruterus *pr. esse cupiebat;* — Ruhnkenius *primum esse decebat;* — Moebius apud Cludium in Corrig. et Add. p. 243. *primus esse cupiebat, solus esse debebat;* — quam transpositionem non improbans Cludius l. l. pro *debebat* mavult *contendebat.* Vulgatae integerrimae sensus est: *in quibus rebus summus iure meritoque erat* etc.

neque eo viro magis concupiit] Haec verba Bothius transposuit post *deponeret,* ac parenthesi, quam a verbis *in appetendis honoribus* incipit, inclusit.

ut qui eos] Lipsius coniecit *et qui eos;* — Burmannus *at qui eos;* — Krausius *qui eos,* omisso *ut,* scilicet ne eadem particula bis legeretur! v. Prolegg. p. LXVII sq. *Ut qui* est *quippe qui;* v. Goerenz. ad Cic. de Finn. V, 24, 69.

libentissime] Acidalius coniecit *libentissimo* ob concinnitatem, probante Krausio, qui non vidit satis concinnam esse vulgatam, atque adeo concinnoirem ista coniectura. Certe debuisset simul scribi *ita aequo finiret animo,* vel *ita animo finiret aequo.*

quos cupisset] Ed. pr. et Amerb. *quod cupisset.* Ex coniectura nostra scripsimus *quos,* quum non solum ex universa mente et consilio auctoris pateat eum de solis *honoribus* loqui, sed etiam verba ipsa tum ad nectendas sententias adhibita *(ut qui eos),* tum ad rem declarandam posita *(sumere — deponeret),* evincant *honores* totius enunciationis obiectum esse. Si quis vero

Lucullus, summus alioqui vir, profusae huius in aedificiis convictibusque et apparatibus luxuriae primus auctor fuit, quem ob iniectas molis mari et receptum suffossis montibus in terras mare haud infacete Magnus Pompeius Xerxen togatum vocare assueverat.

dicat eandem sententiam etiam neutro relativi indicari, is profecto nescit quatenus pateat licentia generalem sententiam pro definita ponendi.

arbitrio suo] Cludius in Corrig. et Add. p. 243. coniicit *arbitrio alieno sumeret, suo deponeret.*

sumere] Acidalius scripsit *sumeret*, ac simul commate post *cupisset* distinxit, quod Ruhnkenius, Krausius, Orellius, alii, perperam probarunt. Non *sumpsit* enim Pompeius arbitrio suo honores, quos cuperet, sed *cupivit sumere suo arbitrio*, i. e. cupivit tantum potentia valere, ut, quemcunque vellet honorem, eum populus sibi, quasi ad nutum, deferret; paratus tamen deponere, ubi vel leges vel civium vota poscerent.

§. 4. *et Lucullus*] Acidalius, probante Heinsio, coniecit *at Lucullus*, vel *sed Lucullus;* — Ed. Basil. delevit *et.* Falso; *et Lucullus* respondet superioribus *neque Pompeius.* Quare verba *neque eo viro — alieno deponeret*, quae in omnibus edd. praecedentibus adiuncta sunt, parenthesis signo inclusimus, ne quis particulas *neque — neque* sibi respondere putet, in quo errore praeter alios est etiam Ruhnkenius, qui *et* transitioni inservire dicit.

mari] Hanc vocem Bothius tanquam a glossatore profectam uncinis inclusit.

infacete] Ed. pr. *infectae;* at Amerb. *infacete*, melius quam Rhenanus et Burerius scripturam cod. Murb. assecutus. Nam *infectae*, quod illi legerunt, nihil aliud est, quam infāte, compendium vocis *infacete; a* enim, sic scriptum *cc*, confusum cum *ec* (v. ad §. 1.), *e* autem habitum pro *ae* (v. ad II, 28, 3.). — Bothius scripsit *inficete;* perperam, quum aliud sit *inficetus*, aliud *infacetus;* v. Doederlini Synon. Lat. Vol. II. p. 83. — Burmannus maluit *inepte.*

Xerxen] Ed. pr. et Amerb. *Xersen*, haud infrequenti litterarum *x* et *s* in codd. confusione; v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. P. I. p. 354.

1 XXXIV. Per id tempus a Q. Metello Creta insula in Populi Romani potestatem redacta est, quae ducibus Panare et Lathene quattuor et viginti milibus iuvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, 2 per triennium Romanos exercitus fatigaverat. Ne ab huius quidem usura gloriae temperavit animum Cn. Pompeius, qui victoriae partem conaretur vindicare. Sed et Luculli et Metelli triumphum cum ipsorum sin-

XXXIV, 1. *Lasthene*] Amerb. *Lasthane.* cf. Dio Cass. XXXVI, 2. p. 88. Flor. III, 7, 6.

§. 2. *Ne ab huius quidem*] Ed. pr. et Amerb. *Ab huius quidem.* Restituto *ne* locum sanavit Ed. Basil.; nam istam vocalam excidisse manifesto patet ex *quidem* particula, cf. II, 68, 1. Rhenanus eundem sensum quaerebat coniiciendo *vix temperavit*, quod etiam Friebelio in Graec. Satyrogr. Fr. p. 148. in mentem venit. Huthius in Quaestt. critt. p. 24. coniecit *Ad hoc usque videmus, ut a gloria temperavit animum Cn. Pompeius.*

usura gloriae] Ed. pr. et Amerb. *usurae gloria*, vocabulorum terminationibus vitiose commutatis, de quo corruptelae genere v. Prolegg. c. III. p. XCVI. Verum iam assecutus est Rhenanus. Verborum ordine offensi Ed. Bipont. scripsere *gloriae usura.* V. Prolegg. c. II. p. LXXIII.

qui victoriae] Ed. Basil. scripsit *quin victoriae*, quod omnes editores cupide arripuerunt. Sed ex *temperavit* verbo, quod cum accusativo *animum* coniunctum ad verba *ab usura gloriae* pertinet, nullo pacto potest simul enunciatio per *quin* particulam suspensa esse. Ea enim huius loci ratio est, ut prior enunciatio plenam sententiam contineat, posterior explicationem rei enunciatae adiiciat, in quo nexu *qui* per se idem valet, quod *quippe qui*, vel *ut qui.*

vindicare] Cludius suspicatur *sibi* ante hoc verbum excidisse. Male; cf. II, 100, 3; II, 105, 1; II, 112, 5. et 6; II, 121, 2.

§. 3. *qui effecit*] Oudendorpius apud Ruhnkenium ma-

gularis virtus, tum etiam invidia Pompei apud optimum quemque fecit favorabilem. Per haec tempora 3
M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimae et ut vita clarus, ita ingenio maximus, qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur, consul Sergi Catilinae Lentulique et Cethegi et aliorum utriusque ordinis virorum coniurationem singulari virtute, constantia, vigilia curaque aperuit. Catilina metu consularis imperi 4

luit *quique effecit*, perperam ratus hoc alterum *qui* adiungi illi priori. Verba *qui effecit* etc. non pertinent ad *Cicero*, qui est subiectum totius enunciationis primarium, sed ad nomen appositum *vir ingenio maximus*.

utriusque] Burer. et Amerb. *utrius*, quod Rhenanus in textu Ed. pr. tacite correxit, ut par erat; *que* enim absorptum proximâ *o* littera, v. ad II, 20, 2; II, 28, 2; II, 39, 1. *Utrius* obsoleta doctrina defendit Vossius.

aperuit] Ed. pr. et Amerb. *eripuit*, ortum ex apuit, i. e. *aperuit*, ut sagaci coniectura assecutus est Ed. Basil. Eodem sensu Cicero in or. p. Sulla c. 2, 4. de se ipso dicentem facit Torquatum: *Tu investigasti, tu patefecisti coniurationem. Quod quum dicit, non attendit, eum, qui patefecerit, hoc curasse, ut id omnes viderent, quod antea fuisset occultum.* Id. or. in Catil. IV, 3, 5. *Mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse coniurationem decrevistis.* Flor. IV, 1, 5. *Ciceronis industria rem* (sc. Catilinae coniurationem) *patefecit.* — Aldus Nepos coniecit *exstinxit* vel *oppressit;* — Lipsius *eruit;* — Bothius *repulit;* — Schoepferus in Adnott. critt. p. 25. *elicuit;* — Heinsius, ut *eripuit* tueretur, supra *coniurationem* mutandum censuit in *coniurationi rempublicam.*

§. 4. *consularis imperi*] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. *consularis* deest, Rhenani errore. *Consulare imperium* h. l. est extraordinarium illud consulibus demandatum solenni formula, darent operam, ne quid respublica detrimenti caperet; cuius vim

urbe pulsus est; Lentulus consularis et praetor iterum Cethegusque et alii clari nominis viri auctore senatu, iussu consulis in carcere necati sunt.

1 XXXV. Ille senatus dies, quo haec acta sunt, virtutem M. Catonis, iam multis in rebus conspicuam
2 atque praenitentem, altissime illuminavit. Hic geni-

explicat Sall. Cat. c. XXIX, 2 sq. et Plut. in vita Cic. c. XIV. KRAUSIUS.

pulsus est] Munckerus apud Heinsium *est* abesse maluit.

XXXV, 1. *quo haec acta sunt*] Haec verba, quae primus Ruhnkenius in suspicionem glossematis vocavit, non aliam ob caussam, quam quia *dies* nude et simpliciter pro *actis alicuius diei* dicatur, uncinis inclusit Krausius, e textu eiecit Cludius. Sed si haec spuria sunt, nihil in toto Velleio sanum est atque integrum; v. Prolegg. c. II. p. LVIII. Simplicissimus verborum sensus est: *ille dies, quo haec in senatu acta atque decreta sunt*, in quo quid offenderit viros doctos difficile est ad intelligendum.

altissime illuminavit] Ed. pr. et Amerb. *in altissimo luminavit*, quam corruptam lectionem iam a Rhenano felicissime emendatam fuisse praeter Ruhnkenium et Krausium ad h. l., Wopkensium in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 44. et Oudendorp. ad Apulei. Met. VI. p. 411. vix quisquam sensit. *In* natum ex avulsa *m* littera praecedentis vocabuli, idque ipsum in caussa fuit, cur *altissime* in *altissimo* abiret. *Altissime illuminare* autem, locutio plane Velleiana, significat *maxime illustrem reddere*. *Altum* enim et *excelsum* Velleii aetate dici coepit id, quod esset in suo genere summum, excellens, egregium; cf. I, 9, 6. *Invidia altissimis adhaeret.* Quintil. I, 4, 6. *Altissima eruditio.* Id. II, 13, 15. *Altissima prudentia.* Vellei. II, 22, 2. *Excelsissimi viri.* II, 96, 3. *Excelsissimae victoriae.* II, 101, 1. *Excelsissimus iuvenis.* II, 114, 4. *Excelsissimi duces.* I, 6, 3. *Sparta excelsissime floruit.* Pariter frequens est usus *illuminare* verbi; cf. I, 18, 3. *Nisi Thebas unum os Pindari illuminaret.* II, 18, 3. *Horum fidem Mytilenaeorum perfidia illuminavit.* II, 66, 5. *Quod ille eloquentiâ illuminavit.* Quintil. VIII, 3, 73. *Debet, quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius*

tus proavo M. Catone, principe illo familiae Porciae, homo Virtuti simillimus et per omnia ingenio diis quam hominibus propior, qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non potuerat, cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet iustitiam, omnibus humanis vitiis im-

eo, quod illuminat. — Burmannus coniecit *in altissimo lumine locavit* vel *collocavit;* — Cludius *in clarissimo lumine monstravit,* vel *collocavit;* — idemque in Corrig. et Add. p. 244 *in altissimum sublimavit;* — Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 337. *altissimo lumine illuminavit;* — Kreyssigius Praef. p. XXIX. *clarissime illuminavit;* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 149. *clarissime luminavit;* — Bothius *praenitentem altissimis, illuminavit;* — Laurentius in Locis Vell. p. 141. in Ed. pr. lectione acquiescit.

§. 2. *homo Virtuti simillimus*] Ed. pr. et Amerb. *non Virtuti simillimus.* Correxit vitium Burerius qui: „Suspicor, inquit, librarium *homo* sic *ho* scriptum pro *non* aspexisse; nam si aspirationis caudam, quam sursum erectam habet, non longule in altum protraxeris, *n* esse cuivis non penitus introspicienti videtur.“ In tam plana re ac sententia commodissima nihilominus alii alia tentarunt; Grunerus *homo virtuti animo simillimus;* — Ed. Bipont. *virtuti consimillimus;* — Orellius *animo virtuti simillimus*; — Bothius *non vir tantum sublimis, sed;* — Heinsius *homo non virtuti ei* (sc. proavo) *solum simillimus, sed;*— Kreyssigius Praef. p. XXX. *non virtute simillimus, sed;* — Laurentius in Locis Vell. p. 30. *huius virtuti simillimus.*

potuerat] Ed. Basil. scripsit *poterat,* Ruhnkenio, Krausio, Orellio, aliis probatum. Sed plusquamperfectum ferri potest, quippe cuius ratio in *posse* verbo non diversa sit ab usu futuri exacti, pro praesente vel futuro simplici positi, quem illustravit Zumptius in Gramm. Lat. c. 76, 12. §. 510. p. 439.

iustitiam] Ed. pr. et Amerb. *iustitiae.* Accusativum utique necessarium, ut docet oppositio (v. ad II, 28, 2. et 3.), restituit Ed. Basil. Dictionis latinitate offensus Heinsius maluit *quod daretur iustitiae;* ad quem refutandum Krausius comparat Plat.

3 munis semper fortunam in sua potestate habuit. Hic, tribunus plebis designatus et adhuc admodum adulescens, cum alii suaderent, ut per municipia Lentulus coniuratique custodirentur, paene inter ultimos interrogatus sententiam, tanta vi animi atque ingeni

Phaed. c. 10. p. 165. ἆρα ἔχει ἀλήθειάν τινα ἡ ὄψις; Cic. Off. II, 22, 79. *Quam habet aequitatem, ut agrum qui nullum habuit, habeat.* in Catil. IV, 4, 7. *Habere videtur ista res iniquitatem.* cf. Annotat. nostram ad Sall. Cat. c. XI, 3. p. 56. — Warburtonus in Bibl. Brit. Vol. VII. p. 282. coniecit *cuique is solum visus est rationem habere, qui adhaeret Iustitiae, omnibus hum. votis immunis;* — Cludius in Corrig. et Addend. p. 244. *quod haberet iustitiae vim.*

omnibus] Cludius scripsit *qui omnibus*, non assecutus haec verba non cum interpositis enunciationibus relativis cohaerere, sed ad superiora illa *hic genitus — homo — propior* pertinere. Bothius totam enunciationem *omnibus — habuit* tanquam pannum ταυτολόγον, male cohaerentem et ab aliena manu assutum uncinis inclusit.

§. 3. *Hic tribunus*] Cludius *hic* pronomine deleto hanc enunciationem cum antecedente coniunxit.

designatus et adhuc] Burer. et Amerb. *designatus est, adhuc;* Ed. pr. *designatus adhuc,* ex tacita Rhenani coniectura, qui *est* ferri non posse sentiret. Sed unice vera est Vossii emendatio *est* in *et* mutantis; nam verba *adhuc admodum adulescens* non pertinent ad praecedentia *trib. pl. designatus,* sed ad explicandum id, quod infra sequitur, *paene inter ultimos interrogatus sententiam.* Nam, ut par erat, natu maiores et dignitate ceteris praestantes priores sententiam rogabantur.

interrogatus] Herelius p. 564. mavult *rogatus,* quamquam ipse comparavit Liv. XXX, 23. et Sueton. Caes. c. XXI.

eo ardore oris] Ed. pr. et Amerb. *et ardore oris.* — Quod Lipsius verissime coniecerat *eo ard. oris,* in idem postea incidit et Vossius, et Iacobsius Praef. p. XXXII. sciteque defendit Bardilius in Friedemanni et Seebodii Misc. critt. a. 1822. Vol. I. P. II. p. 384. collatis aptissimis locis Quintiliani X, 1, 76. *Tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod de-*

invectus est in coniurationem, eo ardore oris orationem omnium, lenitatem suadentium, societate consili 4
suspectam fecit, sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis et commutatione status publici pericula exposuit, ita consulis virtutem amplificavit, ut universus

sit in eo, nec quod redundet, invenias. X, 1, 121. *Ea est facundia, tanta in explicando, quod velit, gratia, tam candidum et lene et speciosum dicendi genus, tanta verborum — proprietas, tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia;* unde luce clarius patet Velleium vocabulis *tanta — eo — sic — ita* orationi varietatem atque gravitatem conciliare studuisse. — Ed. Basil. coniecit *ut ardore oris — susp. fecerit;* — Lipsius *eo ardore oris, ut — fecerit;* — Krausius *ita ardore oris;* — Bothius verba *et ardore — suspectam fecit* omnia pro spuriis habet uncinisque inclusit; — Herelius p. 564. *ut ardore oris omnem lenitatem societate cons. susp. fecerit.*

societate consili] Acidalius coniecit *sociati consilii;* Gelenius apud Orellium *de societate consilii.* Neutro opus esse probavit Krausius, coll. Valer. Max. VII, 3, 7. *Dubia fide suspectus.* Curt. VIII, 6, 1. *In Callisthenem contumacia suspectum pervicacioris irae fuit.* Ablativi ratio ex *suspectus* pendentis plane eadem est, ut in constructione vocis *dignus.*

fecit] Ed. Basil. *fecerit;* v. paullo ante.

§. 4. *ex ruinis*] Acidalius maluit *et ruinis.*

consulis] Burer. et Amerb. *consilis;* Ed. pr. *consilii,* ex tacita Rhenani correctione, qua constructioni tantum consulitur, non sensui. Felicius vidit Ed. Basil. cod. Murb. scripturam corruptam esse ex *consulis,* quam emendationem Graevius in Epistt. Syll. IV. p. 378. egregie illustravit collato Cic. Epp. ad Attic. XII, 21. *Cur ergo in sententiam Catonis? quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem Brutus laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique ante, quam consulerem, ipse iudicaverim. Quae omnia quia Cato laudibus extulerat in coelum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio.* — Grunerus coniecit *ita consilii diritatem ampl.*

senatus in eius sententiam transiret, animadvertendumque in eos, quos praediximus, censeret, maiorque pars ordinis eius Ciceronem prosequerentur domum.

in eos] Heinsius maluit *in reos.*

quos praediximus] Raphelengius haec verba delenda censet.

Ciceronem] Ed. pr. et Amerb. *Catonem.* Hottingero in Mus. Turic. Vol. I. P. II. debetur *Ciceronis* nomen repositum, ita postulante testimonio Plutarchi in Cicer. c. XXII. Error ortus vel negligentia librarii, quia toto capite de Catone sermo fuit, vel scribendi compendio male intellecto; nam fortasse in cod. C$^{\omega}$ scriptum fuit.

§. 5. *vita abiit*] Ed. pr. et Amerb. *vota obiit;* Burer. *nota obiit.* Quam in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 16. p. 138. proposuimus huius loci emendationem, eandem postea vidimus iam tentasse Aldum Nepotem, quamquam hic iudicio fluctuans simul coniecit *mortem obiit,* quod amplectitur Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 551. et Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 46. p. 391. Sed nihil certius est illa altera Manutii coniectura, quum non solum *i* littera cum *o*, et rursus *o* cum *a* saepissime confundatur (v. Prolegg. p. XC.), sed sensus etiam prodeat longe aptissimus. Nam ut argute et plane ex Velleii more sibi opponuntur *vita abire* et *consilia inire* (v. Prolegg. c. II. p. LI.), ita sequentia, quae explicationis caussa adiecta esse *quippe* particulâ demonstratur, tum demum recte intelliguntur, si in praecedentibus de *vita strenue relinquenda* dicitur. *Abire e vita* dixit etiam Cicero Tusc. I, 30, 74., similiterque supra legitur I, 11, 7. *de vita migrare;* sed praepositio h. l. deest, ut oppositio concinnior sit. — Schegkius coniecit *voto obiit;* — Acidalius *mota obiit* vel *conata obiit,* quod Ruhnkenius et Krausius amplexi sunt; — Lipsius *vota obiit,* vel *mota obiit;* — Boxhornius *fata obiit;* — Grunerus *ausa obiit;* — Orellius *suo voto obiit;* — Bothius *notus obiit;* — Dahlius ad Sall. Cat. 61, 2. p. 315. *fato obiit;* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 149. *mora obiit;* — Warburtonus in Bibl. Brit. Vol. VII. p. 285. *nota obiit, quam sceleratius condita consilia inierat.*

supplicio debuerat, reddidit] Ed. pr. *supplicio debuerat, supplicio reddidit;* sed in cod. Murb., vel iam in eo, unde

At Catilina non segnius vita abiit, quam sceleris co- 5
nandi consilia inierat; quippe fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, reddidit.

ille fluxit, aliquid turbatum fuisse, inde patet, quod Amerbachius, quum scripsisset *debuerat supplicio reddidit*, signis significavit legendum esse *supplicio debuerat reddidit*, in quo veram agnoscimus scripturam. Nimirum quum librarius primo vocem *supplicio* falso loco posuisset, ac tum, errore animadverso, eandem vocem suo loco versui superscripsisset, liturae signo alteri apposito, istud signum Rhenani pariter atque Burerii aciem fugit. Amerbachius autem, primo falsum verborum ordinem secutus, mox animadvertit librarium *supplicio* secundo loco deleri voluisse; quare signis appositis vocem post *debuerat* collocatam ante hoc verbum retrahendam esse monuit. Iam sensum facile assequeris, si reputaveris *spiritum reddere*, absolute dictum, significare *animam efflare* (cf. II, 12, 2; II, 22, 2; II, 87, 1.), cuius rei duo modi inter se diversi ponuntur, quorum alter participio, alter ablativo declaratur. Nam constructio verborum, attractione paullum impedita, haec est: *quippe fortissime dimicans reddidit spiritum, quem supplicio debuerat reddere*, i. e. *quippe vitam amisit fortissimâ pugnâ, quam amittere debuerat supplicio.* Hanc loci rationem ut non perspicerent VV. DD. eo factum est, quod *supplicio* pro dativo habuerunt ex verbis *debuerat* et *reddidit* pendente, scilicet satis rati si constructio ita expediretur, ac parum curantes rem ineptam esse *spiritum supplicio debitum.* De *reddere* infinitivo ex *reddidit* verbo ad *debuerat* supplendo v. quae disputavimus ad Sall. Cat. c. XLVII, 2. p. 215. et ad Iug. c. XLIX, 2. p. 277. cf. Böttticher. Lex. Tacit. Prolegg. p. LXXXVIII sq. Kühner. ad Cic. Tuscc. I, 10, 20. p. 70. Quam scripturam cod. Amerb. ope restituimus, eandem iam Grunerus ex coniectura exhibuit; neque multum a vero abfuit Burmannus, qui coniecit *spiritum, quem supplicio debuerat, edidit.* Ceteri fere omnes secuti sunt coniecturam Ed. Basil. *q. spir. supplicio debuerat, proelio reddidit*, quam tantum abest ut firmet locus II, 119, 4. *Auctor deditionis supplicio, quam proelio mori maluit*, ut nostrae scripturae stabiliendae adhiberi possit; nam *proelio* est *dimicans.* Bothius scripsit *q. spir. supplicio debuerat, sub clipeo reddidit;* — Heinsius ..... *ultioni reddidit.*

1 XXXVI. Consulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus natus eo anno divus Augustus abhinc annos nonaginta, omnibus omnium gentium viris magnitudine
2 sua inducturus caliginem. Iam paene supervacaneum videri potest eminentium ingeniorum notare tempora.

XXXVI, 1. *annos nonaginta*] Ed. pr. et Amerb. *annos LXXXII.* Aldus Nepos scripsit *annos LXXXXII,* quem omnes secuti sunt. Sed corruptela eo orta, quod postremus numerus denarius diductus est in duas lineolas perpendiculares; quibus rursum in obliquum compositis, ut numerus *LXXXX* efficiatur, iusta ratio constat. Nam 90 annis ad 690, quo anno Cicero consul fuit, additis, efficitur annus 780, quo Velleius scripsit. Ad hunc autem, non ad sequentem annum, quo Vinicius consulatum gessit, auctorem exegisse rationem, ex *abhinc* voce intelligitur.

magnitudine] Herelius p. 564. mavult *claritudine;* — Bergkius *imagine;* v. ad II, 27, 5.

§. 2. *diremptos*] Burer. *direptos;* at Ed. pr. et Amerb. *diremptos,* vel ex facillima coniectura, vel quia lineolae, *e* litterae impositae, quae Burerii aciem fugeret, vestigia adhuc deprehenderunt.

anteque Crassum] Ed. pr. et Amerb. *saneque Crassum.* Heinsius quum primus haud male tentasset *anteaque Crassum,* Ed. Bipont. felicius etiam scripserunt *anteque Crassum,* quo Velleii manus restituta est. In promptu est enim auctorem oratores gradibus aetatis diremptos ita disponere, ut Ciceroni et Hortensio, quibus principatum tribuit, adiiciat tum eos, qui paullo priores floruerunt, tum eos, qui continuo illos secuti sunt, ita ut duo illi medio aetatis loco collocati utrosque videre possent. Quod ut res i. e. tempora virorum ipsa docent, ita *mox* particula documento est *ante* praecessisse, cui haec respondeat. Aldus Nepos coniecit in *saneque* latere *Antonium;* — Krausius scripsit *anteaque* *** *Crassum,* in lacuna *Antonii* nomen fuisse putans. Sed quamquam aegre eo caremus, tamen nihil mutandum est, ut ostendimus ad I, 4, 3. cf. annot. ad I, 17, 1. — Ed. Basil. coniecit *senemquè Crassum;* — Lipsius *unaque Crassum;* — Huthius in Quaest. critt. p. 14. *Sisennamque, Crassum;* — Ellendtius in Eloquentiae Rom. Hist. Bruti editioni praefixa p. CVI. vulgatam defendit, putans *Crassum* intelligi non Lucium, celeberrimum Antonii aequalem, sed Marcum triumvirum, *saneque*

Quis enim ignorat diremptos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, anteque Crassum, Cottam, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum, et proximum Ciceroni Caesarem, eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asi-

particulâ significari eum *aliqua saltem laude dignum*, quamquam non in principibus fuerit.

Cottam] Ed. pr. et Amerb. *Catonem*. Sed verissime Aldus Nepos vidit huic stoico in clarissimis oratoribus nullum esse locum scribendumque *Cottam*; hunc enim a Velleio memoratum fuisse quum conveniens temporum ratio et eius fama eloquentiae, tum maxime simul memoratus *Sulpicius* probat. Tam coniunctum enim par oratorum fuerunt *Cotta et Sulpicius*, eodem anno nati et idem gloriae curriculum ingressi, ut nunquam paene alter sine altero nominetur; cf. Cic. Brut. c. XLIX, 183. *Ex his Cotta et Sulpicius facile primas tulerunt.* ib. c. LV, 201. *Quando a Cotta et Sulpicio haec omnis fluxit oratio.* ib. c. LVII, 207. *Secundum Philippum et Caesarem Cotta et Sulpicius expetebantur.* ib. c. LIX, 215. *Nec vero Sulpicio neque Cottae dicere possumus ullam ex illis quinque partibus plane atque omnino defuisse.* ib. c. LXIII, 227. *Sulpicius occiderat, Cotta aberat.* ib. LXXXVIII, 301. *Hortensius inciderat in Cottae et Sulpicii aetatem.* ib. c. XCVII, 333. *Antonius, Crassus, post Cotta, Sulpicius, Hortensius.* Praeterea quis nescit in celeberrimo Ciceronis opere, quod inscribitur de Oratore, *Cottam et Sulpicium* adesse Crasso et Antonio de eloquentia disserentibus? — Nihilominus Ellendtius l. l., Lipsium secutus, editionis pr. scriptura servata *Catonem Uticensem* et *Serv. Sulpicium Rufum*, iurisconsultum et Ciceronis aequalem, de quo v. Brut. c. XL. et XLI., intelligendos censet, quia non agatur de claris oratoribus in universum, sed tantummodo de Ciceronis aequalibus; in eademque sententia est Meyerus ad Fragm. Oratt. Rom. p. 191. Sed non attenderunt VV. DD. ad verba *ingeniorum notare tempora*, et *diremptos gradibus aetatis*, de quibus v. notam praeced.

Coelium] Ed. pr. et Amerb. *Caelium*, ut nomen etiam scribitur infra II, 68, 1. Sed quum ista scriptura valde incerta sit (v. Ellendtium in Prolegg. ad Cic. Brutum p. CX.), cum Ruhnkenio et Krausio satius duximus vulgarem nominis formam repo-

num, aemulumque Thucydidis Sallustium, auctoresque carminum Varronem ac Lucretium, neque ullo in suspecti operis sui carmine minorem Catullum.

nere, praesertim quum in codd. pro *oe* et *ae* saepe simplex *e* littera poni soleat.

Sallustium] Ed. pr. et Amerb. *Salustium*, quam scripturam cur improbandam censeamus diximus in Praefat. ad Catil. p. XXI sq. cf. Kreyssig. ad Sall. Hist. lib. III. Fragm. p. 3.

neque ullo in suspecti operis sui carmine] Ita Ed. pr. et Amerb., quam scripturam sanissimam putamus. Nam verba sic sunt construenda *neque ullo in carmine suspecti operis sui*, quod solus assecutus est Wopkensius in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 47. *Suspectum* autem h. l. significat *admirandum*, vel *summi aestimatum*, quam vocis vim, tritam in verbo finito, rariorem in participio, praeter Acidalium et Vossium agnoverunt etiam Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 26. et Luxdorphius in Iahnii Nov. Annall. Phil. et Paedag. Suppl. Vol. I. P. II. p. 169. coll. Vitruv. IX, 3. *Grati in eius rei concertationibus sunt suspecti.* Iam, quum *suspectum opus* intelligendum sit de poematum collectione sive libello, quem Cornelio dicavit Catullus, sensus hic prodit: et Catullum, in nullo carmine, quod in laudatissima eius collectione inest, *inferiorem*, sc. *iis*, Varrone et Lucretio, i. e. et Catullum, qui quovis, vel brevissimo, carmine, quod in eius eximio opere inest, non minorem indolem poeticam ingeniique egregii facultatem ostendit, quam Lucretius et Varro. Qua Catulli laude nihil verius est aut honorificentius. Certe sanius et consideratius Velleii de ullo homine iudicium novi nullum. — Viri docti, *ullo* non cum *carmine* coniungentes, sed intelligentes *ullo poeta*, in alia omnia abierunt. Lipsius coniecit *neque ullo in suscepti operis sui carmine*, quod defendit Meyerus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. 1836. No. 38. p. 316. — Heinsius *n. u. in suscepto operis sui carmine*, vel *in suscepti operis suavi carmine*; — Marklandus in Ep. critt. p. 12. *neque ullo in suscepti operis sui forma*, quem ita sequitur Ruhnkenius, ut *sui* praeterea deleat, probatus a Krausio, Morgensternio in Commentat. crit. p. CLXXXV. Frotsch. et ab Ellendtio ad Cic. Brut. c. LIV, 200. p. 145; — Orellius *n. u. in suscepti operis sui termino*; — Faehsius in Sylloge Lectt. *n. u. in suscepti operis certamine*; — Walchius in Melett. critt. p. 34. *n. u. in suscepto operis sui certamine*; —

Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enu- 5
meratio, inter quae proximi nostri aevi eminent princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, et consecutus

Bothius *n. u. in suscepto operis sui tramite;* — Halmius apud Orellium *n. u. in suscepti operis sui genere;* — Wakefieldius ad Testim. Vett. de Lucretio p. LVI. not. 7. ed. Eichst. *n. u. in suscepti operis sui stamine;* — Laurentius in Locis Vell. p. 31. *n. u. in suspecti operis sui cacumine;* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 149. *n. u. in suspecti operis sui culmine;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 68. p. 568. *n. u. insuperati operis sui aemulo;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 6. *n. u. in suspecti operis sui crimine.*

Catullum] Ita Amerb., ut dudum scripserunt editores; in Ed. pr. est *Catulum.*

§. 3. *proximi nostri aevi*] Ed. pr. et Amerb. *maxime nostri aevi,* quod ferri non posse recte vidit Burmannus, cui *proximi* debetur. Nam quum *inhaerentes oculis* non sint *aequales*, ut Krausius interpretatur, sed ii, *qui quamquam mortui, tamen non nimis absunt,* ac vivida memoria multorum adhuc oculis obversantur, ita ut ex altera parte opponantur antiquioribus illis, quorum neminem viderat Velleius, ex altera iis, qui tunc adhuc essent et simul cum ipso vita fruerentur; nullo pacto auctor dicere potuit eos *maxime sui aevi eminuisse,* qui *plane non essent* eius aevi, ut taceam *maxime* prorsus insolenter cum genitivo temporis construi. At *proximos* fuisse Velleii aevo quos deinceps affert, demonstratione non eget. *Proxime* similiter in *maxime* depravatum habes infra II, 127, 1., valdeque frequentem esse harum vocum confusionem ostendit Drakenborch. ad Liv. XXII, 22, 7, cf. Iustin. XIV, 4. Sueton. vit. Claud. c. 33. ubi v. Oudendorp. *Proximus alicuius* dixit Velleius etiam II, 109, 5. *Ipse a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum ducere in Marcomannos orsus est.* II, 114, 5. *Vir nominis ac fortunae Caesarum proximus;* Cic. p. Cluent. c. 10, 30. *Acervatim reliqua dicam, ut ad ea, quae propiora huius causae et adiunctiora sunt, perveniam.* Quae vocis constructio ad idem genus pertinet, quod cernitur in genitivis ex *adversarius* (v. ad II, 32, 2.), *secundus, affinis, conterminus, proprius,* aliisque pendentibus, de quibus v. Ruddimann. Institt. Gramm. Vol. II. p. 90 sqq. et Petrum ad

Sallustium Livius, Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis sui; nam vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est.

1 XXXVII. Dum haec in urbe Italiaque gerun-

Cic. Orat. I, 4. p. 96. Non erat igitur, quod Burmannus de hac structura dubitaret, et *proximi nostro aevo* scriberet. Meyerus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1836. No. 38. p. 316. vulgatam defendit.

princeps] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *principes*, ex tacita Rhenani mutatione, qui non videret unum Virgilium principem carminum dici.

Virgilius] Ed. pr. Burer. et Amerb. *Vergilius*, quam pravae pronunciationis formam editores merito non receperunt.

Rabiriusque] Puteanus maluit *Variusque*, quod placuit Marklando in Epist. crit. p. 14; — Perizonius Epist. ad Heins. 2. *Horatiusque*. Sed in vulgata nihil vitii subesse iam ex iis patet, quae ad I, 17, 1. et paullo ante ad §. 2. de exigua Velleii in talibus rebus ἀκριβείᾳ monuimus, quippe qui totum hunc locum non cum accurato delectu tractaret, sed ut quisque clarorum scriptorum festinantis animo occurreret, eum poneret. Quare ne consulto quidem, ut Orellius censet, Horatium omissum puto. Nihil mutandum esse docuerunt etiam Weichertus in Comment. II. de L. Vario poeta §. 4. p. 21. et Ciampittius de Rabirio, cuius commentationem repetiit Kreyssigius in docto opere, quo Carminis latini de bello Actiaco Fragmenta simul cum Sallustii lib. III. Historr. Fragmentis illustravit, p. 130 sqq. et 179 sqq.

consecutus Sallustium Livius] Aldus Nepos haec verba transponenda censuit post superiora illa *aemulumque Thucydidis Sallustium*, scribendumque *et consecutum Sallustium Livium*, vel *et, qui consecutus Sallustium, Livius;* — Burmannus coniecit *consecutus Gallum Tibullus, Propertius que et Naso*, uterque eo offensus, quod Livius inter poetas recensetur. Sed iam Puteanus recte vidit, non poetas, sed eminentia aetatis suae ingenia a Velleio afferri, neque in recensendis iis litterarum, in quibus excelluerunt, genera, sed sola tempora spectari. Heinsius maluit *consecutus Sallustium Livius, Tibullumque Naso;* — Cludius, ab Aldi Nepotis transpositione vocabulorum probanda haud abhorrens, simul coniecit h. l. lacunam esse sic fere explendam: *Rabiriusque, et superans Ca-*

tur, Cn. Pompeius memorabile adversus Mithridaten, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitus viris reparaverat, bellum gessit. At rex fusus fu- 2
gatusque et omnibus exutus copiis Armeniam Tigra-

tullum Luciliumque Horatius, tum Varius Gratius et Propertius, Tibullusque et Naso.

perfectissimi] Ed. pr. et Amerb. *perfectissime*, quod correxit Ed. Basil. — Minus bene Vossius *perfectissimus*; — Aldus Nepos pro *perfectissime in forma operis sui* fuisse somniat *perfectissimae metamorphosis!*

admiratio] Bothius scripsit *aemulatio*, non assecutus Velleium se excusare, cur ex vivis nullum nominet. *Nam* particula enim tritissimo usu, quem abunde illustravimus ad Sall. Iug. c. XIX, 2. p. 119., pertinet ad omissam sententiam huiuscemodi: *de vivis autem taceo; nam eorum quamquam magna est admiratio mea, tamen censura est difficilis.* De particulis *ut — ita* pro *quamquam — tamen* positis v. ad II, 31, 4. *Censura* autem tenuiore sensu h. l. tantummodo eo constat, quod alii nominantur, alii non nominantur.

XXXVII, 1. *Mithridaten*] Ita Ed. pr. et Amerb. v. supra ad II, 33, 1. In edd. est *Mithridatem.*

reparaverat] Ruhnkenius coniecit *paraverat*, quasi *re* ortum esset ex ultima syllaba vocis *vires.* Vulgatam tuetur Hofman Peerlkamp ad Horat. Carm. I, 31, 11. p. 129. verba paullo argutius sic explicans: *iterum sibi paraverat magnas vires in novo exercitu.* Rectius Halmius Emendd. Vell. p. 10. dictionem refert ad tautologiam, quam etiam pleonasmum dicas; v. Prolegg. c. II. p. LVIII sq. Nam quum sufficeret *magnas viris reparaverat*, auctor, ut fit maxime in familiaris sermonis negligentia minime vitiosa, quo magis *verbi* notio emineret *nomina* adiunxit eiusdem notionis; nam certe *reparatae vires* constant *novo exercitu.* Apte Halmius contulit Liv. XXI, 11, 5. *Saguntini non nocte, non die unquam cessaverant ab opere, ut novum murum ab ea parte, qua patefactum oppidum ruinis erat, reficerent.* Nec absimilem esse rationem locorum Velleii II, 25, 2. et II, 46, 4. idem recte iudicat, quibus possis addere in hoc ipso cap. §. 5. *finis imperi regi terminatus Armenia.* Sed, quicquid contra dicit Froehlichius in Diurn. doctt. Monacc. 1837. No. 70. p. 585., latissime patere hunc usum intelliges

nemque socium petit, regem eius temporis, nisi qua
3 Luculli armis erat infractus, potentissimum. Simul itaque duos persecutus Pompeius intravit Armeniam. Prior filius Tigranis, sed discors patri, pervenit ad Pompeium; mox ipse supplex et praesens se regnum-
4 que dicioni eius permisit, praefatus neminem alium neque Romanum neque ullius gentis virum futurum

ex iis, quae diximus ad Sall. Cat. c. XVIII, 6. p. 88. et ad Iug. c. LXXIII, 1. p. 385. cf. Lucan. I. 134.

§. 2. *At rex*] Ita Burer. et Amerb., rectius scripturam codicis Murb. assecuti, quam Rhenanus, qui in Ed. pr. scripsit *Ac rex.*

socium] Ed. pr. et Amerb. *socerum.* Quod quum historiae repugnet, siquidem Tigranes non *socer*, sed *gener* fuit *Mithridatis* (cf. Appian. B. Mithrid. c. XV. p. 662. Schw. c. LXVII. p. 741. et c. CIV. p. 798.), Popma censet ipsum Velleium memoriae lapsu peccasse; — Manutius, librario culpam tribuens, rescribi vult *generum;* — Lipsius *socer eius*, ut sit appositio vocis *rex;* — Heinsius *socer generum*, quod probat Ieepius in Emendd. Vell. p. 5. Nobis locum sanasse videtur Herelius, qui p. 564. coniecit *socium*, quo nomine Tigranes unice hic erat commemorandus. Ad *societatem* regum spectant etiam sequentia verba *simul itaque duos persecutus Pompeius*, et locus Appiani B. Mithr. c. CIV, init. p. 798. *Ἐπανιὼν δ' ἐντεῦθεν ὁ Πομπήϊος ἐστράτευσεν ἐς Ἀρμενίαν, ἔγκλημα ἐς Τιγράνη τεθέμενος, ὅτι συνεμάχει Μιθριδάτῃ.* Corruptela est ex eo genere, quod natum est compendio perperam intellecto; nam ſοῦ confusum cum ſοῦ. v. Prolegg. c. III. p. XCVIII.

petit] Ed. Basil. scripsit *petiit.*

nisi qua] Ed. pr. et Amerb. *nisi quia.* Verissime Gruterus scripsit *n. qua*, nam summae potentiae praedicatum restringitur clade per Lucullum accepta, cui sensui non inservit *quia*, sed *qua* i. e. *quatenus;* cf. Liv. XXXIX, 48, 6. *Statui non ultra attingere externa, nisi qua Romanis cohaererent rebus.* Quintil. IV, 1, 17. *Aut assumere in causam naturas eorum, qua competent, aut mitigare, qua repugnabunt, oportebit.* v. Acron. ad Horat. Sat. I, 2, 50. Oudendorp. ad

fuisse, cuius se potestati commissurus foret, quam Cn. Pompeium; proinde omnem sibi vel adversam vel secundam, cuius auctor ille esset, fortunam tolerabilem futuram. Non esse turpe ab eo vinci, quem vincere esset nefas; neque ei inhoneste aliquem summitti, quem fortuna super omnis extulisset. Servatus regi honos imperi, sed multato ingenti pecunia;

Lucan. X, 84. *Qua* et *quia* particnlas saepe in codd. confundi multis exemplis docuit Drakenborch. ad Liv. XL, 29, 8.

§. 3. *Simul itaque duos persecutus Pompeius intravit Armeniam. Prior filius*] Haec Burmannus sic interpunxit: *Simul itaque, duos persecutus, Pomp. intr. Armeniam, prior filius*, eo deceptus, quod *simul* cepit pro *simulac.*

discors] Acidalius lusit coniiciendo *dissors.*

praesens] Herelius p. 564, suspicatur *parens;* — Acidalius *quaesens.* Neuter vidit posse aliquem etiam non praesentem supplicem esse per litteras aut per legatos; cf. Appian. B. Mithr. c. CIV. p. 799. Schw. *Μέγα δικαιοσύνης καὶ πίστεως κλέος ἦν τοῦ Πομπηΐου παρὰ τοῖς βαρβάροις. ᾧ δὴ πίσυνος καὶ ὁ πατὴρ Τιγράνης, οὐδ' ἐπιχηρυκευσάμενος, ἦλθε* sc. *πρὸς τὸν Πομπήϊον.*

§. 4. *potestati*] Ed. pr. et Amerb. *societati*, quod Burmannus temere defendit, perperam simul damnans verissimam Aldi Nepoti emendationem *potestati*, quia Latini non dicant *committere se potestati.* Quod quam falsum sit ostendit Ruhnkenius, coll. Cic. in Verr. IV, 7, 14. *Quem non solum potestati tuae, sed etiam fidei populus Romanus commiserat.* Id p. Milon. c. 23, 61. *Commisit se eius potestati, cui senatus totam rempublicam — commiserat.* — Ed. Basil. coniecit *fidei;* — Cludius *suaque maiestati;* — Bothius *pietati;* — Schelius ad Taciti Dial. de Orat. c. XXVIII, 5. *sanctitati.*

Cn. Pompeium] Burmannus, in constructione titubans, coniecit *Cn. Pompeii.*

neque ei inhoneste] Ed. pr. et Amerb. *neque inhoneste.* Pronomen *ei*, quod inter *e* et *i* litteras exciderat, iam Rhenanus coniectura restituit. v. Prolegg. c. III. p. CVIII.

quae omnis, sicuti Pompeio moris erat, redacta in quaestoris potestatem ac publicis descripta litteris. Syria aliacque, quas occupaverat, provinciae ereptae ei; aliae restitutae populo Romano, aliae tum primum in eius potestatem redactae, ut Syria, quae

§. 5. *redacta in quaestoris potestatem*] Ruhnkenius scripsit *redacta ad quaestorem*, quia ita postulet latinitas, vulgata autem prorsus insolens ex scribae aberratione ad sequentia *in eius potestatem redactae* orta sit. Quod ut prorsus est incredibile in magna verborum dissimilitudine, ita parum valet ratio a latinitate ducta. Nam quum solennem in ea re formulam non adhiberent Romani, id quod Ruhnkenius ipse concedit, Velleius propterea a vulgata dicendi ratione discessit, ac pleniore locutione usus est, ut validius Pompeii integritatem laudaret, qui nollet, suspicionis criminationumque vitandi caussa, ullam pecuniam suae potestatis atque arbitrii esse, sed universam quaestoris potestati tradi, i. e. quaestori appendi, cuius erat pecuniam bello captam vel ex praeda vendita factam publica auctoritate designare et in tabulas accepti referre; v. Adami Antiquitt. Rom. Tom. I. p. 208. Ed. IV. Hac Pompeii circa pecuniam religione, de industria commemorata oblique Lucullum notare voluisse auctorem non est obscurum, quod consilium etiam arguit *omnis* vox. In repetitione proxima verborum *in potestatem redactae* non esse quod quis cum Ruhnkenio aliisque offendat, patet ex Prolegg. c. II. p. LXIX. Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 149. coniecit: *in quaestoris ius testata erant publicis descripta litteris*.

descripta] Cludius suspicatur post *descripta* excidisse *est* vel *exstat*. Sed *est* suppletur.

occupaverat] Ed. pr. et Amerb. *occupaverant*. Correxit Ed. Basil.

ereptae ei; aliae] Ed. pr. et Amerb. *ereptae, et aliae*, in qua scriptura non solum offendit *ereptae*, sine casu positum, Tigranis subiecto in antecedentibus obscurato, sed magis etiam *et* copula a sententiarum nexu plane aliena, quam Krausius defendit per *et quidem* explicando, sed frustra, quum novum verbum inferatur. Quibus incommodis quum optime medeatur Ruhnkenii emendatio, eam recipere non dubitavimus, praesertim quum infra quoque II, 45, 1. *ei* in *et* corruptum sit, saepiusque ita in codd. peccari observarint Drakenborch. ad Liv. XLI, 15, 6. et Spal-

tum primum facta est stipendiaria. Finis imperi regi terminatus Armenia.

XXXVIII. Haud absurdum videtur propositi 1
operis regulae paucis percurrere, quae cuiusque ductu gens ac natio redacta in formulam provinciae stipendiaria

ding. ad Quintil. V, 10, 96. Quae sequuntur voces *aliae — aliae* ita referuntur ad praecedens verbum *ereptae*, ut sensus sit: aliae *ex provinciis Tigrani ereptis*, sc. quae iam antea Romanorum fuerant, populo R. restitutae, aliae etc.

aliae tum primum in eius potestatem redactae etc.] Bothius eiecit *tum primum*; — Gruterus verba *quae tum primum facta est stipendiaria* pro spuriis habet, — Heinsius coniecit *aliae tum primum in potestatem redactae, Syria facta stipendiaria*; — Krausius scripsit *ut Syria, quae facta est stipendiaria*. Sed quod in vulgata vitiosi inest, a Velleio est, non a librariis; v. Prolegg. c. II. p. LVIII.

regi] Ed. Basil. scripsit *regis*; — Heinsius *regii*. Utrumque falso. Dativus quem dicunt incommodi optime habet, ut solus vidit Laurentius in Locis Vell. p. 32.

XXXVIII, 1. *Haud absurdum videtur propositi operis regulae paucis percurrere*] Cludius suspicatur *Haud alienum vid. a prop. op. regula paucis attingere*. Idem in Corrig. et Add. p. 245. coniicit *absurdum* esse interpretationem vocis *alienum; paucis* autem glossam videri elisae vocis *raptim*.

quae cuiusque] Acidalius tentavit *cuius quaeque*; sed v. I, 14, 1. *Statui huic loco inserere, quae quoque tempore — deducta sit colonia*. Quintil. X, 1, 2. *Qui autem scivit, quae quoque sint modo dicenda*.

stipendiaria facta sit] Ed. pr. et Amerb. *stipendia pacta sit*, quod Heinsius ad. h. l. et Perizonius Syllog. Epist. Tom. IV. p. 770 defendunt, frustra provocantes ad Liv. IX, 43, 6. X, 5, 12. et X, 37, 5., quibus locis agitur de induciis, quas *liberi* populi condicionibus *paciscuntur*, non de stipendio, quod subactis ac *libertate privatis* populis in perpetuum *imponitur*. Unice vera est Lipsii emendatio *stipendiaria facta sit*, in quam etiam incidit Amerbachius. — Krausius suspicatur vulgatae verba *stipendia pacta* glossam esse verborum *redacta in formulam provinciae*, e margine in textum illatam.

facta sit, ut quae partibus notavimus, facilius simul
2 universa conspici possint. Primus in Siciliam traiecit exercitum consul Claudius, et provinciam eam post annos ferme quinquaginta duos captis Syracusis fecit Marcellus Claudius; primus in Africam Regulus nono ferme anno primi Punici belli. Sed post centum et

sit, ut quae partibus notavimus, facilius simul] Ed. pr. et Amerb. *sit. Notavimus facilius, ut quae partibus simul;* quem confusum et nullius sensus locum ingeniose sanavit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol I. No. 56. p. 444. verbis *notavimus facilius* post *partibus* transpositis, quod idem paene assecutus erat Acidalius, nisi quod scripsit *notabimus.* v. Prolegg. c III. p. CXIV. Sententia tam facili medela stabilita nihil potest esse aptius et magis cum Velleii more congruens, qui amet *partes* rei *universae* opponere; cf infra §. 4. *Hispania saepe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est.* II, 111, 4. *Furentis eorum viris universas elusimus partibus.* II, 113, 3. II, 126, 1. Eadem sententia usus est in digressione de coloniis Romanis I, 14, 1. *Cum facilius cuiusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus oculis animisque inhaereat* etc. Rhenanus coniecit *sit, notabimus, ut facilius e partibus simul;* — Ed. Basil. *sit, ut quae facilius, quam partibus, simul;* — Aldus Nep. *sit. Notavimus, facilius ut e partibus simul;* — Acidalius, praeter coniecturam paullo ante memoratam, *sit; notatis ut partibus facilius simul,* vel etiam *sit. Notabimus partibus, ut facilius simul;* — Lipsius *sit, notabimus, ut facilius, quam part. simul;* — Popma *sit, id notabimus, ut facilius e part. simul;* — Vossius *sit, id notabimus, facilius ut, quam partibus, simul;* — Ortuinus apud Heinsium *sit, id notabimus, quo facilius quam part. simul;* — Heinsius *sit, nota ea habebimus facilius utique partibus* (vel *facilius ita quam partibus) si simul;* — Krausius *sit. Id notabimus, ut facilius, quam partibus, simul;* — Bothius *sit: facilius ut, quae partibus notavimus, simul.*

§. 2. *primus in Africam*] Ed. pr. et Amerb. *primus Africam,* sine *in* praepositione, quam recte addidit Ed. Basil. Nam licet per se facile ferri possit terrae accusativus solus, tamen h.

novem annos P. Scipio Aemilianus eruta Carthagine abhinc annos centum septuaginta tris Africam in formulam redegit provinciae. Sardinia inter primum et secundum bellum Punicum ductu T. Manli consulis certum recepit imperi iugum. Immane bellicae civi- 3
tatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum

l. *in* deesse nequit, quum propter aequalem enunciationum rationem, tum quia in dictione *traiicere exercitum* verbum *traiicere* non simplicem *eundi* habet notionem, sed *transferendi in alium locum.*

post centum et novem annos] Ed. pr. et Amerb. *post CCIIII annos*, pro quo a Velleio scriptum fuisse *post CVIIII annos* recte assecuti sunt Ed. Bipont. Quamquam enim a Reguli in Africam traiectu, facto a. u. c. 497, usque ad annum excisae Carthaginis, i. e. 607., proprie centum et decem anni numerantur, tamen ista summa uno anno minuitur, quoniam Velleius annos numerat non *a* traiectu, sed *post* traiectum in Africam; nam *secundus* annus *factae in Africam expeditionis* est *primus post traiectum*, et sic porro. Qua ratione quam egregie firmetur loci emendatio facile vides; in oculos enim incurrit alterum *C* in cod. Murb. ortum esse ex *V* signo; v. Prolegg. c. II. p. XLIII. — Lipsius coniecit *post CV annos*; — Krausius *p. CX annos;* — Laurentius in Fastt. coss. capp. p. 82. *post CVII annos*, quem secuti sunt Orellius et Kreyssigius.

annos centum septuaginta tris] Ed. pr. et Amerb. *annos CLXXXII*, quem numerum corruptum esse ex *a. CLXXIII* supra iam ostendimus ad I, 12, 5. p. 48. ubi v.; — Lipsius coniecit *a. CLXXV;* — Laurentius in Fastt. coss. capp. p. 83. *anno CLXXVII.*

Africam in formulam] Heinsius *Africam* delendam censet.

§. 3. *civitatis argumentum*] Hunc locum Heinsius ob repetitam mox vocem interpolatum iudicat, quamquam nihil certi statuens; — Orellius scripsit *civitatis documentum.* V. paullo infra.

tertio] Ita Amerb.; Ed. pr. III; Ed. Bipont. *tertium*, quod improbat Kreyssigius Praef. p. XXX, coll. II, 40, 4.

certae pacis argumentum] Ruhnkenius, eo quod *argumentum* vox simili structura atque sententia recurrit, offensus,

hoc T. Manlio consule, tertio Augusto principe certae pacis argumentum Ianus geminus clausus dedit. In Hispaniam primi omnium duxere exercitus Cn. et P. Scipiones initio secundi belli Punici abhinc annos ducentos quinquaginta; inde varie possessa et saepe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est. Macedoniam Paulus, Mummius Achaiam,

haec tria verba delevit. Eum secuti sunt Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 536., Krausius, Bothius et Cludius, quorum hic simul *quod* ante *semel* expunxit; — Laurentius in Locis Vell. p. 33. coniecit *certae pacis spem;* — Luxdorphius in Iahnii Nov. Ann. Phil. et Paed. Suppl. I, 2. p. 169. *certae pacis Ianus Geminus* (sc. ὧν, omisso *argumentum*] *dedit.* Sed vulgata est sanissima. Velleius enim, in argutis sententiis sibi placens, (v. Prolegg. c. II. p. XLIX sq.) hoc dicit: Ianus geminus, qui *clausus* certae *pacis argumentum* dedit, eo, quod tanto temporis spatio *ter modo* clausus fuit, simul immane *bellicae civitatis argumentum* fuit. In qua sententia mirum est quemquam Velleianae consuetudinis mediocriter gnarum offendisse; at solus non offendit Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 41. p. 321.

Ianus geminus] Burer. et Amerb. *Ianius geminius;* Ed. pr. *Ianus geminus*, ex tacita Rhenani emendatione. cf. Flor. IV, 12, 64. Sueton. August. c. XXII.

§. 4. *Hispaniam*] Ed. pr. et Amerb. *Hispanias*, quod per se rectum nullo modo potest cum sequentibus vocibus singularis numeri *possessa — amissa — universa — facta stipendiaria* conciliari. *Hispaniam* scribendum esse primus vidit Cludius in Corrig. et Add. p. 245. Satis autem frequens esse hoc vitii genus, quo in fine vocabulorum *s* pro *m* scriptum est, ostendimus in Prolegg. c. III. p. XCIV.

initio] Amerb. *in otio*, superscripto „*initio.* Beatus.“ De litterarum *i* et *o* confusione v. Prolegg. c. III. p. XC.

annos ducentos quinquaginta] Pariter Ed. pr. et Amerb. *annos CCL.* Qui numerus quamquam sex annis vero est maior (nam inter annum u. c. 536, quo Scipiones in Hispaniam ierunt, et 780, quo scripsit Velleius, tantummodo intersunt 244 anni),

Fulvius Nobilior subegit Aetoliam; Asiam L. Scipio, Africani frater, eripuit Antiocho; sed beneficio senatus populique Romani mox ab Attalis possessam regibus M. Perperna, capto Aristonico, fecit tributariam. Cypri devictae nulli assignanda gloria est; quippe 6 senatus consulto, ministerio Catonis, regis morte, quam ille conscientia acciverat, facta provincia est.

tamen nihil mutandum est, quum auctor et h. l. et infra II, 90, 2. rotundo numero usus sit, ut iam ad I, 12, 6. p. 49. monuimus.

amissa] Bergkius mavult *omissa*, coll. II, 39, 1. Sed v. quae ibi annotavimus.

§. 5. *mox Attalis*] Ed. pr. et Amerb. *mox habita lis*, Ingeniosa foede depravati loci emendatio debetur Ed. Basil. cf. Liv. XXXVII, 55, 5 sq. — Lipsius maluit *mox ab Attalicis*.

possessam regibus] Apud Amerb. deest *regibus*.

Perperna] Ed. pr. et Amerb. *Perpenna*. V. ad II, 4, 1.

§. 6. *Cypri devictae nulli*] Ed. pr. et Amerb. *Cypro devicta nullis*, quae scriptura, quamquam Aldo Nepoti, Popmae et Heinsio probata, ferri non potest, quoniam notio ablativi, quem dicunt instrumenti, quo indicatur aliquid *factum esse*, aperte repugnat sententiae, qua dicitur Cyprus *non* devicta esse, quod secus est in genitivo participii. Simplicissimam medelam adhibuit Ed. Basil., quem cum Ruhnkenio secutus sum; nam *i* litterâ frequenti lapsu (v. Prolegg. c. III. p. XC.) in *o* depravatâ, sponte *devictae* in *devicta* abiit; non minus saepe *s* temere extremis vocibus additum apparet, v. Prolegg. c. III. p. XCIV. Quibus mutationibus lenissimis non magis constructioni quam sententiae consulitur, cui illustrandae Ruhnkenius comparavit II, 30, 6. *Huius (belli) patrati gloria penes M. Crassum fuit.* — Acidalius maluit *Cypro de victa nullis;* — Heinsius *Cypros devicta nulli* etc.; — Laurentius in Locis Vell. p. 34. *Cyprus devicta nulli*, vel *nullius, assign. gloriae est;* — Orellius *In Cypro devicta nulli.*

senatus consulto] Cuiacius in Obss. VII, 9. scribendum censet *plebiscito*, quia ex II, 45, 4. pateat hoc ministerium Catoni *lege Clodia* esse mandatum. Sed proprio sensu *senatus — con-*

Creta Metelli ductu longissimae libertatis fine multata est. Syria Pontusque Cn. Pompei virtutis monumenta sunt.

1 XXXIX. Gallias primum Domitio Fabioque, nepoti Pauli, qui Allobrogicus vocatus est, intratas

sultum h. l. non esse intelligendum iam supra ad II, 31, 3. ostendimus.

quam ille] Acidalius coniecit *quam ipse*, vel *quam illi*.

acciverat] Heinsius mavult *civerat*, vel *conciverat*. Bene Ruhnkenius contulit Flor. IV, 2, 70. *Cato mortem etiam laetus accivit.*

fine] Amerb. *finem*.

multata est. Syria] Ita Amerb., qui h. l. vel melius quam Rhenanus et Burerius scripturam cod. Murb. eruit, vel verum coniectura assecutus est, ut censet Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 38. p. 313; nam in Ed. pr. est *multata. Et Syria.* Pro *et* scribendum esse *est* iam Acidalius viderat. Vossius maluit *At Syria.*

XXXIX, 1. *primum*] Amerb. *primus*.

Domitio Fabioque, nepoti] Ed. pr. et Amerb. *Domitio, Fabio, nepote*, soloece, non solum propter ablativum personae cum passivo coniunctum, ut ostendimus ad Sall. Iug. c. XXI, 3. p. 134., sed etiam propter copulae defectum, v. ad I, 4, 1. His vitiis optime ac simplicissime medetur coniectura Ursini, quam recepimus; nam *que* absorptum praecedente *o*, v. ad II, 20, 2; II, 28, 2; II, 34, 3; *i* autem vel oculorum errore abiit in *e*, ut saepissime (v. Prolegg. c. III. p. LXXXVIII.), vel compendio scriptae voces (N. P.) a librario structuram non assecuto in ablativum solutae sunt. — Aldus Nepos scripsit *a Domitio et Fabio, nepote;* — Ed. Basil. *Domitio et Fabio, nepote.*

magna mox clade nostra] Haec verba, olim interpunctione non comprehensa, editores, qui ea ad sequentia traherent, magnopere torserunt. Krausius enim ut spuria uncinis inclusit; — Cludius coniecit *magno incommodo nostro*, vel etiam *ob magnam olim cladem nostram*, sc. ob Romam a Gallis captam; — Laurentius in Locis Vell. p. 40. *magna cum clade nostra.* Sed falso omnes. Respicit Velleius ad cladem Romanorum, qua a. u. c. 638, a. Chr. n. 105, Q. Caepione et Cn. Mallio ducibus, a Cimbris affecti sunt, ac fortasse etiam ad eas, quas paullo ante ab iisdem Cimbris a. u. c. 644 = 109. sub

cum exercitu, magna mox clade nostra, saepe et affectavimus et omisimus. Sed fulgentissimum C. Caesaris opus in iis conspicitur; quippe eius ductu auspiciisque infractae plane idem, quod totus terrarum or-

Silano, et a Tigurinis Gallis a. u. c. 646 = 107. sub L. Cassio Longino acceperunt, quae tres clades quoniam intra paucos annos acciderunt, sane poterant singulari numero quasi in unum comprehendi. Patet igitur verba non pertinere ad *affectavimus et omisimus*, sed obiter adiuncta voci *intratas* hoc significare, ingressum Domitii ac Fabii in Galliam, a. u. c. 632, a. Chr. n. 121 factum, mox secutam esse cladem magnam, non *proelio de obtinenda* Gallia acceptam, sed eo, quod Romanus exercitus *in Galliae solo in alios hostes inciderit*, conflatam. Verborum, constructione absoluta quasi in parenthesi constitutorum, sententia simplicissima haec est: *quae res* (sc. Galliae intratae) *magnam mox cladem nobis attulit.*

omisimus] Ed. pr. et Amerb. *amisimus*, quod historiae pariter atque huius loci sententiae repugnans falso defendit Burmannus coll. II, 38, 4. *Hispania varie possessa et saepe amissa*, non videns aliud esse *affectare*, aliud *possidere*. Verissime Heinsius coniecit *omisimus*, ut necessario postulat oppositorum ratio; nam ut *affectare* est *ardentiore et acriore studio appetere* (cf. Sall. Iug. c. LXVI, 1. Flor. II, 2, 3.), ita *omittere* h. l. valet in obtinenda aliqua re *remissius agere*, cui rei congruit historia. Romani enim Gallias *amiserunt* nunquam; at in iis occupandis vario studio egerunt, minus huic terrae intenti, ubi in aliis terris rebus gravioribus attinebantur, donec Iul. Caesar summam armorum vim eo contulit. *Omittere* et *amittere* saepe confundi in codd. res nota est; v. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XXXI, 17. Drakenborch. ad Liv. VII, 34, 9.

in iis] Ita Ed. pr.; *in his* Amerb.

infractae plane idem] Ed. pr. et Amerb. *infractae paene idem*. Iam si coniungis *infractae paene*, sententia erit inepta (nam *infractus* est *vehementer fractus*); sin *paene* refers ad *idem*, supra modum falsa. Quod expedivit Grunerus corrigendo *infractae plane idem*, in quod etiam incidit Laurentius in Locis Vell. p. 35. et ante utrumque Burmannus, quamquam hic etiam tentavit *infractae penitus idem*, vel *plene infractae idem*; — Lipsius maluit *infractae idem*,

2 bis, ingratum conferunt stipendium. Ab eodem fracta Numidia. Ciliciam perdomuit Isauricus, et post bellum Antiochinum Vulso Manlius Gallograeciam. Bi-

quod paene totus; — Ruhnkenius *infractae, bona fide, quod;* — Krausius *paene* expungendum censet; — Bothius *infractae per fidem, quod;* — Walchius ad Tacit. Agricol. c. XII. p. 198. *infractae paci idem;* — Luxdorphius in Iahni Nov. Annall. Philol. et Paedag. Suppl. I, 2. p. 169. vulgatam defendit ita, ut *faciunt* suppleri velit post *idem.*

ingratum] Ed. pr. et Amerb. *ignavum.* Id defendunt Krausius et Walchius l. l., quia Galli a Caesare subacti imbelles atque ignavi facti sint, cum libertate amissa simul eius recuperandae studio abiecto. Sed ista sententia ἦθος quoddam habet, Tacito quam Velleio dignius, et a ieiunitate huius loci prorsus alienum. Verum rursus vidit Laurentius in Locis Vell. p. 35. coniciens *ingratum,* quod egregie convenit cum eo, quod Gallias auctor dixit *infractas* i. e. plane devictas; nam sensus est: *quamvis reluctantes et impositum sibi iugum aegre ferentes* tamen pariter, ut totus terrarum orbis, stipendia solvunt, ad certam parendi necessitatem redacti. *Ingratum,* utpote scriptum *īgratum,* quam facile potuerit cum voce *ignavum* confundi, per se patet; tamen cf. Drakenborch. ad Liv. XXXVI, 17, 8. — Aldus Nepos coniecit *in aerarium;* — Lipsius *in annos;* — Heinsius *in annum;* — Popma *signatum;* — Abrahamus ad Cic. p. Coel. c. 2. *ignarum.*

§. 2. *fracta Numidia*] Ed. pr. et Amerb. *facta Numidicus.* Posterius vocabulum verissime Sigonius ad Fasst. a. 707. mutavit in *Numidia,* ad *facta* intelligens *provincia,* quae vox unde elicienda sit nemo dixerit. Felicius vidit Boxhornius *facta* corruptum esse ex *fracta;* cf. Hirt. de B. Afric. c. XCVII. Dio Cass. XLIII, 9. p. 346. Reim. Ne quem autem offendat *fracta,* quum modo praecesserit *infractae,* cavimus Prolegomenis c. II. p. LXIX. Heinsius non plane improbans *fracta,* tamen coniecit *pacata,* vel ad *facta* subintelligi vult *stipendiaria est,* quod amplectitur Krausius; — Ed. Bipont. *Stipendiaria ab eodem facta Numidia;* — Luxdorphius in Iahni Nov. Ann. Phil. et Paed. Suppl. I, 2. p. 170. *tacta Numidia.* — Ceteri coecutierunt omnes; Ursinus enim proposuit *ab eodem Britannia fracta;* — Ed. Basil. *ab eodem Pompeio fractam Numidi-*

thynia, ut praediximus, testamento Nicomedis relicta hereditaria. Divus Augustus praeter Hispanias aliasque gentis, quarum titulis forum eius praenitet, paene

cus Ciliciam perdomuit; — Aldus Nepos *ex eodem tractu Ciliciam perdomuit,* vel *ex eodem tractu P. Servilius Ciliciam perdomuit.*

Ciliciam perdomuit Isauricus, et post bellum Antiochinum Vulso etc.] Ed. pr. et Amerb. *Ciliciam perdomuit uisa uicisset post bellum Antiochinum. Vulso* etc. Ingeniose has ineptias correxit Sigonius ad Fastt. a. 707. In *uicisset* latere *et* Rhenanus quoque assecutus est. Ex Aldi Nep. coniecturis duabus altera hoc quidem loco congruit cum Sigoniana; altera haec est: *P. Servilius Ciliciam perdomuit; quum descivisset post bellum Antiochinum, Vulso Manl. Gall.;* — Ed. Basil. scripsit *Cilic. perd., nisi vicisset post* etc.; — Ursinus *Numidicus Cilic. perd., nisi vicisset per bellum* etc.

Antiochinum] Ed. Basil. scripsit *Antiochicum;* Ursinus *Antiochenum,* sine idonea caussa; nam *Antiochinus* non solum legitur in Fastt. coss. capp. a. 561. p. 40. ed. Laur., sed etiam apud Cic. Epp. ad Famm. IX, 8, 4. cf. interpp. ad Gell. VII, 19, extr.

Bithynia] Amerb. *Bithyniam.*

praenitet, paene idem] Laurentius in Locis Vell. p. 42. coniecit *praenitet, perdomitas, paene VII* (i. e. septies) *facta,* tum ad constructionem expediendam, tum ut difficultatem, quae in aequato Galliae et Aegypti stipendio inest, tolleret. Sed structurae vitium, si quod est, Velleii ipsius est, qui, dum duas sententias, animo obversantes quia cognati sunt generis, non satis cogitatione discrevit, in *ἀνακολουθίαν* incidit, coniecturâ non removendam. Qua latinitate autem dici possit: *Augustus paene septies quantum pater eius in aerarium contulit,* pro *summam septuplo maiorem, quam pater eius* etc., Laurentius ipse viderit; nobis quidem istud *septies quantum* foedissimus est barbarismus. Omnino autem mutatione non opus est. Quamquam enim annua Aegypti tributa longe maiora erant Gallicis, ut patet ex Strabone XVII. p. 1149. B. Almel. collato cum Sueton. Caes. c. XXV. et Eutropio VI, 14., tamen Velleius, quoniam multo splendidior erat Galliae quam Aegypti subactae fama, ut Augustum magnificentius extolleret, Caesari eum Aegypto facta stipendiaria exaequat, aerarium ei non minus quam patri debuisse dicens. —

idem facta Aegypto stipendiaria, quantum pater eius
3 Galliis in aerarium reditus contulit. At Ti. Caesar quam certam Hispanis parendi confessionem extorserat parens Illyriis Delmatisque extorsit. Rhaetiam autem et Vindelicos ac Noricos Pannoniamque et Scordiscos novas imperio nostro subiunxit provincias. Ut has

Ruhnkenius eo offensus, quod *idem* respondet voci *quantum*, ac latinum id esse negans, *paene idem* expellendum censet, in quo ei obsecuti sunt Krausius et Bothius. Sed variant Latini in nectendis relativis et demonstravis; quemadmodum igitur sibi respondent *quantum eo* — vel *quanto* — *eo* (v. Drakenborch. ad Liv. XLIV, 7, 6.), *tantum* — *quam* (v. Drakenb. ad Liv. VIII, 25, 12.), *quo* — *tanto* (v. Perizon. ad Sanct. Minerv. III, 14. p. 706. Ed. Bau.), ita nihil obstat, quominus etiam *idem* — *quantum* pro *idem* — *quod* vel *tantum* — *quantum* dicatur.

Galliis] Ed. pr. Burer. et Amerb. *Galli.* Ed. Basil. scripsit *Gallia;* — melius Halmius in Emendd. Vell. p. 10. restituit *Galliis*, quum ob constantem Velleii usum, ubi universam Galliam omnesque huius terrae provincias complectitur (cf. II, 12, 2; II, 39, 1; II, 44, 5; II, 47, 2; II, 97, 1; II, 121, 1; II, 129, 3.), tum quia toto hoc capite eius nominis pluralis obtinet. Frustra igitur Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 71. p. 593. Halmio obloquitur.

reditus] Burer. et Amerb. *redditus*; Ed pr. *reditus;* ex tacita Rhenani correctione.

§. 3. *At*] Ita Ed. pr. et Amerb.; — *Ad* Burer.

Ti. Caesar] Ed. pr. Burer. et Amerb. *T. Caesar.* Correxit praenomen Ursinus; plane omisit Ed. Basil.

extorserat parens] Ed. pr. *extorserat? parem;* Amerb. *extorserat, parem.* In veram lectionem inciderunt et Ursinus et Lipsius; nam *parens*, quod facillima depravatione in *parem* abiit, res ipsa postulat, cf. II, 38, 4. II, 90, 4. Ed. Basil. scripsit *extorserat, tam parem;* — Heinsius maluit *extorserat parens, parem;* — Krausius *extorserat parens, eam;* — Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 342. *extorserat pater, eam,* quibus coniecturis obstat attractionis ratio, qua utraque enunciatio continetur; cf. infra II, 44, 2. *Hoc*

armis, ita auctoritate Cappadociam populo Romano fecit stipendiariam. Sed revertamur ad ordinem.

XL. Secuta deinde Cn. Pompei militia, gloriae 1
laborisne maioris, incertum est. Penetratae cum victoria Media, Albania, Iberia; deinde flexum agmen ad eas nationes, quae dextra atque intima Ponti in-

consilium sequendi causam habuerat Crassus, ut quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompei, viribus teneret Caesaris. Nep. Them. c. IV, 3. *Themistocles de servis suis quem habuit fidelissimum ad regem misit;* et v. Krüger de Attractione Lat. Ling. §. 78. p. 185.

Delmatisque] Ed. Basil. ac ceteri fere omnes *Dalmatisque.* Ed. pr. et Amerb. constantem scripturam confirmant etiam nummi et lapides. cf. Cellar. Geogr. antiq. II, 8. §. 113. Intpp. ad Liv. Epit. lib. LXII. Wesseling. ad Antonin. Itiner. p. 265. Schweigh. ad Appian. Tom. III. p. 668. Krausius.

extorsit] Hoc vocabulum, quod agnoscunt Burer. et Amerb., in Ed. pr. casu, vel Rhenani errore, deest.

ac Noricos] Amerb. *et Noricos.*

Scordiscos] Ed. pr. et Amerb. *Cordiscos.* Correxit Ed. Basil.

XL, 1. *Albania, Iberia; deinde*] Ed. pr. et Amerb. *Albani, Iliberi, ac deinde.* Quod iam satis bene ab Ed. Basil. sic correctum *Albania, Hiberia, ac deinde,* persanavit Burmannus *ac* particula deleta. Nam terrarum nomina, non gentium, a Velleio fuisse posita, evincit praemissum participium *plurale femini generis,* quod neque Vossius assecutus est, neque Ruhnkenius, qui vulgatam ferri posse censuerunt. Non minus vitiosa est *deinde* voci adiuncta *ac* particula, quae simul universae depravationis originem ostendit; quippe avulsa praecedentis vocabuli extrema littera tum *ac* genuit, tum *Hiberi* reliquit; v. Prolegg. c. III. p. CIV. *Albani* autem factum est vel aequalitatis caussa cum voce sequenti, vel quia *a* extremum abiit in *h,* proximae voci adhaerens. Nam rectior scriptura, quam in textu expressimus, est *Iberia.* — Heinsius maluit *Penetrati cum victoria Medi, Albani, Iliberi.*

colunt, Colchos Heniochosque et Achaeos, et oppressus auspiciis Pompei, insidiis fili Pharnacis Mithridates, ultimus omnium iuris sui regum, praeter Par-
2 thicos. Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius, suoque et civium voto maior, et per omnia fortunam hominis egressus, revertit in Italiam. Cuius reditum favorabilem opinio fecerat; quippe plerique non sine exercitu venturum in urbem affirmabant, et libertati publicae statuturum arbitrio suo mo-

Heniochosque] Amerb. *Eniochosque.*

Pharnacis] Ita Amerb. *Pharnaces* Ed. pr.

ultimus omnium] Bothius *omnium* tanquam ex proximo versu huc tractum, uncinis inclusit; v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

§. 2. *favorabilem*] Aldus Nepos pro eo maluit *formidabilem;* — Lipsius *infavorabilem;* — Popma *non favorabilem;* — Heinsius *parum favorabilem.* Vulgatae integerrimae sensus est: opinio de Pompeio primo sinistra, *quam falsam fuisse omnes mox cum summo gaudio intellexerunt,* eius reditum favorabilem fecerat. Simili modo igitur Velleius hic acumen quaesivit, ut II, 38, 3. *Immane bellicae civitatis argumentum, quod — certae pacis argumentum Ianus geminus clausus dedit.* cf. Prolegg. c. II. p. LI.

§. 3. *illi secum trahere moris fuit*] Ed. pr. *illa fatare moris fuit;* — Amerb. *illa fata remoris fuit.* Felicem Ruhnkenii coniecturam, qui ex corrupta codicis scriptura elicuit *illi trahere moris fuit,* perfecit Haasius, qui me docuit scribendem esse *illi secum trahere moris fuit.* Nam addita vox *secum* non solum ad sententiam est valde accommodata, verum etiam planissime ostendit, unde *fa* syllaba orta sit. Nimirum quum *secum* compendio ſcc, esset scriptum, librarius *ec* habuit pro *a* (v. ad II, 33, 1); *trahere* autem sic scriptum tr̃re, quam facile cum praecedente syllaba potuerit in *fatare* abire in promptu est. Ad usum verbi trahere cf. II, 112, 4. *Magnam manum Rhoemetalces — secum trahebat.* II, 66, 5. *Comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet.* Curt. VIII, 3, 2. *Spitamenes uxorem in omne discrimen comitem trahebat.* Id. III, 13, 12. *Feminae pleraeque parvos trahentes liberos ibant.* V, 5.

dum. Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior 3
civilis tanti imperatoris reditus fuit. Omni quippe
Brundusi dimisso exercitu, nihil praeter nomen impe-
ratoris retinens, cum privato comitatu, quem semper
illi secum trahere moris fuit, in urbem rediit, magni-
ficentissimumque de tot regibus per biduum egit trium-
phum, longeque maiorem omni ante se illata pecunia
in aerarium, praeterquam a Paulo, ex manubiis in-
tulit. Absente Cn. Pompeio T. Ampius et T. La- 4

15. *Coniuges parvosque liberos trahimus nobiscum, an relinquimus?* Valer. Max. IV, 3, 12. *Filium secum trahens,* V, 4, 1. *Veturia Volumniam uxorem eius et liberos secum trahens.* III, 2. extr. 8. Rhenanus coniecit *illi vacare moris fuit;* — Heinsius *illi affectare moris fuit,* probante Bardilio in Friedem. et Seebod. Misc. crit. I, 2. p. 384; — Burmannus *illum sectari,* vel *illum assectari moris fuit;* Bothius *illi affatim esse moris fuit;* — Crusius in Misc. Obss. Nov. Vol. X, p. 385. *illa fata habere moris fuit;* — Herelius p. 564. *quo semper illi stipari m. f.;* — Friebelius in Graecor. Satyrogr. Fr. p. 149. *illi agitare m. f.;* — Luxdorphius in Iahni Nov. Annall. Phil. et Paed. Suppl. I, 2. p. 170. *illi cavere m. f.;* — Kreyssigius Praef. p. XXXII. *illi adhaerere m. f.* Quae coniecturae quamquam omnes in re quodammodo conveniunt, tamen concedes, opinor, *trahere* neque magis, quam ceteras, a cod. vestigiis recedere, et fastum Pompeii longe optime designare.

pecunia] Kreyssigius p. XXXII. scripsit *pecuniam,* quod falsum esse ex annotat. proxima patebit. Heinsius maluit *pecuniam aerario.*

praeterquam a Paulo] Ed. pr. et Amerb. *praeter quam a Paulo.* — Ed. Basil. scripsit *praeterquam Capitolio;* — Heinsius *praeterque Capitolio;* — Cludius *praeter quanta spolia;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 7. *praeter quam a Ponto;* — Vossius, assentientibus Burmanno, Ruhnkenio, Krausio, aliis, verba pro glossa habet, a sciolo ex I, 9, 6. huc transscripta et ex margine in textum illata, cuius rei argumentum etiam perversam collocationem esse dicit Kreyssigius Praef. p. XXXII. Sed nemo locum recte intellexit, ne Froelichius qui-

bienus tribuni plebis legem tulerunt, ut is ludis Circensibus corona laurea et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem praetexta coronaque laurea. Id ille non plus quam semel, et hoc sane nimium fuit, usurpare sustinuit. Huius viri fastigium tantis aucti-

dem, qui in Diurn. doctt. Monacc. a. 1837. No. 67. p. 560. vulgatam acriter defendit. Non dicit enim Velleius summam pecuniae a Pompeio in aerarium illatae maiorem quidem fuisse omni pecunia, ante eum illata, *minorem tamen ea, quam Paulus intulerit*; sed loci sententia haec est, Pompeium in aerarium plus intulisse pecuniae, quam omnes priores imperatores simul, *si universae huic summae non addatur pecunia a Paulo illata*, sive *exceptâ ex illa universa summa Pauli pecuniâ*. v. quae diximus in Zimmerm. Ann. Studd. antiq. a. 1840. No. 37. p. 307 sq. Iam intelligitur et *pecuniâ*, pro quo Kreyssigius scripsit *pecuniam*, rectissime habere, quum vis sententiae insit in verbis *omni ante se illata pecunia*, neque perverso loco posita esse verba *praeterquam a Paulo*, sc. *illata*, quippe quae arctissime cum praecedentibus cohaereant. *Praeterquam* esse i. q. *exceptâ*, vel *si exceperis*, facile patet; cf. supra II, 4, 6. *Scipio vitam egit, quae nullius ad id temporis praeterquam avito fulgore vinceretur.* Varr. de R. R. I, 45, 1. *Legumina (exeunt e terra) fere quatriduo aut quinque diebus, praeterquam faba; ea enim serius aliquanto prodit seges.*

§. 4. *T. Ampius*] Ursinus coniecit *L. Tampius*, sine idonea caussa. De *T. Ampio* v. Manut. ad Cic. Epp. ad Famm. I, 3. VI, 12. ad Attic. VIII, 11.

T. Labienus] Ed. pr. et Amerb. a sec. m. *T. Labenius*; hic a pr. m. *T. Labienus*, uti correxit Ed. Basil.

ut is ludis] Ed. pr. et Amerb. *ut si ludis.* Ed. Basil. omisit *si*, quod Ursinus recte mutavit in *is*; nam eo carere vix potest oratio ad Pompeium, ut par est, efferendum; cf. II, 45, 4. *Clodius legem tulit, ut is* (sc. *Cato*) *in Cyprum mitteretur.* Ibid. §. 5. *Effusa civitate obviam, non ante is egressus est.* II, 54, 1. II, 42, 3. Ed. Bipont. scripsere *ut in ludis*; — Riguezius *ut his ludis.*

corona laurea] Ed. pr. et Amerb. et hic et statim post

bus fortuna extulit, ut primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumpharet, et quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriae suae. Nunquam eminentia invidia carent. Itaque et Lucullus, memor tamen acceptae iniuriae, et

corona aurea. Docte correxit Lipsius coll. Dio. Cass. XXXVII, 21. p. 126. Reim. *Οὐ μὴν οὐδ' ἄλλην τινὰ τιμὴν ὑπέρογκον λαβεῖν διεπράξατο, ἢ τοῖς γε ψηφισθεῖσιν ἀπόντι οἱ, πλὴν ἅπαξ ἐχρήσατο. ἦν δὲ ταῦτα, δαφνοφορεῖν τε αὐτὸν κατὰ πάσας ἀεὶ τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν στολὴν, τὴν μὲν ἀρχικὴν, ἐν πάσαις αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύνειν,* qui locus Velleium illustrat, et rursus ex eo illustratur. De ornatu triumphantium v. Adami Antiqq. rom. Vol. II. p. 93. ed. IV.

Huius viri fastigium — victoriae suae] Hunc locum sub Paterculi nomine affert Scholiasta Lucani ad IX, 178. p. 695. ed. Web.

auctibus] Schol. Lucani *actibus.*

primum] Ed. pr. et Amerb. *primus;* Schol. Lucani *primum*, ut Ed. Basil. iam ex coniectura scripsit. Vossius maluit *primo.*

ex Asia] Schol. Lucani *ex Hispania;* inepte. cf. Cic. p. Balb. c. IV, 9. Plutarch. in Pomp. c. XLV, extr.

partes terrarum orbis] Schol. Lucani *partes terrae.*

faceret monumenta] Schol. Lucani *facerent monimenta.*

§. 5. *memor tamen acceptae*] *Tamen* h. l. Acidalius interpretatur *adhuc;* — Orellius pro eo scribendum censuit *tandem;* — Cludius *tantae;* — Halmius in Annall. crit. Berol. 1836. Vol. I. No. 43. p. 342. *antea;* — Laurentius in Locis Vell. 141. *ante*, vel *olim.* Vulgatam esse sanissimam praeter Krausium iam vidit Vossius. Quippe excusaturus quodammodo Lucullum Velleius dicit, invidia quidem agitatum fuisse, *sed tamen* non sine ulla caussa, propter acceptam iniuriam, cuius memoriam nunquam ex animo dimiserat, ultionis occasionem captans. Similiter ad Metellum Creticum excusandum pertinet quod adiicitur *non iniuste querens*, caussâ querelae additâ. De *tamen* particula ad suppressam enunciationem concessivam relata v. ad II, 119, 5.

Metellus Creticus, non iniuste querens (quippe ornamentum triumphi eius captivos duces Pompeius subduxerat), et cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa civitatibus a Pompeio, aut bene meritis praemia ad arbitrium eius persolverentur.

1 XLI. Secutus deinde est consulatus C. Caesaris, qui scribenti manum iniicit et quamlibet festinantem in se morari cogit. Hic nobilissima Iuliorum ge-

captivos duces] Ed. pr. *captivos ducus;* — Amerb. *capt. duos,* superscripto *duces,* quemadmodum etiam Rhenanus coniecit; — Orellius *captivos duces duos,* quod merito improbavit Kreyssigius Praef. p. XXXIII. — Duces illi sunt Panares et Lasthenes, de quibus Velleius supra II, 34, 1. Dio Cass. XXXVI, 2. p. 88. *Τὸν δὲ δὴ Πανάρη, τόν τε Λασθένη (καὶ γὰρ ἐκεῖνον εἶλεν) οὐκ ἠδυνήθη* (sc. ὁ *Μέτελλος*) *πέμψαι ἐν τοῖς ἐπινικίοις. Ὁ γὰρ Πομπήϊος, ἀναπείσας τῶν δημάρχων τινὰ, προαφείλετο αὐτοὺς, ὡς καὶ ἑαυτῷ κατὰ τὴν ὁμολογίαν, ἀλλ' οὐκ ἐκείνῳ, προσχωρήσαντας.* cf. Florus III, 7, 6. Ruhnk.

bene meritis] Ed. pr. et Amerb. *benemeritis,* vocabulis duobus male in unum coniunctis; cf. annotat. nost. ad Sall. Cat. c. VIII, 5. p. 46.

LXI, 1. *quamlibet*] Ed. pr. *quemlibet;* Amerb. *quamlibet,* haud dubie ex coniectura, in quam etiam Burerius incidit.

quod inter omnis constat, antiquissima] Ed. pr. et Amerb. *quod inter omnis antiquissimos constabat,* in quo neque *deducens* ullo modo potest conciliari cum *constabat,* sive sensum verbi respicis, sive tempus grammaticum, neque quid sibi velint *antiquissimi* intelligitur, ubi de *familiae* splendore agitur, qui quum et *nobilitate* et *antiquitate* constet, eo quidem maior est, ubi non antiquarii tantum, sed omnino omnes sciunt familiae originem ad remotissima referri tempora. Quare nihil verius est Acidalii coniectura, qui transpositis vocabulis (de quo corruptelae genere v. Prolegg. c. III. p. CXIV.) scripsit ut edidimus, in quo terminatio mutata non potest quemquam offendere quippe quae a librario, ut fieri solet, proximae voci facili negotio accommodata fuerit. — Lipsius paene eodem modo, *quod inter*

nitus familia, et, quod inter omnis constat, antiquissima, ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentia effusissimus, animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus, qui denique semper et somno et cibo in vitam, non 2

omnes constabat, antiquissima; — Vossius coniecit *quod inter omnes antiquissimum constabat*, sc. *genus;* — Heinsius *quod inter omnes antiquissimos auctores* (vel *scriptores) constabat;* — Orellius *inter omnis antiquitatis peritos constabat;* — Kreyssigius Praef. p. XXXIII. *quod inter homines antiquissimos constabat;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 7. *quos inter omnes antiquissimos constabat.*

vigore animi] Ruhnkenius repetitione vocis *animi* offensus, malebat *vigore ingenii*, quod Cludius temere recepit. v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

munificentia] Ed. pr. et Amerb. *munificentiae*, quod institutae orationis aequalitati ac tenori, in quo soli regnant ablativi, ita repugnat, ut ferri nequeat. Sextum casum, male geminata proxima littera oblitteratum (v. Prolegg. c. III. p. CXII.) restituit Ed. Basil. Structurae rationem illustravimus ad II, 33, 3.

animo super] Lipsius, quia praecedit *animi*, coniecit *omnino super;* — Heinsius *in omnia super.* V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

evectus] Burmanno melius videbatur *erectus.*

sed sobrio] Cludius suspicatur *sed nec ebrio.*

cogitaitonum] Bothius dedit *cogitatorum.*

§. 2. *et somno et cibo*] Amerb. *et cibo et somno*, quod Kreyssigius Praef. p. XXXIII. vulgato ordini Ed. principis praefert, propter Livii locos III, 2, 10. XXI, 4, 6. XXXII, 11, 9. Sed ut concedatur hunc verborum ordinem usitatiorem esse, alter certe non falsus est, quare Rhenani et Burerii auctoritatem quam Amerbachii sequi malumus; v. paullo infra ad verba §. 3. *aut nocte aut die*, de quo ordine cf. Reisigii Gramm. Lat. §. 473. p. 828, ibique Haasium.

in voluptatem uteretur, cum fuisset C. Mario sanguine coniunctissimus atque idem Cinnae gener, cuius filiam ut repudiaret nullo metu compelli potuit, cum M. Piso consularis Anniam, quae Cinnae uxor fuerat, in Sullae dimisisset gratiam, habuissetque fere duodeviginti annos eo tempore, quo Sulla rerum potitus est, magis ministris Sullae adiutoribusque partium quam ipso conquirentibus eum ad necem, mutata veste dissimilemque fortunae suae indutus habi-
3 tum nocte urbe elapsus est. Idem postea admodum

metu] Popma maluit *motu;* — Schegkius *modo.*

dissimilemque] Acidalius sibi placuit in fingendo vocabulo *dissimulumque.*

nocte] Bothius scripsit *noctu,* ne *e* littera toties recurreret.

§. 3. *ita se per*] Ed. pr. et Amerb. *ita semper;* at Burerius testatur in cod. Murb. esse *ita se per.*

ab iis] Ed. pr. et Amerb. *ab his.* Orellius recte scripsit *ab iis;* v. ad I, 2, 2. Herelius p. 565. haec verba, propter iteratum mox pronomen ipsi suspecta, delevit, totumque locum sic interpunxit: *ita se per omne spatium, quo retentus est apud eos, gessit,* probantibus Krausio et Cludio.

pariter iis] Ed. pr. et Amerb. *pariter his;* — Cludius *pariter illis;* — Orellius recte *pariter iis;* v. annotat. praeced.

aut nocte aut die] Amerb. *aut die aut nocte,* quem ordinem Orellius iure Amerbachii negligentiae tribuit, imprudenter Germanicam rationem sequentis; cf. quae de inverso naturali ordine diximus ad Sall. Catil. c. XXXVI, 4. p. 167.

quod vel maximum est, si narrari] Burmannus coniecit *quod vel maximum, etsi narrari,* non minus a vero aberrans, quam Ruhnkenius et Krausius, qui, ut vulgatam tueantur, *si* vim *etsi* particulae habere dicunt.

suspectus iis] Ed. pr. *susp. his;* Amerb. *susp. hiis.* Orellius dedit *susp. iis.*

foret] Cludius coniecit. *fieret.*

XLII, 1. *Longum est narrare* etc.] Ed. pr. et Amerb.

iuvenis, cum a piratis captus esset, ita se per omne spatium, quo ab iis retentus est, apud eos gessit, ut pariter iis terrori venerationique esset, neque unquam aut die aut nocte (cur enim quod vel maximum est, si narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut excalcearetur aut discingeretur, in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus iis, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret.

XLII. Longum est narrare, quid et quotiens 1

Longum est narrare, quid et quotiens ausus sit, quanto opere conata eius; qui obtinebat Asiam magistratus P. R., motu suo destituere. Illud referatur documentum tanti mox evasuri viri; quae nox etc. Impeditum hunc locum, quem Chr. Schneiderus in Prooemio lectionum, per hiemem in univers. Vratislav. 1836. habendarum, docta, sed, ut nobis quidem videtur, impedita ratione emendare conatus est, sola interpunctione et interpretatione expedivisse nos confidimus. Capitalis enim error est editorum, verba *quid et quotiens ausus sit* spectare ad Caesaris ausa *ex captivitate piratarum aufugiendi vel se liberandi*, quae *Caesaris* conata proconsul Asiae, vel ipsum metuens, vel piratas, auxilio non iuverit, sed destituerit. In qua sententia quum abrupta sint omnia, Ruhnkenius et Krausius nonnulla excidisse statuunt, quibus, quid Caesar ausus esset, exprimeretur. Sed locus sanus est. Primum autem tenendum est, verba *Longum est narrare quid et quotiens ausus sit* non pertinere ad captivitatem apud piratas, sed latiore sensu respicere ad peregrinationem Asiaticam, ad quam illustrandam apposite facit locus Suetonii Caes. c. IV. *Vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quo pertenderat, transiit in Asiam, auxiliisque contractis et praefecto regis provincia expulso, nutantes ac dubias civitates retinuit in fide.* Tum, quod ad constructionem attinet, verba *quanto opere — destituerit* non pendent ex praecedentibus *longum est narrare*, sed ex sequenti *referatur*, ita ut verba *illud argumentum* cum magna vi se-

ausus sit. Quanto opere conata eius, qui obtinebat Asiam, magistratus populi Romani motu suo destituerit, illud referatur documentum tanti mox evasuri viri. 2 Quae nox eam diem secuta est, qua publica civitatium pecunia redemptus est, ita tamen, ut cogeret

quentis enunciationis potestatem in se recipiant; quare comma post *sit* mutavimus in punctum, pro puncto autem, quod est post *destituerit*, posuimus comma, quo vera enunciationum ratio restituitur. Iam *eius* non itelligendum est de *Caesare*, sed cum *magistratûs* coniunctum de *Iunio* proconsule dictum est, cuius quae *conata* fuerint infra §. 3. narratur. Ea *destituit* Caesar, i. e. *elusit et irrita fecit* (cf. Liv. I, 51, 5. *Quod morando spem destituerit*, ubi v. Gronov. et Drakenborch. Sueton. Caes. c. 9. *Destitutum consilium morte Pisonis.)*, et quidem *motu suo*, i. e. *consilio suo, non aliunde pendente*, quod germanice dicas *indem er auf eigene Hand verfuhr.* Quae incredibilis agendi ἐνέργεια Caesaris, quam Velleius illustri aliquo exemplo declarandam sibi proposuit, quo clarius eluceret, oppositionem quaesivit auctor inter verba *eius, qui obtinebat Asiam, magistratus populi Rom.*, et *motu suo*, ita ut appareret Caesarem, despecta *publica auctoritate*, iam tum *suo arbitrio* res suas gessisse, quemadmodum docetur capite extremo. *Motu suo* eodem modo dictum est ut II, 52, 2. *Pompeius, diversa aliis suadentibus — usus impetu suo hostem secutus est. — Illud documentum* autem est id, quod statim subiicitur; cf. II, 52, 4; II, 104, 1. Eodem sensu Latini dicunt *hic;* qui barbare loquuntur, *sequens.* De re ipsa v. Plutarch. in vita Caes. c. II. Sueton. Caes. c. IV. Iam de singulis, quae restant, agemus.

quid et quotiens] Bothius scripsit *quas et quot res.*

quotiens] Ita Amerb. *quoties* Ed. pr.

Quanto opere] Burmannus coniecit *quantoque opere;* — Bothius *et quanto opere;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 19. *quamque ob rem.*

qui obtinebat] Ursinus, probante Lipsio, scripsit *qui obtinebant*, sc. ut *magistratus* sit nom. pluralis; sed. v. not. superiorem.

motu suo destituerit] Ed. pr. et Amerb. *motu suo desti-*

ante obsides a piratis civitatibus dari, contracta classe et privata et tumultuaria, invectus in eum locum, in quo ipsi praedones erant, partem classis fugavit, partem mersit, aliquot navis multosque mortalis cepit; laetusque nocturnae expeditionis, triumpho ad suos 3

tuere. Sed iam Rhenanus vidit scribendum esse *m. s. destituerit*, quod Laurentius quoque in Locis Vell. p. 48. probat; — Ed. Basil. scripsit *metu suo destituere*; — Krausius, obsequente Orellio, *metu suo destituerit;* — Sauppius apud Orellium *metu suo destitueret*; — Huthius in Quaestt. critt. p. 19. *mora sua destituere;* — Cludius totum locum sic immutandum censet: *quantopere conata eius ille magistratus populi Romani, qui obtinebat Asiam, metu suo destituerit.*

§. 2. *redemptus est*] In Ed. pr. vel Rhenani errore vel typothetae lapsu excidit *est*, quod habent Burer. et Amerb.

ut cogeret] Cludius scripsit *ut cogerent.*

contracta classe] Cludius scripsit *eâ*, (sc. nocte) *contracta classe.*

et privata] Ed. pr. et Amerb. *et privatus.* Vere restituisse Velleii manum Oudendorpium, qui, referente Ruhnkenio, coniecit *et privata*, documento est *et* — *et* particula, quippe qua duo attributa unius nominis praegressi comprehendantur. Quamquam *privata classis* non est, ut Krausius interpretatur, classis *privato ausu* contracta, sed constans ex privatorum hominum navibus, mercaturae, non bello destinatis. cf. Caes. B. C. I, 34. *Cognoscit profectum Domitium navibus actuariis septem, quas a privatis coactas servis, libertis, colonis suis compleverat.* — Cludius coniecit *et privatim et tumultuariae*, vel etiam *dari, privatus contracta classe tumultuaria;* — Orellius *et privatim et tumultuaria.*

in quo ipsi] Bothius scripsit *in quo ipso.*

classis] Bothius Hanc vocem delendam censet, uncinisque inclusit.

§. 3. *laetusque nocturnae expeditionis, triumpho*] Cum Rhenanus hunc locum sine interpunctione edidisset, Aldus Nepos interpunxit post *triumpho*, Acidalius vero post *expeditionis*, ut ille genitivus ex *laetus* pendeat, *triumpho* iungatur

reversus est, mandatisque custodiae, quos ceperat, in Bithyniam perrexit ad proconsulem Iunium, (Nicomedeam enim is iam tanquam obtinebat), petens, ut auctor fieret sumendi de captivis supplici. Quod cum ille se facturum negasset, venditurumque captivos

cum *reversus est.* Ruhnk. *Lactus* c. genitivo coniunxit etiam Sallustius Fragm. Hist. II, 24. Ed. Gerl. (p. 959. Cort.), cf. Valer. Flacc. III, 659. Ruddim. Institt. Gramm. Vol. II. p. 74.

custodiae, quos] Amerb. *custodia equos.*

in Bithyniam] Bothius haec ut glossema delevit.

Nicomedeam enim is iam tamquam obtinebat] Ed. pr. et Amerb. *cum idem enim Asiam eam quam obtinebat.* Haec verba plus uno nomine corruptissima, quae omnem emendationem eludere viderentur, felicissima ingeniosissimaque coniectura persanavit Chr. Schneiderus in Prooem. Lectt. univers. Vratislav. a. 1836. p. 8. Nam quum in summa vulgatae lectionis obscuritate hoc tamen pateret, Velleium verbis in parenthesi positis caussam afferre, cur Iunius, *Asiae* proconsul, in *Bithynia* esset, — nam ut res singularis per se postulat eius rationem afferri, ita *enim* particula argumento est, revera esse allatam, — Schneideri emendatio non solum sententiam longe aptissimam praebet, sed etiam singularum corruptelarum originem ita monstrat, ut dubitari nequeat, quin Velleii manus restituta sit. Sensus autem hic est: Iunius, Pergamo vel Epheso relicta, quae consueta sedes proconsulum Asiae fuit, *Nicomedeae* in *Bithynia* versabatur, ibique erat sic, ut eam *iam quasi obtinere*, in eaque non ut in alieni regni, sed in provinciae suae urbe commorari, *videretur*, vel quia eam destinatam populo Romano sciret, et mox adiunctum iri provinciae, quam ipse obtinebat, putaret, vel aliam ob caussam, nobis incognitam. Iam qui Prolegomena inspexerit c. III. p. CI., non mirabitur *Nicomedeam* abiisse in *cum idem;* quippe *ni* syllaba, pro *m* habita, adhaesit praecedenti vocabulo *Iuniū*, neglectâ, quae *u* litterae imposita fuit, lineolâ; ex *com* deinde factum *cum*, et residua pars utcunque lecta est pro *idem.* Tum *is iam* conflatum in *Asiam*, *et tamquam* divulsum in *eam quam.* Utroque autem corruptelae genere nihil esse frequentius in cod. Murb. ostendimus in Prolegg. p. CI sq. Ad grammaticam formam quod attinet, *Nicomedeam*, quo ducunt lectionis vestigia, non sollicitandum esse, quamquam vulgo *Nicomedia* dicitur, patet ex

dixisset, (quippe sequebatur invidia inertiam,) incredibili celeritate revectus ad mare, priusquam de ea re ulli proconsulis redderetur epistula, omnis, quos ceperat, suffixit cruci.

XLIII. Idem mox ad sacerdotium incundum 1

dictis ad II, 87, 1. De *is* pronomine v. ad II, 40, 4. Denique *tanquam* verbo *obtinebat* additum est, quia hoc *proprie* dicitur de magistratibus, qui provinciae praesunt, cf. II, 78, 3; II, 125, 5. Cic. Epp. ad Famm. I, 9, 29. v. Herzog. ad Caes. de B. C. I, 85. p. 206. — Rhenanus coniecit *tum idem enim Asiam eam obtinebat;* — Ed. Basil. *is enim Asiam tum obtinebat;* — Aldus Nepos *is enim Asiam provinciam obtinebat;* — Acidalius *idem enim Asiam eandem obtinebat;* — Lipsius *tum idem enim Asiam, eamque obtinebat;* — Heinsius *tum idem enim Asiam eamque oram obtinebat;* — Grunerus *tum idem enim Asiae eam partem obtinebat;* — Ed. Bipont. *idem enim cum Asia eam quoque obtinebat;* — Orellius *idem enim cum Asia eam tum obtinebat;* — Laurentius in Locis Vell. p. 48. *reliquerat enim Asiam eam, quam obtinebat;* — Huthius in Quaest. critt. p. 20. *Nicomedes enim Asiam tanquam obtinebat;* — Ruhnkenius atque Krausius verba a glossatore illata censent, qui monere vellet, Iunium eundem esse cum eo, qui initio h. c. *magistratus populi Romani Asiam obtinens* memoratur.

invidia inertiam] Speciose admodum Oudendorpius apud Ruhnkenium coniecit *avaritia inertiam*, praesertim quum Plutarchus in Caes. c. II. de Iunio dicat ἐκείνου δὲ καὶ τοῖς χρήμασιν ἐποφθαλμιῶντος (ἦν γὰρ οὐκ ὀλίγα) καὶ περὶ τῶν ἀλχμαλώτων σκέψεσθαι φάσκοντος ἐπὶ σχολῆς. Nihilominus vulgata ferri potest. Nam si non admodum urgeas *sequebatur* verbum, sensus est *cum inertia coniuncta erat invidia*, sive *ad inert. accedebat invidia.* Scilicet *inertia* cernebatur in tarditate, qua rem differebat; *invidia* in eo, quod Caesaris fortitudinem ac felicitatem aegre ferens eius voluntati adversabatur. — Haasius privatim me monuit sibi legendum videri *invidiam inertia.*

redderetur epistula] Burer. et Amerb. *redderentur epistula;* Ed. pr. *redderetur epistola,* ex tacita sed verissima Rhenani correctione. Burerius maluit *redderentur epistulae,*

(quippe absens pontifex factus erat in Cottae consularis locum, cum paene puer a Mario Cinnaque flamen dialis creatus, victoria Sullae, qui omnia ab iis acta fecerat inrita, amisisset id sacerdotium), festinans in Italiam, ne conspiceretur a praedonibus, omnia tunc obtinentibus maria et merito iam infestis sibi, quattuor scalmorum navem una cum duobus amicis decemque servis ingressus effusissimum Adriatici
2 maris traiecit sinum. Quo quidem in cursu conspectis, ut putabat, piratarum navibus, cum exuisset vestem alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunae parans, mox intellexit frustratum esse visum suum, arborumque ex longinquo ordinem antemnarum

probantibus Ruhnkenio, Krausio, Orellio. Sed eo grammaticae magis consulitur, quam sensui; *singulis* enim *(ulli) plures* a Iunio de ea re redditas fuisse epistolas non est credibile.

XLIII, 1. *in Cottae*] Ed. Basil. scripsit *cum in Cottae.*

locum, cum paene] Ed. pr. et Amerb. *locum, paene.* Excidisse *cum* ante *paene,* absorptum eadem syllaba antecedente (v. Prolegg. c. III. p. CVIII.) sollerter perspexit Lipsius.

id sacerdotium] Ed. pr. et Amerb. *ad sacerdotium,* quae sive depravatio sive aberratio eo orta est, quod is, qui cod. Murb. scripsit, verba construxit cum *festinans;* v. Prolegg. c. III. p. CV sqq. Verum restituit Ed. Basil.

tunc obtinentibus] Bothius scripsit *adhuc obtin.*

merito iam infestis] Ed. pr. et Amerb. *merito tam infestis.* Quod ut absurdum est, quum ne verbo quidem doceatur *quantopere* Caesari infesti fuerint praedones, ita longe aptissimam ac simul subtilitati Velleianae (cf. II, 40, 5.) accommodatissimam sententiam praebet emendatio Ed. Bipont. a nobis recepta. Nam Caesari *merito iam* infesti erant praedones ob classem fugatam mersamque ac socios captos et cruci suffixos, quum *antea* ob nullam caussam et immerito ei essent insidiati.

praebuisse imaginem. Reliqua eius acta in urbe, no- 3
bilissimaque Dolabellae accusatio, et maior civitatis in eo favor, quam reis praestari solet, contentionesque civilis cum Q. Catulo atque aliis eminentissimis viris celeberrimae, et ante praeturam victus maximi pontificatus petitione Q. Catulus, omnium confessione senatus princeps, et restituta in aedilitate, adversante 4
quidem nobilitate, monumenta C. Mari, simulque revocati ad ius dignitatis proscriptorum liberi, et praetura quaesturaque mirabili virtute atque industria obita in Hispania, cum esset quaestor sub Vetere Antistio, avo huius Veteris consularis atque pontificis, duorum consularium et sacerdotum patris, viri in tantum boni,

§. 3. *Dolabellae*] Ed. pr. et Amerb. *Dolobellae;* quam nominis scripturam non mereri quae vulgatae praeferatur luculentis argumentis demonstravit. Drakenb. ad Livii Epit. lib. CXIX. Nihilominus Ruhnkenius et Krausius Ed. pr. secuti sunt.

et maior] Ed. Bipont. scripserunt *sed maior.*

in eo favor] Ed. pr. et Amerb. *in ea favor.* Quum *rei* non comparari possint cum *accusatione*, sed cum *reis*, *aliis* autem *reis* opponatur is, qui tum reus fuit, i. e. Dolabella, nihil certius est Heinsii emendatione *in eo favor* scribentis, ita ut vix possit intelligi cur Orellius eam sententiae scriptoris adversari dicat. Eo ipso enim *nobilissima* facta est ista accusatio, quod Caesar Delabellam, quem Cotta et Hortensius defenderent (v. Cic. Brut. 92, 317. Valer. Max. VIII, 9, 3.), cuique senatus atque nobiles faverent (v. Drumanni Hist. Rom. Vol. II. p. 562.), aggredi audebat, tantis impedimentis a consilio non deterritus. De constructione verborum *civitatis in eo favor* v. supra ad I, 12, 7. et ad II, 31, 3; II, 53, 3; II, 82, 3. Hand. de Particc. Latt. Vol. III. p. 292 sqq. — Bothius coniecit *in ea favor, qui reis.*

praestari] Amerb. *praestare.*

§. 4. *obita*] Heinsius maluit *obitae.*

atque pontificis] Amerb. *ac pontificis.*

in quantum humana simplicitas intellegi potest, quo notiora sunt, minus egent stilo.

1 XLIV. Hoc igitur sonsule inter eum et Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiae societas, quae urbi orbique terrarum, nec minus, diverso
2 quamquam tempore, ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius causam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis, quibus, ut praediximus, multi obtrectabant, per Caesarem confirmarentur consulem; Caesar autem, quod animadvertebat

quo notiora sunt] Heinsius scribendum censuit *quae quo n. s.*

XLIV, 1. *diverso quamquam tempore*] Ed. pr. et Amerb. *diverso quoque tempore*, quam scripturam mirum est tulisse Ruhnkenium, Krausium, aliosque. Nam quum verba *nec minus ipsis* arcte cohaereant, id quod oppositionis ratio docet, quae intercedunt, non possunt aliter, quam per parenthesin dicta esse, qua res ad temporis diversitatem restringitur. Id recte assecutus est Heinsius coniiciens *diverso quamquam temp.*, cum antea minus bene tentasset *div. utcunque temp.* Acidalius coniecit *div. quoique temp.*; — Laurentius in Locis Vell. p. 142. et Friebelius in Graec. Satyr. Fr. p. 149. *div. cuique temp.*; — Haasius *diverso tempore ipsis quoque.*

§. 2. *praedixímus*] Amerb. *praedixi.* Ed. principis scripturam confirmat Burerii tacitum testimonium; quare Rhenanus non restituit *mus* syllabam, ut censet Orellius ad h. l. et Kreyssigius Praef. p. XXXIII, sed Amerbachius omisit.

quem principatum] Ita Burer. et Amerb. — *qui principatum* Ed. pr., Rhenano falsa structura inita in errorem illecto, v. Prolegg. c. III. p. CV sq. De relativi accusativo cf. annot. ad II, 39, 3.

viribus] Burer. et Amerb. *viri viribus;* Rhenanus in Ed. pr. tacita correctione *viri* omisit, quippe oscitantia librarii ortum; v. Prolegg. c. III. p. CXIII. Laurentius in Locis Vell. p. 46. coniecit *virtute et viribus*..

§. 3. *quippe filiam*] Orellius scripsit *quippe Iuliam*

se cedendo Pompei gloriae aucturum suam, et invidia communis potentiae in illum relegata confirmaturum viris suas; Crassus, ut quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompei, viribus teneret Caesaris. Affinitas etiam inter Caesarem Pompeiumque contracta nuptiis, quippe filiam C. Caesaris Cn. Magnus duxit uxorem. In hoc consulatu Caesar legem tulit, ut ager Campanus plebei divideretur, suasore legis Pompeio. Ita circiter viginti milia civium eo deducta et ius civitatis restitutum post annos cir- 3 4

filiam, nomen proprium absorptum putans simili voce sequenti. Quod potuit quidem fieri, si *Iuliae* nomen affuit, sed id poni non utique fuit necesse.

§. 4. *ut ager*] Amerb. *aut ager.*

ius civitatis restitutum] Ed. pr. et Amerb. *ius ab his restitutum*, quam scripturam defendunt Vossius ad h. l., Mazochius de Amphith. Camp. p. 15. et ad Tab. Heracl. p. 303. et Laurentius in Locis Vell. p. 142. Sed *ab his* neque cum Vossio ad *Caesarem et Pompeium* referri potest, quia civitas dabatur plebiscito, neque cum Popma ad *colonorum deductorum* tempus, cui rei lingua repugnat, neque, si alterutrum fieri posset, *ius* nude *civitatis ius* posset significare. Mendum, quo hic locus inquinatus fuit, ortum ex neglecto vel male intellecto scribendi compendio, feliciter sustulit Puteanus, coniiciens *ius civitatis restitutum*, sc. Capuae, quam vocem facillime *ἀπὸ κοινοῦ* intelligas ex praegressa loci particula *eo*, praesertim quum ipsum Capuae nomen sequatur. De Campania a. u. c. 542. a. Chr. n. 211. civitatis iure multata v. Liv. XXVI, 16, 8. *Ager omnis et tecta publica populi Romani facta. Ceterum habitari tantum tamquam urbem Capuam frequentarique placuit; corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse, sine consilio publico, sine imperio multitudinem, nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore; praefectum ad iura reddenda ab Roma quotannis missuros.* — Heinsius coniecit *ius urbis* vel *urbi restit.*; — Burmannus *ius priscum restitutum*; — Lipsius

citer centum quinquaginta duos, quam bello Punico ab Romanis Capua in formam praefecturae redacta erat. Bibulus, collega Caesaris, cum actiones eius magis vellet impedire quam posset, maiore parte anni domi se tenuit; quo facto dum augere volt invidiam collegae, auxit potentiam. Tum Caesari decretae in quinquennium Galliae.

1 XLV. Per idem tempus P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum, malorum propositorum exsecutor acerrimus, infamis etiam sororis stupro et actus incesti reus ob initum inter religiosissima populi Romani sacra adulterium, cum

ius his restitutum; — Bothius *ius accolis restitutum.* — Sigonius de Antiq. Iur. Ital. III, 4. p. 782. ed. Lips. *ius iis restitutum.*

§. 5. *augere volt*] Ita Amerb.; Ed. pr. *augere vult.* Cludius imperite scripsit *augere voluit,* scilicet quia sequitur *auxit.* cf. Zumpt. Gramm. Lat. 76, 11. §. 506 sq. p. 436. ed. VIII.

XLV, 1. *qui neque dicendi*] Ed. pr. et Amerb. *quique dicendi,* quod defendunt Vossius, Burmannus ad h. l. et Schaeferus ad Gregor. Cor. p. 58., merito repugnante Ruhnkenio. Verum reperit Vascosanus; *quique* enim nihil aliud est, quam *qui* pronominis compendium *q̃* cum *neque* conflatum, quum *ne* et *ui* littera saepe vix discerni possint in codicibus. Heinsius maluit *quique nec dicendi nec faciendi.*

actus incesti reus] Gelenius coniecit *factus inc. reus,*

ob initum] Herelius p. 565. tres una fundit coniecturas, *ob tentatum,* vel *ob inauditum,* vel *ob nefastum;* — Krausius quod coniecerat *ob inlatum,* ipse damnavit postea. *Initum* intelligendum est de conatu adulterii committendi, non de perpetrato flagitio.

indemnatum] Ed. pr. et Amerb. *damnatum.* Putcanus, quod res ipsa postulat, restituit *indemnatum.* cf. Dio Cass. XXXVIII, 14. p. 160. Reim. Ὁ δὲ δὴ νόμος, ὃν μετὰ ταῦτα ὁ

gravis inimicitias cum M. Cicerone exerceret, (quid enim inter tam dissimilis amicum esse poterat?) et a patribus ad plebem transisset, legem in tribunatu tulit, qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur; cuius verbis etsi non 2 nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. Ita vir optime meritus de republica conservatae patriae pretium calamitatem exili tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Caesar et Pompeius. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter viginti-viros dividendo agro Campano esse noluisset. Idem 3 intra biennium sera Cn. Pompei cura, verum, ut coepit, intenta, votisque Italiae ac decretis senatus,

Κλώδιος ἐχήνεγκεν, ἄλλως μὲν οὐκ ἐδόκει ἐπ' αὐτῷ (τῷ Κικέρωνι) τίθεσθαι (οὐδὲ γὰρ τὸ ὄνομα αὐτοῦ εἶχεν), ἀλλὰ κατὰ πάντων ἁπλῶς, τῶν πολιτῶν τινα ἄνευ τῆς τοῦ δήμου καταγνώσεως ἀποκτενούντων ἢ καὶ ἀπεκτονότων. ἔργῳ δὲ ἐπ' αὐτὸν (τὸν Κικέρωνα) ὅτι μάλιστα συνεγράφετο. De verbo *indemnatus* v. Cic. or. p. dom. c. 9, 21. *Catonem carnificem civium, indemnatorum necis principem fuisse dixeras.*

et aqua] Ed. pr. et Amerb. *et aqua.* Correxit Ed. Basil. cf. Cic. or. p. dom. cf. 18, 47. *Velitis, iubeatis, ut M. Tullio aqua et igni interdicatur?*

§. 2. *cuius verbis*] Burmannus coniecit *quibus verbis,* quod Ed. Bipont. receperunt. *Cuius* refertur ad *legem.*

calamitatem] Ed. pr. et Amerb. *calamitate.* Correxit Ed. Basil.

dividendo] Amerb. *videndo.*

ut coepit intenta] Ed. pr. et Amerb. *et cupit interita.* Felicem Ed. Basil. emendationem, pro *et cupit* scribentis *ut coepit,* Ruhnkenius stabilivit his exemplis: Liv. XXI, 10, 7. *Quo lenius agunt, segnius incipiunt, eo, quum coeperint, vereor ne perseverantius saeviant.* Seneca de Ira I, 1. *Necessitudinum immemor, in quod coepit, pertinax et intenta.* — Vocem *interita,* quam minus dextre Ed. Basil. mutavit in *inter-*

virtute atque actione Anni Milonis tribuni plebis dignitati patriaeque restitutus est. Neque post Numidici exilium aut reditum quisquam aut expulsus invidiosius, aut receptus est laetius; cuius domus quam infeste a Clodio disiecta erat, tam speciose a senatu
4 restituta est. Idem P. Clodius in tribunatu sub honorificentissimo ministeri titulo M. Catonem a repu-

rita, depravatam esse ex *intenta* vidit Wopkensius in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 51., multum probante Oudendorpio ad Apulei. Metam. III. p. 231. *Intenta cura* paene formula solennis est, tam crebro legitur apud Livium, ut docuerunt Gronovius et Drakenborch. ad XXV, 9, 7. — Rhenanus coniecit *et cupito interitu;* — Aldus Nepos *ex cupito reditu;* — Heinsius *et cupiti interrita;* — Burmannus *ut coepit, interriti;* — Bondamus in Varr. Lectt. I, 2. *et utili, nec irrita;* — Seebodius apud Cludium *ut cupit, intenta;* — Faehsius in Sylloge Lectt. *ut coepit, non irrita.*

§. 4. *in tribunatu*] Ed. pr. et Amerb. *in senatu*, quod est falsissimum; res enim comitiis tributis acta, ut statim post docetur; cf. Livii Epit. lib. CIV. *Lege lata de redigenda in provinciae formam Cypro — M. Catoni administratio eius rei mandata est.* Flor. III, 9, 3. *Divitiarum (Cypri) tanta erat fama, ut populus P. Clodio tribuno duce socii vivique regis confiscationem mandaverit.* Dio Cass. XXXVIII, 30. p. 174. Plutarch. Cat. c. 34. Neque tamen cum Cuiacio in Obss. VII, 9. verba *in senatu* delenda sunt, ut fecerunt Ruhnkenius et Krausius, sed cum Heinsio rescribendum *in tribunatu;* v. Halmii Emendd. Vell. p. 11. et quae diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 14. p. 126. Quippe haesit vox librario ex antecedentibus, sono non multum diverso. — Ed. Bipont. coniecere *infensus;* — Herelius p. 565. *insano conatu*, vel *insano ausu;* — Orellius *insania actus;* — Seebodius apud Cludium *insano astu;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 7. *sine senatu.*

honorificentissimo] Lipsius maluit *honorificentissimi.*

is quaestor] Aldus Nepos coniecit *is quaesitor;* — Lipsius *is quaestorius*, eo offensi, quod Cato septem annis ante, a. u. c. 688. a. Chr. n. 65. quaestor fuerat, teste Plutar-

blica relegavit. Quippe legem tulit, ut is quaestor cum iure praetorio, adiecto etiam quaestore, mitteretur in insulam Cyprum ad spoliandum regno Ptolemaeum, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum. Sed ille sub adventum Catonis vitae suae vim intulit. Unde pecuniam longe sperata maiorem Cato Romam retulit; cuius integritatem laude fraudari

cho in Cat. c. XVI. Sed non attenderunt, verbis *quaestor cum iure praetorio* extraordinarium munus designari; cf. Sall. Catil. c. XIX, 1. *Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est*, ubi v. annot. nostram. — Burmannus praeterea scripsit *quaestorius iure praetorio*, omissa *cum* particula, tanquam nata ex proximis litteris.

quaestore, mitteretur] Ed. pr. et Amerb. *quaestor emitteretur*. Correxit Ed. Basil. v. Prolegg. c. III. p. CII.

§. 5. *laude fraudari*] Ed. pr. et Amerb. *laudari*, ineptâ sententiâ, quicquid dicunt Lipsius, Krausius, interpretes ad Plin. Paneg. c. XLII. et Heusinger. ad Nep. Phoc. c. 1. Nam etsi ferri posset, si dixisset auctor Catonis integritatem, quia notissima sit, *laudari non opus esse*, tamen laudem eius *nefariam* dicere nimis est absurdum; neque huc pertinet locus Taciti Agric. c. IX. *Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit;* non viderunt enim qui eo maxime nituntur, specie eum, non re esse Velleiani similem, quippe cuius universa conformatio quaesitam habeat sententiarum oppositionem, quae nulla est apud Tacitum. Acute Halmius in Emendd. Vell. p. 8. perspexit *laudari* conflatum esse ex *laude fraudari*, oscitante librario ab initio prioris vocabuli transeunte in alteram partem posterioris, cuius generis vitia plura reperiuntur; v. et supra ad II, 11, 2. Iam sententia prodit planissima ac Velleianae dictioni convenientissima; cf. II, 12, 6. *Non tamen huius consulatus fraudetur gloria.* II, 92, 1. *Praeclarum excellentis viri factum C. Senti Saturnini ne fraudetur memoria.* II, 32, 2. *Plebs adversarium voluntatis suae vero testimonio fraudare noluit.* II, 76, 1. *Quod alieno testimonium redderem, eo non fraudabo avum meum.* Quintil. II, 14, 1. *Quos equidem non fraudaverim debita laude.* Curt. IV, 16, extr. *Ne duces quidem copiarum sua laude*

nefas est, insolentia paene argui potest, quod una cum consulibus ac senatu effusa civitate obviam, cum per Tiberim subiret navibus, non ante is egressus est, quam ad eum locum pervenit, ubi erat exponenda pecunia.

1 XLVI. Cum deinde immanis res, vix multis voluminibus explicandas, C. Caesar in Gallia ageret, nec contentus plurimis ac felicissimis victoriis innume-

fraudandi sunt. Quibus locis omnibus quum *non fraudare laude* sit *libenter laudare*, sequitur *fraudare laude* esse *non libenter laudare, laudem denegare*, vel *debitam laudem tribuere nolle;* cui sententiae quam bene conveniat praedicatum *nefas est* quivis intelliget. Hoc ipso nomine deteriores sunt coniecturae Aldi Nep. *non laudari*, et Ruhnkenii *haud laudari.* Praeterea Grunerus coniecit *laudare;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 71. p. 592. *cuius integritas e laudari non satis, insolentia* etc.

per Tiberim] Burmannus *per* spurium iudicat.

is egressus] Aldus Nepos scripsit *iis egressus*, multum probante Ruhnkenio, qui ut *iis* dativum esse demonstraret, contulit Liv. IX, 6, 7. *Venientibus Capuam cunctus senatus populusque obviam egressi.* Sed huic loco quid simile? Cludius *iis* pro ablativo habet ad *navibus* spectante; — Ed. Basil. scripsit *his;* — Orellius *is* antiqua scriptura pro *iis* dictum censet. Falsi omnes; *is* est Cato. v. ad II, 40, 4.

XLVI, 1. *et captis*] Ita Burer. et Amerb.; *ac captis* Ed. pr. Rhenani levi errore.

imperio nostro ac suo] Herelius p. 565. coniecit *imperio, Oceano transcenso.*

iunctum par consulum] Ed. pr. et Amerb. *victus pars consulum*, cui ulceri simplicissimam adhibuit medelam Orellius, coniiciens *iunctum par c.;* in quod etiam incidit Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 149.; nam *iunctum*, compendio hoc scriptum ĩnctũ, quam paene idem sit cum voce *uictus* per se patet; *par* autem, sive ea vox falsa constructione, sive alia de caussa in *pars* abiit, certissima est correctio, iam a Rhenano facto, ac paene nulli non probata. *Par consulum* dixit etiam

rabilibusque caesis et captis hostium milibus etiam in Britanniam traiecisset exercitum, alterum paene imperio nostro ac suo quaerens orbem, iunctum par consulum, Cn. Pompeius et M. Crassus, alterum iniere consulatum, qui neque petitus honeste ab iis, neque probabiliter gestus est. Caesari lege, quam 2
Pompeius ad populum tulit, prorogatae in idem spatium temporis provinciae; Crasso, bellum Parthicum

Livius VIII, 29, 10. XXIV, 7, 9. XXVII, 34, 11. *Iunctum par consulum* dicuntur Pompeius et Crassus, quia iam quindecim annis ante, a. u. c. 683, a. Chr. n. 70., una consules fuerant, eoque videbantur ut potentiae studio, ita consulatus honore sociati esse, quae res ob raritatem sane meruit, ut verbo certe a Velleio significaretur. — Rhenanus coniecit *invictum par cons.*; — Ursinus *vetus par c.*; — Bonhommaeus *vietus par c.*; — Acidalius *invisum* vel *invinctum par c.*; Lipsius *inclitum par c.*; — Vossius *vinctum par c.*; — Ruhnkenius *unicum par c.*; — Luxdorphius in Iahnii Nov. Annall. Philol. et Paed. Suppl. I, 2. p. 170. *unctum par c.*; — Rupertus ad Sall. Catil. c. XIX, 1. *invidum par consulum*; — Schefferus in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 459. *victis patribus conscriptis*; — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. 1836. Vol. I. No. 56. p. 445. *victis partibus consulum*, sc. superioris anni; — Laurentius in Locis Vell. p. 36 *virtute pariter et consilio*, ita ut haec praecedentibus ad Caesaris laudem adiiciantur; — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 68. p. 569. *exercitum, ac, alterum paene imp. nostro ac suo quaer. orbem, vicisset ex parte insulam, Cn. Pompeius.*

ab iis] Ed. pr. *ab his*; Amerb. *ab hiis*; — Orellius recte *ab iis*; cf. ad I, 2, 2.

§. 2. *lege, quam*] Ed. pr. *legem, quam*; Amerb. *leges, quas*; unde Orellius immerito fecit *legibus, quas*, rectius Ed. Basil. *lege, quam*, quod non solum proxime accedit ad scripturam Ed. pr. (v. Prolegg. p. XCIII.), sed etiam cum disertis aliorum auctorum testimoniis congruit; v. Plutarch. v. Pompei. c. LII. Cat. Min. c. XLIII. Dion. Cass. XXXIX, 33. p. 206.

animo molienti, Syria decreta. Qui vir cetera sanctissimus immunisque voluptatibus, neque in pecunia neque in gloria concupiscenda aut modum norat, aut
3 capiebat terminum. Hunc, proficiscentem in Syriam diris cum ominibus, tribuni plebis frustra retinere conati. Quorum exsecrationes si in ipsum tantummodo

Reim. coll. Laurentio in Iahnii Nov. Ann. Phil. et Paed. Suppl. Vol. VI, 1. p. 9.

animo molienti] Ed. pr. et Amerb. *in animo mol.* Praepositionem, quam recte omisit Cludius, ex praecedente *m* littera ortam esse certo argumento est dicendi usus; semper enim dixerunt Latini *rem moliri, volvere, agitare animo* vel *mente*, nunquam *in animo, in mente* nisi forte corrupta in libris lectio est; cf. Drakenb. ad Liv. XLIV, 18, 1. Cort. ad Sall. Iug. c. LXXXIV, 4. Tacit. Hist. I, 30. II, 49. Diversam esse rationem dictionis *rem habere in animo*, quemadmodum locutus est Livius XXXIV, 58, 12. XXXVII, 28, 8., vix est quod moneatur.

§. 3. *diris cum ominibus*] Ed. pr. *diris cum omnibus;* Amerb. *diris c. ominibus*, sive ex felici coniectura, sive quia probam cod. Murb. scripturam melius legit. Nam *ominibus* a Vellelo scriptum fuisse, quemadmodum Ed. Basil. iam ex coniectura edidit, tum verborum structura et dicendi ratio, tum res ipsa, aliorum scriptorum testimonio tradita, abunde probat. *Omnibus* enim si retineas, *diris* substantivum est; iam quominus verba *diris cum omnibus* coniungas cum *proficiscentem*, praeter sensum paene ineptum, quem habet in hoc nexu *omnis* vox, utique obstat eorum collocatio; nunquam enim *cum* particula adiectivo sociata postponitur substantivo. Eadem autem perversitas non solum manet, si verba retuleris ad *retinere*, sed novo augetur soloecismo, siquidem *retinere aliquem cum re aliqua* merus est germanismus. Sed Vellelus scripsit *proficiscentem cum diris ominibus*, de qua constructione v. Handium de Particc. Lat. Vol. II. p. 153. Quae autem dicit *dira omina*, ea Cicero, eandem rem narrans, vocat *dirarum obnunciationem, diras*, et *obnunciationem*, de Divin. I, 16, 29. *M. Crasso quid acciderit videmus, dirarum obnunciatione neglecta.* Ibid. *Etenim dirae, sicut cetera auspicia, ut omina, ut signa, non causas afferunt, cur quid eveniat, sed nunciant*

valuissent, utile imperatoris damnum, salvo exercitu, fuisset reipublicae. Transgressum Euphraten Cras- 4
sum petentemque Seleuciam circumfusis immanibus copiis equitum rex Orodes una cum parte maiore Romani exercitus interemit. Reliquias legionum C. Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum quaestor,

eventura, nisi provideris. — Ibid. *Non igitur obnunciatio Ateii causam finxit calamitatis.* — *Ita aut illa obnunciatio nihil valuit, aut* etc. cf. Adami Antiqq. Rom. Vol. I. p. 414 sqq. Ad illustrandum nostrum locum multum facit Appian. B. Civ. II, 18. p. 197. Ed. Schweigh. *Ἀλλὰ Κράσσῳ μὲν ἐξιόντι τῆς πόλεως πολλά τε ἄλλα ἀπαίσια ἐγίγνετο* (intelliguntur *dira omina*) *καὶ οἱ δήμαρχοι προηγόρευον μὴ πολεμεῖν Παρθυαίοις, οὐδὲν ἀδικοῦσιν. οὐ πειθομένῳ δὲ δημοσίας ἀρὰς ἐπηρῶντο* (quod apud Velleium est *frustra retinere conati*). cf. Plutarch. Crass. c. XVI. Dion. Cass. XXXIX, 39. p. 210. Reim. Flor. III, 11, 3. — Burmannus Ed. pr. sequitur.

in ipsum] Cludius mavult *in illum.*

utile] Lipsius speciose coniecit *vile*, quod certatim amplexi sunt Heinsius, Burmannus, Ruhnkenius, coll. Tacit. Ann. II, 85, 3. Sed vulgatam recte tuetur Krausius; nam Crassi *solius* interitus utilis fuisset, vel quia sic tot cives atque milites essent servati, vel quia sine aliorum damno exemplo fuisset religionum non temere negligendarum.

§. 4. *Transgressum*] Bothius edidit *sed transgressum.*

circumfusis] Ed. pr. et Amerb. *circumfusos*, ex frequentissima litterarum *i* et *o* confusione; v. Prolegg. c. III. p. XC. Ablativum restituit Ed. Basil., defendit atque illustravit Ruhnkenius; nam *circumfundi* et *circumdari* etiam dicuntur, qui alios cingunt, cf. II, 112, 4. *At ea pars, quae obviam se effuderat exercitui — circumfusa quinque legionibus nostris.* Liv. XXVI, 27, 10. *Consuli Laevino circumfusa multitudo Campanorum est.* Quintil. II, 20, 8. *Nonnunquam, ut in iudicio Miloniano, inter circumfusa militum arma dicendum est.* Caes. B. G. VI, 34, 8. Flor. III, 11, 8. v. Oudendorp. ad Hirt. B. Afric. c. 78, 4. — Vossius coniecit *circumfusum*; — Vascosanus *circumfusus.*

conservavit, Syriamque adeo in populi Romani potestate retinuit, ut transgressos in eam Parthos felici rerum eventu fugaret ac funderet.

1 XLVII. Per haec insequentiaque et quae praediximus tempora amplius quadringenta milia hostium a C. Caesare caesa sunt, plura capta; pugnatum

XLVII. 1. *amplius quadringenta milia*] Ed. pr. et Amerb. *aplius* $\overline{CCC}$. Lipsius maluit *amplius* $\overline{DCCC}$; — Vossius *aplius* $\overline{CIↃC}$, scilicet quia Appian. Gall. I, 2. p. 73. Vol. I. ed. Schweigh. et Plutarch. in Pompeio c. LXVII. *decies centena millia*, Plinius vero H. N. VII, 25. adeo *undecies centena et nonaginta duo millia* caesa esse tradant. Sed Krausius recte sensit valde lubricum esse ex tantis discrepantiis certam coniecturam ducere, ubi nihil est, quod pro veri norma haberi possit; v. quae supra diximus ad II, 12, 5. Quare vulgatam retinuimus, praesertim quum numeri Appiani, Plutarchi et Plinii iusto maiores videantur. Laurentius in Locis Vell. p. 38. „tantam paucitatem," sc. quadringenta millia, periisse miratus, coniecit ∞ *ac C*, i. e. undecies centena millia, qui numeri num isto *signo* indicari possint ipse viderit.

directa] Amerb. *de recta.* Inepte; cf. II, 95, 2. II, 112, 3. Drakenb. ad Liv. XXXIV, 28, 6. et Adami Antiqq. Rom. Vol. II. p. 86.

agminibus] Ed. pr. et Amerb. *in agminibus.* Praepositionem retinet Burmannus, damnant Lipsius, Gruterus, Krausius, quamquam nihil valet ratio a concinnitate desumpta. Recte enim Kreyssigius Praef. p. XXXIV. „formulae, inquit, *in agmine pugnare* et *agminibus pugnare* ita differunt, ut illa *in itinere cum hostibus confligere*, haec autem, Lipsio interprete, *non explicatis ordinibus, neque distincta acie concurrere* significet. Sic Livius X, 45, 12. *Saepe in acie, saepe in agmine, saepe circa ipsam urbem adversus eruptionem hostium pugnatum;* et XXIX, 36, 4. quum dixisset *P. Sempronium consulem cum Hannibale in ipso itinere tumultuario proelio conflixisse*, addidit *agminibus magis, quam acie pugnatum est.* Nullum igitur scriptorem Romanum *in agminibus pugnare* potuisse dicere apparet."

novem denique aestatibus vix ulla non] Burmannus con-

saepe directa acie, saepe agminibus, saepe eruptionibus, bis penetrata Britania, novem denique aestatibus vix ulla non iustissimus triumphus emeritus. Circa Alesiam vero tantae res gestae, quantas audere vix hominis, perficere paene nullius nisi dei fuerit. Quarto ferme anno Caesar morabatur in Galliis, cum 2

iecit *ex nov. den. aest. vix ulla. qua non;* — Wopkensius in Miscell. Obss. Vol. VIII. p. 51. *nov. den. aestatum vix ulla non;* — Krausius *e nov. den. aestatibus* etc.; — Ruhnkenius *nov. den. aest. vix ullus non;* — Bothius *vix ullus non iustissime.* Vulgata est integerrima, hoc sensu: *novem denique aestatibus* (sc. quibus in Gallia fuit, aut militavit) *paene quavis iust. tri. emeritus;* in qua simplicissima sententia mirum est ullum editorem haerere potuisse.

emeritus] Censor in Bibl. Germ. univ. Berol. Vol. XLVIII. p 552. coniecit *est emeritus*, assentiente Cludio.

res gestae] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. *gestae* deest, Rhenani vel typothetae errore.

paene nullius] Laurentius in Locis Vell. p. 39. coniicit *plane nullius*, quae coniectura auctorem vilius adulantem facit et ineptius loquentem, quam ullo loco ipse ausus est. Gradatio aliqua, quam quaerit Laurentius, etiam in vulgata inest; quamquam verbis potius, quam re continetur, siquidem Velleius eandem fere sententiam comparatione, primum ad *homines*, deinde cum negatione ad *deos* relata, expressit.

§. 2. *Quarto ferme anno*] Ed. pr. et Amerb. *septimo ferme anno.* Sed obiit Iulia, ut diserte testatur Dio Cass. XXXIX, 64. p. 224. L. Domitio, Ap. Claudio coss., i. e. anno u. c. 699. a. Chr. n. 54., qui annus quartus erat, ex quo Caesar in Galliam provinciam abiit; nam id factum anno a. Chr. n. 58. Quare optime et verissime Laurentius in Locis Vell. p. 45. coniecit falsum numerum *septimo* inde esse ortum, quod, quum prius numerorum non verba, sed signa in textu essent, ex IIII fieret VII, duabus unitatis notis in V conflatis, ut saepius factum est; v. Prolegg. c. II. p. XLIII. Ceterum Acidalium, Lipsium et Burmannum, qui pro *septimo f. anno* scribi volebant *septimum ferme annum*, iam redarguit Ruhnkenius coll. Vossio de Constr.

medium iam ex invidia potentiae male cohaerentis inter Cn. Pompeium et C. Caesarem concordiae pignus Iulia, uxor Magni, decessit. Atque omnia inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortuna, filius quoque parvus Pompei, Iulia natus, in-
3 tra breve spatium obiit. Tum in gladios caedisque civium furente ambitu, cuius neque finis reperiebatur

c. 44. V. Zumptii Gramm. Lat. c. 71, 8. not. 1. §. 396. p. 356. ed. VIII. et annot. nostr. ad Sall. Iug. c. LIV, 1. p. 295.

Galliis] Amerb. *Gallis.* V. ad II, 39, 2.

potentiae male] Ed. pr. *Ponti ac Camiliae;* — Burerius *Pontiae Camillae;* — Amerb. *Ponti et Camiliae.* Quum iam Rhenanus coniecisset *Ponti, male,* Lipsius ad perficiendam turpiter corrupti loci emendationem felicissime vidit *Ponti ac* vel *Pontiae* nihil aliud esse, quam compendium *potentiae,* (v. Prolegg. c. III. p. CI.), qua voce semel pro nomine proprio habita, facile fuit, ut et proxima simili modo utcunque corrumperetur. Verborum ita sanatorum structura haec est, ut *iam* pertineat ad verba *male cohaerentis,* quibus tanquam per parenthesin interiiciuntur verba *ex invidia potentiae,* ad caussam malae cohaerentiae significandam. Sensus autem longe aptissimus prodit hic: obiit Iulia, quae fuit inter Pompeium et Caesarem medium (i. e. utrumque continens) vinculum concordiae, male iam cohaerentis propter invidiam potentiae (i. e. quia alter alteri potentiam invidebat). cf. quae diximus in Zimmerm. Ann. Studd. antiq. a. 1840. No. 37. p. 309. et v. Plutarch. Caes. c. XXIII. *Οἱ δὲ φίλοι συνεταράχθησαν* (sc. Iuliae morte), *ὡς τῆς ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμονοίᾳ τἄλλα νοσοῦσαν τὴν πολιτείαν φυλασσούσης οἰκειότητος λελυμένης,* coll. Appiano B. C. II, 19. p. 198. Schweigh. Ed. Basil. coniecit *Pompeii male;* — Gruterus *potentiae aemulae;* — Heinsius *potentiae ac aemulatu;* — Burmannus *de Ponto et Gallia;* — Ed. Bipont. *ex unitate potentiae ac familia cohaerentis;* — Laurentius in Locis Vell. p. 45. *potentiae et aemulatione;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 68. p. 570. *medium invidia potentiae iam male coh.;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 149. *pauxillum aut vacillanter;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 8. *Ponticae militiae.*

nec modus, tertius consulatus soli Cn. Pompeio etiam adversantium antea dignitati eius iudicio delatus est, cuius ille honoris gloria, velut reconciliatis sibi optimatibus, maxime a C. Caesare alienatus est. Sed eius consulatus omnem vim in coërcitionem ambitus exercuit. Quo tempore Publius Clodius a Milone, 4 candidato consulatus, exemplo inutili facto salutari

§. 3. *veluti*] Amerb. *velut.*

coërcitionem] Ita Burer.; *coërtionem* Ed. pr. et Amerb., quia lineolam, syllabae *ci* compendium, quam Burerii acies adhuc deprehendit, non viderunt. — Cludius coniecit *coërcitione.*

exercuit] Amerb. *exeruit*, ut volebat Lipsius, et nuper probavit Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 38. p. 314. Sed recte Burmannus monuit, quamquam *exerere et exercere* in codd. interdum confundantur (v. eund. ad Quintil. IV, 1, 55. et Drakenb. ad Liv. VII, 10, 5.), tamen nihil esse h. l. mutandum. *Exeruntur* enim ea, quae, quum antea tecta, dissimulata aut parum cognita essent, in multam lucem proferuntur, quemadmodum de Tiberio Suetonius c. XXXIII. dicit *paulatim principem exeruit;* quae sententia a Velleii loco plane est aliena, ubi *exercuit* significat *cum summa contentione studioque contulit et adhibuit*, vel *usus est;* v. Drakenb. ad Liv. VI, 22, 4. Sueton. vit. Tib. c. II. vit. Domit. c. I.

exemplo inutili, facto salutari] Ed. pr. et Amerb. *exemplo inutiliter facto, salutari.* Verissime correxit Ed. Basil. *ex. inutili, f. sal.;* nam quum oppositio sententiarum non simpliciter contineatur substantivis *exemplo — facto*, sed maxime contrariis *eorum attributis*, per se patet *adiectivis* opus esse, neque adverbium alterutro aut utroque loco poni posse. *Inutili* autem abiit in *inutiliter*, quoniam scriba latinitatis ignarus, falsa constructione inita (v. Prolegg. c. III. p. CV sqq.), *facto* pro participio habuit. — Halmius in Emendd. Vell. p. 12. coniecit *exemplo inutiliter, facto salutariter;* — Ursinus *ex. inutili, sed facto salutari*, quod probarunt Laurentius Locis Vell. p. 142. et Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 71. p. 594.; — Vossius *ex. inutili, interim f. salutari;* — Heinsius *ex. inutili, ceterum facto salutari;* — Ortuinus apud Heinsium *ex. inutili, tamen f. sal.;* — Bo-

reipublicae circa Bovillas, contracta ex occursu rixa, iugulatus est. Milonem reum non magis invidia facti quam Pompei damnavit voluntas. Quem quidem M. Cato palam lata absolvit sententia; qui si maturius tulisset, non defuissent, qui sequerentur exemplum, probarentque eum civem occisum, quo nemo perniciosior reipublicae neque bonis inimicior vixerat.

1 XLVIII. Intra breve deinde spatium belli civilis exarserunt initia, cum iustissimus quisque et a Caesare et a Pompeio vellet dimitti exercitus; quippe Pompeius in secundo consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium, absens ipse ac praesidens urbi, per Afranium et Petreium, consularem

thius *ex. inutili, etsi f. sal.*; — Herelius p. 565. *ex. inutili, certe f. sal.* Qui omnes quid esset *asyndeton* vel nescierunt, vel obliti sunt, vel noluerunt recordari, ut coniecturae copiam haberent. cf. Haasium ad Reisigii Gramm. Lat. §. 253. not. 422. p. 440.

qui si maturius] Ed. Basil. scripsit *quam si maturius*, quod perperam probaverunt Ruhnkenius, Krausius, alii. Nam vis sententiae inest in *personae* significatione; *Cato* si prius tulisset sententiam, alii *tantae auctoritatis virum* fuissent secuti. — Heinsius maluit *cui, si mat. tul., non defuissent.*

XLVIII, 1. *exarserunt initia*] Herelius p. 570. maluit *exarserunt incendia*, quod Cludius recepit. v. ad II, 88, 3.

Afranium] Ed. pr. *Afrannium;* Amerb. *Africanum*; Burerius *Africanium*; unde coniicit legendum esse vel *Africanum*, vel *Afranium*. Hoc expressit Ed. Basil. v. Prolegg. c. III. p. C.

contendebant, assentabatur, iis, qui ab ipso quoque, adversabatur] Ed. pr. *contendebant adsentabatur, iis qui dimittendos ab ipsoque adversabatur;* — Amerb. *contendebant, is, qui ab ipso quoque adversabatur.* Burerius haec annotavit: „Sic habet vet. exemp. *iis, qui ab ipso quoque adversabatur.*“ Qua Burerii auctoritate, quam Orellius incredibiliter neglexit, tum id, quod in Rhenani Amerbachiique lectione sanum

ac praetorium, legatos suos, administrabat, et iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur, iis, qui ab ipso quoque, adversabatur. Qui 2 si ante biennium, quam ad arma itum est, perfectis muneribus theatri et aliorum operum, quae ei circumdedit, gravissima tentatus valetudine decessisset in Campania, (quo quidem tempore universa Italia vota pro salute eius, primi omnium civium, suscepit,) defuisset fortunae destruendi eius locus, et quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos. Bello autem civili et tot, quae 3 deinde per continuos viginti annos consecuta sunt, malis non alius maiorem flagrantioremque quam C.

est, confirmatur, tum utriusque errores deteguntur. Lapsus est enim Amerbachius omittens *adsentabatur*, quod et apud Rhenanum est, et Burerii silentio stabilitur, et abesse nullo pacto potest. Contra falso Rhenanus altero loco *dimittendos* intulit (scilicet quod cogitatione, ut par fuit, repetierat, imprudens calamo exaravit, quod alibi quoque ei accidisse notavimus in Prolegg. c. III. p. LXXX.), et *ipsoque* scripsit pro *ipso quoque*, in utraque re ab Amerbachio ἀχοιβείᾳ superatus, Burerii testimonio cognitâ. Patet igitur codicem Murb., cuius veram scripturam hac via cognovimus, genuina Vellcii verba h. l. continere.

assentabatur] Vascosanus et Lipsius scripserunt *adsentiebatur*, sine causa; cf. II, 128, 3. — Orellius coniecit *consentiebat*, scilicet ut Rhenani interpolationem, qua eum insimulat, exterminaret. v. not. praeced.

§. 2. *tentatus*] Amerb. *temptatus*.

primi] Ed. pr. et Amerb. *primo*, ex frequenti litterarum *i* et *o* permutatione; v. Prolegg. c. III. p. XC. Correxerunt soloecismum Vascosanus, et Perizonius Animadvv. hist c. VIII. p. 346. cf. supra II, 24, 3. *Cum ad eum primum omnium Romanorum legati Parthorum venissent.* v. Zumptii Gramm. Lat. c. 84. B. 5. §. 686 p. 568.

Curio tribunus plebis subiecit facem, vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam et fa-
4 cundus malo publico, cuius omnino voluptatibus vel libidinibus neque opes ullae neque cupiditates sufficere

§. 3. *eloquens*] Ruhnkenius coniecit *opulens*, quia statim sequitur *facundus malo publico*. Sed verba alio adiecta sunt consilio, alioque sententiarum nexu tenentur.

facundus] Bothius, ut tueretur *eloquens* a Ruhnkenio impugnatum, scripsit *fecundus*.

cuius omnino] Ed. pr. et Amerb. *Huius animo*. — Pro *huius*, quod in Ed. pr. et Amerb. puncto disiunctum est a praecedentibus, scribendum esse *cuius*, quod iam Ed. Basil. fecit, evincit *possent* coniunctivus. — *Omnino* verissime coniecit Acidalius ad II, 33, 3., idem amplectente etiam Wopkensio in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 52; *animo* enim, sive eodem sive alio casu accipis atque sequentia verba, ne tolerabilem quidem structuram, nedum sensum habet. At nihil accommodatius est ad utramque rationem *omnino* particulâ, qua auctor gravissima quaeque, quae in Curionem dici poterant, in fine periodi comprehendit, itaque praecedentibus quasi cumulum addit. Iam quod dicit Curionis *voluptatibus nullas suffecisse opes*, id quale sit per se patet, et pertinet ad verba *suae alienaeque fortunae prodigus*. Quae autem adiunguntur, *eius libidinibus nullas suffecisse cupiditates*, ea spectant ad illustranda verba *homo ingeniosissime nequam*, ac significant hominem, qui foeda libidine stimulatus sollertiam exerceret in novis voluptatum generibus et formis excogitandis, ac licet semper ista cura agitaretur, nunquam tamen pruriginem explere posset, helluonis instar, qui nihil aliud animo agitat, quam ut novis epulis atque inaudito paratu factis fruatur, ac nihilominus nunquam exsatiatur. Verba sic fere reddas germanice: *hurz, dessen Genüsse oder Gelüste keine Schätze, kein Raffinement befriedigen konnte*. Patet igitur Velleium h. l. ita distinguere *libidines* a *cupiditatibus*, ut illae significent *foedam pruriginem*, quae sedem habet in corpore ac sensibus, hae animi affectum, libidine excitatum *eique explendae intentum*. — Lipsius coniecit *cuius animi voluptatibus — neque civitates sufficere possent*; — Gruterus verba *voluptatibus vel libidinibus* tanquam

possent. Hic primo pro Pompei partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit. Id gratis, an accepto centies sestertio fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. Ad ultimum

glossam vocis *animo* expellenda censet: — Thysius *cuius animo inquinato* (vel *cooperto) voluptatibus* etc.; — Heinsius *cuius animo, volutanti in suis velut libidinibus* etc.; vel *cuius animo involuto suis velut libidinibus* etc.; vel *cuius animo volutanti in libidinibus;* — Wopkensius in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 52. *cuius omnino cupiditatibus vel libidinibus neque opes ullae neque voluptates sufficere possent;* — Ruhnkenius *cui nimio* (vel etiam *cuius insanis) cupiditatibus vel libidinibus neque opes ullae neque voluptates s. p.;* — Cludius *cuius maximis voluptatibus* etc.; — Krausius, vocem *animo* tanquam insanabilem uncinis includens, in ceteris Ruhnkenii transpositionem verborum sequitur; — Luxdorphius in Iahnii Nov. Ann. Philol. et Paed. Suppl. I, 2. p. 170. *huius animo, imo voluptatibus* etc.; — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 149. *cuius animo voluptatibus evecto libidinibusque* etc.; — Morgensternius in Probabill. critt. *cuius animo immerso voluptatibus* etc., quod probat Iacobsius in Zimmermanni Ann. Studd. antiq. a. 1835. No. 58. p. 471., quanquam dubitat de voce *cupiditates*, a Morgensternio retenta; — Orellius et Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 30. vulgatam probant, *voluptatibus vel libidinibus* ablativos esse dicentes.

Caesare stetit] Ed. pr. et Amerb. *Caesare restitit.* Correxit Ed. Basil. v. Prolegg. c. II. p. CII.

centies sestertio] Aldus Nepos mavult *trecenties sestertio;* — Lipsius *sexcenties sestertio*, propter Appianum B. C. II, 26. ed. Schweigh. Vol. II. p. 210. *Παῦλον χιλίων καὶ πενταχοσίων ταλάντων ἐπρίατο* (ὁ *Καῖσαρ*), *Κουρίωνα δὲ ἔτι πλειόνων*, *εἰδὼς ἐνοχλούμενον ὑπὸ χρεῶν πολλῶν*, et Valerium Max. IX, 1, 6 *Forum nostrum Curionis sexcenties sestertium aeris alieni aspexit.* Sed res per se incerta eo fit incertior, quod Servius ad Virgil. Aen. VI, 621. tantummodo *vicies et septies sestertium*, Scholiasta vero Lucani ad IV, 820. nonnisi *decies sestertium* a Caesare Curioni datum fuisse tradunt,

saluberrimas et coalescentis condiciones pacis, quas et Caesar iustissimo animo postulabat et Pompeius aequo recipiebat, discussit ac rupit, unice cavente Cicerone concordiae publicae. Harum praeteritarumque rerum ordo cum iustis aliorum voluminibus promatur, tum, uti spero, nostris explicabitur.

1 XLIX. Nunc proposito operi sua forma reddatur, si prius gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis Metelloque et Hortensio, qui, cum sine in-

quos Laurentius in Locis Vell. p. 49. contortissima ratione ac frustra ad consensum cum Valerio Max. trahere conatur. Quare nihil mutandum est; v. ad II, 12, 5.

§. 5. *et coalescentis*] Ed. Basil. omisit *et*, probantibus Heinsio et Ruhnkenio; — Krausius cum Ed. Bipont. scripsit *et coalescentes*, ad sensum recte, ad formam falso; nam *coalescentis* est accusativus, v. Prolegg. c. III. p. CXXIII. Qui coniunxerunt *coalescentis pacis*, non viderunt quaesitam sententiarum oppositionem, qua Curio dicitur *coalescentis condiciones dicussisse ac rupisse;* cf. Prolegg. c. II. p. L sqq.

cavente] Amerb. *kavente.*

iustis] Ed. pr. et Amerb. *iustius*, quod Orellius retinuit, non adversante Haasio ad Reisigii Gramm. Lat. §. 308. not. 471. p. 535. Sed Ed. Basil. recte scripsit *iustis;* nam auctor ut aliis locis, ita hic quoque excusat huius voluminis, ad Vinicium missi, tenuitatem et brevitatem; cf. II, 119, 1. *Ordinem atrocissimae calamitatis — iustis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere.* II, 99, 3. *Quis fuerit eo tempore civitatis habitus — iusto servemus operi.* II, 103, 4. *Laetitiam illius diei — vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus.* v. Prolegg. c. I. p. XIV sq.

promatur] Ed. Basil. *promitur*, quod falso probavit Orellius. V. ad I, 3, 2.

XLIX, 1. *quieta aut* etc.] Lipsius maluit *quieta ea aut;* Ruhnkenius *civitate* intulit post *praecipitata;* — Krausius, semicolo post *periculo* posito, *quieta aut certe non praecipitata* refert ad sequentia, ita tamen, ut *republica* suppleatur. Nemo veram loci rationem assecutus est, quam rectiore interpunctione

vidia in republica floruissent eminuissentque sine periculo quieta, aut certe non praecipitata, fatali ante initium bellorum civilium morte functi sunt. Lentulo 2
et Marcello consulibus post urbem conditam annis septingentis tribus, et ante annos septuaginta octo, quam tu, M. Vinici, consulatum inires, bellum civile exarsit. Alterius ducis causa melior videbatur, alte- 3
rius erat firmior; hic omnia speciosa, illic valentia; Pompeium senatus auctoritas, Caesarem militum ar-

instituta in textu declaravimus; arctissimo enim nexu adiectiva *quieta* et *praecipitata* cohaerent cum praegressa voce *republica*, quippe quae simul cum ea pendeant ex *in* praepositione. Orellius secutus Oudendorpium ad Lucan. II, 106. *quieta aut certe non praecipitata* coniungit cum verbis *fatali morte*, quod fieri nequit; nam *fatalis mors* est i. q. *naturalis*, cf. II, 4, 6.; *praecipitata* autem *mors*, si modo ullus scriptor ita locutus est, nihil aliud foret, quam *mors vi accelerata*, sive mors, quam quis ipse sibi conscivit. *Non praecipitata igitur* quum idem foret atque *fatalis*, luce clarius est haec coniungi non posse. Eandem atque nos sententiam quaesivit Burmannus verbis sic transpositis: *qui cum sine invidia floruissent eminuissentque sine periculo in republica quieta, aut certe non praecipitata.* De vulgatae verborum ordine v. Prolegg. c. II. p. LXXIII sqq.

fatali] Gruterus coniecit *fatale*; — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 149. *sed fatali.* Quae cur falsa sint patet ex annot. praeced.

§. 2. *annis septingentis tribus*] Ed. pr. *annis ACCIII*; Amerb. *A. CC. III.* Errorem, quo *A* pro *D* positum est, (v. Prolegg. c. III. p. LXXXVII. et supra ad II, 30, 6.) iam correxit Ed. Basil. — Krausius coniecit *annis DCCV*; sed v. Prolegg. c. II. p. XLII.

et ante annos septuaginta octo] Burer. et Amerb. *et annos LXXVIII*; — Ed. pr. *et LXXVIII*; — Ed. Basil. *et anno LXXVIII*; — Lipsius *et ante LXXVIII.* Verum vidit Orellius in ea scriptura, quam Burerius exhibuit, *ante* excidisse inter *et* — *annos.*

mavit fiducia. Consules senatusque causae, non Pom-
4 peio, summam imperi detulerunt. Nihil relictum a Caesare, quod servandae pacis causa tentari posset; nihil receptum a Pompeianis, cum alter consul iusto esset ferocior, Lentulus vero salva republica salvus esse non posset, M. autem Cato moriendum ante, quam

§. 3. *causae, non Pompeio* etc.] Verborum sensus est: Consules senatusque Pompeio *propter causam* (quia Pompei partes non diversae videbantur a *republica ipsa*, v. II, 48, 4.), non *propter ipsum* summam imperii detulerunt; quanquam non negandum est, Velleium, dum nimis acumini argutaeque oppositioni studet, tam parum curasse simplicem ac naturalem cogitandi perspicuitatem, ut haud multum ab ineptiis abfuerit; v. Prolegg. c. II. p. LIV. Melius certe eandem sententiam adhibuit supra II, 30, 3. *Familiare est hominibus invidiam rerum non ad causam, sed ad personam dirigere.* — Lipsius coniecit *causa nominis Pompeio;* — Gronovius in Diatrib. in Stat. III, 3. p. 207. (336. ed. Hand.) *causae nomine Pompeio;* — Handius ad h. l. post *non* unum vel plura verba excidisse censet: — Bothius verba *consules* — *detulerunt* ut „panum male cohaerentem" eiecit.

§. 4. *tentari*] Amerb. *temptari.*

alter consul] Ed. pr. et Amerb. *altero COS.*, vitio nato ex perversa verborum structura; v. Prolegg. c. III. p. CV sqq. Correxit Ed. Basil.

condicionem civis] Ruhnkenius coniecit *condicionem cuiusvis;* — Fiedlerus *condicionem eius.* Neuter vidit Catonem, *veteris reipublicae acerrimum defensorem,* nihil magis horruisse, quam *civem* agere ut *dominum* et quasi *regem* civitatis. *Condicionem civis* Orellius recte interpretatur *condicionem a cive impositam,* quae genitivi subiectivi potestas editores fugit.

laudaret magis, prudens] Ed. Bipont. scripserunt *laud. magis, quam prudens,* universum locum pessime de Catone accipientes. His verbis, quae grammatice non cohaerent cum praecedentibus, continetur, ut iam Cuperus apud Burmannum vidit, *peculiare Velleii iudicium* de illorum temporum condicione et de rationibus a partibus ineundis, *ὡς ἐν παρόδῳ* et quasi in

ullam condicionem civis accipiendam reipublicae contenderet. Vir antiquus et gravis Pompei partis laudaret magis, prudens sequeretur Caesaris, et illa gloriosa, haec terribiliora duceret. Ut deinde, spretis omnibus, quae Caesar postulaverat, tantummodo contentum cum una legione titulum retinere provin-

parenthesi pronunciatum, in qua sententia singularis *vir antiquus et gravis* generalem habet sensum ac significat *quicunque fuit vir antiquus* etc. cf. Valer. Max. IV, 3, 6. *Licet Athenae doctrina sua glorientur, vir tamen prudens Fabricii detestationem, quam Epicuri maluerit praecepta.* Ad coniunctivi imperfecti vim explicandam Halmius in Emendd. Vell. p. 13. bene hunc locum comparavit cum II, 72, 2. et Cic. p. Sext. c. 7, 16. Burmannus in hac periodo nomen viri alicuius illustris excidisse censet, probante Grunero.

illa gloriosa] Cludius scripsit *illa gloriosiora*, ut iam Cuperus apud Burmannum scribi voluit; sed eo non opus esse iudicarunt Oudendorpius ad Apul. Florid. I, 7. Vol. II. p. 26 sq. et Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 445. cf. Tacit Agric. c. 4. *Sublime ingenium speciem excelsae gloriae vehementius quam caute appetebat*, ubi v. Walch. p. 142.

haec terribiliora] Amerb. *illa terribil.*

§. 5. *contentum cum una legione titulum retinere provinciae, privatumque*] Ed. pr. *contentus cum una legione titulum retinere provinciae, privatusque;* Amerb. *contentus cum una legione ne retinere provinciae, privatusque.* In qua scriptura cum aperto Amerbachii errore *titulum* exciderit, *ne* autem geminatione praegressae syllabae ortum sit, emendatio huius loci unice ad Ed. pr. dirigenda est, cuius rei duae patent viae. Nam quum universa protasis pendeat ex verbo *decrevere* (capitali errore, quem redarguit tum ratio verborum *omnibus, quae postulaverat*, tum arcte cum praecedentibus cohaerens vox *privatusque*, editores omnes *retinere* ex *postulaverat* aptum esse contendunt), istudque verbum et coniunctivum omisso *ut*, et accusativum cum infinitivo regere possit (v. ad Sall. Iug. c. XXV, 1.), constructioni succurri potest si aut scribas *contentus — retineret, privatusque — veniret et se — committeret*, aut *contentum — retinere, privatumque — venire, et se — committere*, quam

ciae, privatumque in urbem venire et se in petitione consulatus suffragiis populi Romani committere decrevere, ratus bellandum Caesar cum exercitu Rubiconem transiit. Cn. Pompeius consulesque et maior pars senatus relicta urbe ac deinde Italia transmisere Dyrrhachium.

posteriorem rationem propterea praetulimus, quia nihil frequentius est in cod. Murb. litteris finalibus *m* et *s* permutatis; v. Prolegg. c. III. p. XCIV. Iam sensus verborum, expedita structura decurrentium, est: quum Caesaris adversarii, reiectis omnibus condicionibus eius (de quibus v. Sueton. vit. Caes. c. 29. Appian. B. C. II, 32. Vol. II. p. 218. ed. Schw. Plutarch. vit. Caes. c. 31.) decernerent, eum unice acquiescere in retento provinciae titulo cum una legione, privatumque in urbem venire etc., Caesar — Rubiconem transiit. In quo cave putes pleonasmum effici verbis *tantummodo contentus retinere*, siquidem *tantummodo* valet ad indignitatem decreti, quo paene omnia Caesari eripiebantur, declarandam, velut si germanice dicas *sich lediglich zu begnügen* etc. *Titulum provinciae retinere*, in qua dictione Orellius Rhenani interpolationem germanismum redolentem videre sibi visus est, quid sit, ex ipso Caesare cognoscas de B. C. I, 9, 2. *Doluisse se, quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur, ereptoque semestri imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus iussisset.* Nimirum quum sex menses adhuc superessent ex imperio secundi quinquennii, Caesar iussus est ante eos elapsos provincia decedere, ita ut eius *nomen* tantummodo sive *titulum* retineret; cf. eund. B. C. I, 6, 5. Appian. B. C. II, 32, extr. et II, 38, init., ubi L. Domitius Galliam ante legitimum tempus et accepisse et petiisse traditur. Simili modo Velleius locutus est infra II, 63, 1. *Antonius titulo imperi cedebat Lepido, cum summa virium penes eum esset.* — Ed. Basil. scripsit *tantummodo contentus cum una leg. tit. retinere prov., privatus in urbem veniret — comitteret*; Aldus Nepos *Caesar postulaverat, (tantummodo enim contentus c. u. leg. tit. retinere provinciae, privatus in urb. venire — comittere decreverat) ratus* etc.; — Orellius *contentus c. una legione retinere provinciam, privatus in urbem veniret — committeret, decrevere.*

contentum cum una legione] Cludius, qui in textu scripsit

L. At Caesar Domitio legionibusque Corfini, 1
quae una cum eo fuerant, potitus, duce aliisque, qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis, persecutus Brundusium ita, ut appareret malle integris rebus et condicionibus finire bellum, quam

contentus etc., in notis maluit *contentum*, deletâ *cum* particulâ, quam soloece iunxit cum *contentus*.

committere decrevere] Rhenanus coniecit *committere decreverit*; — Burerius *committere decreverat*.

L, 1. *legionibusque Corfini, quae una*] Ita Ed. pr.; Amerb. *legionibusque Corfini, una*. — Baiterus apud Orellium coniecit *legionibusque, quae Corfini una;* — Cludius *legionibusque, quae una cum eo fuerant Corfinii*. Sed vulgata, Burerii tacito testimonio firmata, ferri potest. Velleius enim, dum nimis properat narrare *quos* Caesar et *ubi* ceperit, familiaris sermonis negligentiâ, quae magnam partem cernitur in liberiore verborum collocatione et sententiarum nexu, enunciationem relativam postremo subiungit vocabulo, quae proprie priori debebat addi. Quae res eo minorem offensionem habet, quum et perspicuitati non officiatur, et relativum saepius ad remotius vocabulum spectet; cf. quae diximus ad Sall. Cat. c. XLVIII, 1. p. 218. et ad Iug. c. XXIV, 8. p. 146. Caes. B. G. II, 18, 1. *Loci natura erat haec, quem locum nostri castris delegerant*. Iustin. VI, 4, 9. *Lacedaemonii regem suum Agesilaum ex Asia, qui ibi magnas res gerebat, ad defensionem patriae arcessunt*. — Bothius edidit *Domitio duce, legionibusque, quae una cum eo fuerant Corfinii*.

qui voluerant] Ed. pr. et Amerb. *qui venerant* quod Schoepferus Adnotatt. critt. p. 31. defendit; — Bothius scripsit *qui voverant*. Sed verissime correxit Ed. Basil. *qui voluerant;* cf. infra §. 4.

sine dilatione dimissis] Acidalius verba sic transponenda censuit *dimissis sine dilatione;* — Krausio in mentem venit *sine violatione dimissis*.

persecutus Brundusium ita] Ruhnkenius, eo offensus, quod obiectum verbi *persecutus* non adest, coniecit *persecutus Brund. iter*, probante Wyttenbachio in Bibl. crit. Vol. I, 4. p. 59.; — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 149. vel *Pompeium secutus ita*, vel *iter secutus Brund. ita*. Nihil mu-

opprimere fugientis, cum transgressos reperisset con-
2 sules, in urbem revertit, redditaque ratione consilio-
rum suorum in senatu et in contione, ac miserrimae
necessitudinis, cum alienis armis ad arma compulsus
3 esset, Hispanias petere decrevit. Festinationem iti-
neris eius aliquamdiu morata Massilia est, fide melior
quam consilio prudentior, intempestive principalium

tandum esse, quum supplendum sit *eum* vel *eos*, recte viderunt Krausius, Cludius, Orellius. Apposite Luxdorphius in Iahnii Nov. Annall. Philol. et Paedag. Suppl. I, 2. p. 170. contulit Terent. Phorm. III, 3, 18. *Quoque hinc asportabitur terrarum, certum est persequi. Ita,* quae vocula perit Ruhnkenii mutatione, prorsus necessaria est ad vim sententiae, quippe praegnanti sensu posita significat *cum tanta moderatione et clementia,* quo respiciunt sequentia *ut appareret* etc.

et condicionibus] Kreyssigius Praef. p. XXXV. secutus Nagelium in Actt. Lit. Soc. Rhen. Traiect. Vol. IV. p. 283. *et* censet delendum, in quod etiam incidit Cludius, quum antea coniecisset *aequis condicionibus.* Sed aliud est *integris rebus,* i. e. certamine armorum nondum inito, aliud *condicionibus* bellum finire; hoc etiam fieri potest, quum res non amplius sunt integrae; at Caesar *utrumque* volebat, et *integris rebus,* et *condicionibus* bellum finire. — Bothius *et condicionibus* ut glossema uncis inclusit.

§. 2. *in senatu et in contione*] Bothius haec quoque tanquam spuria eiicienda censet.

alienis armis] Herelius p. 566. coniecit *affinis* (i. e. Pompeii) *armis,* quod Orellius ut necessarium tuetur. Sed et discussa erat illa affinitas Iuliae morte, neque Caesar is erat, qui, ubi de re publica ageretur, privatis et domesticis rebus atque rationibus multum tribueret. *Alienis armis* est *armis inimicorum,* quos Caesar saepius ut auctores orti belli incusat, Pompeio simul intellecto quidem, sed non nominato; cf. B. C. I, 7, 1. *Caesar apud milites omnium temporum iniurias inimicorum in se commemorat.* ib. I, 9, 2. *Doluisse se, quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur.* ib. I, 22, 5. *Se ex provincia egressum, uti se*

armorum arbitria captans, quibus ii se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt. Exer- 4
citus deinde, qui sub Afranio consulari ac Petreio praetorio fuerat, ipsius adventus vigore ac fulgore occupatus, se Caesari tradidit; uterque legatorum, et quisquis cuiusque ordinis sequi eos voluerat, remissi ad Pompeium.

a contumeliis inimicorum defenderet. ib. I, 32, 5. *Acerbitatem inimicorum docet, qui quod ab altero postularent, in se recusarent.* Quod isti autem inimici, armis ad arma compellentes, *cives* essent, in eo *miserrima* erat *necessitas.* — Cludius scripsit *alienatis armis.*

§. 3. *ii se*] Ed. pr. et Amerb. *hi se.* Correxit Burmannus; v. ad I, 2, 2.

§. 4. *Afranio*] Ed. pr. et Amerb. *Africano;* Burer. *Africanio.* Idem verum nomen restituit.

ipsius adventus] Ed. pr. et Amerb. *ipsius adventu.* Ed. Basil. verissime scripsit *ipsius adventus;* nam Caesaris adventus non per se, sed vigore consiliorum ac fulgore operum adversarios ad deditionem coegit. Ceterum *ipsius* non coniungendum est cum *adventus*, sed de *Caesare* intelligendum, ita ut sequentia verba ex hoc genitivo pendeant. De ratione, qua duo genitivi ita ponuntur, ut alter ex altero pendeat, v. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XXX, 3. p. 170. Matthiam ad Cic. p. Sext. c. 6, 15. Wopkens. in Misc. Obss. Vol. VIII, p. 25. cf. infra II, 58, 4. II, 89, 1. *Occursus quo favore omnium hominum, aetatium, ordinum exceptus sit.* II, 100, 4. *Iulus Antonius violator eius* (sc. Augusti) *domus.* Caes. B. G. II, 17, 1. *Quidam ex his eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta nocte ad Nervios pervenerunt.* — Burmannus coniecit *ipsius sub adventu.*

vigore ac fulgore] Crusius in Misc. Obss. Nov. Vol. X. p. 385. coniecit *vigore, non secus ac fulgure.*

remissi] Ed. pr. et Amerb. *remisit;* quod quomodo Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 31. tueri possit *eos* supplendo difficile est ad intelligendum. Necessario cum Ed. Basil. scribendum est *remissi.*

1 LI. Proximo anno, cum Dyrrhachium ac vicina ei urbi regio castris Pompei obtineretur, qui accitis ex omnibus transmarinis provinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regum atque tetrarcharum simulque dynastarum copiis immanem exercitum confecerat et mare praesidiis classium, ut rebatur, sepserat, quo minus Caesar legiones posset transmittere, 2 sua et celeritate et fortuna C. Caesar usus nihil in mora habuit, quominus eo, cum vellet, ipse exerci-

LI, 1. *vicina*] Burer. et Amerb. *vicinia;* Ed. pr. *vicina,* Rhenano tacite corrigente.

Pompei obtineretur] Ed. pr. et Burer. *Pompeio retinetur,* sed Burerio teste *o* puncto deletili notatum; Amerb. *Pompei retinetur.* In qua scriptura quum et *re* syllaba et indicativus praesentis pariter vitiosa sint, ad sensum satis bene emendavit Ed. Basil. *Pompeii teneretur.* Sed veram Velleii manum restituit Orellius scribendo *Pompei obtineretur;* nam ita demum intelligitur, *o* littera priori vocabulo adhaerescente, quomodo utriusque vocis corruptela orta sit. Praeterea *obtinere* verbum magis in tali re usitatum est; cf. II, 43, 1; II, 55, 1; II, 78, 3. et Drakenborch. ad Liv. XXI, 26, 6.

legionibus] Bothius hanc vocem tanquam inculcatam a librario uncinis inclusit.

regum atque tetrarcharum] Ed. pr. et Amerb. *regumque tetrarcharum*; — Burer. *regumque tetarcharum.* — Ed. Basil. emendavit *regumque et tetrarch.,* quod omnes probaverunt. Nobis *que* vitiosum ortum videtur ex *atque*, ut II, 16, 4., praesertim quum saepius ita in cod. Murb. peccatum sit, ut vocum initialis syllaba excideret. v. Prolegg. c. III. p. CIX.

simulque] Ita Ed. pr. et Burer. Nihilominus Orellius Rhenanum interpolationis insimulat, quia Amerb. *que* voculam non habet.

ut rebatur] Ed. pr. et Amerb. *uirebatur.* Sed *ut rebatur* in margine coniecit Rhenanus, versui superscripsit Amerbachius.

§. 2. *eo, cum vellet*] Ed. pr. et Amerb. *et cum vellet,* quam scripturam unâ litterâ mutatâ in integrum restituit Vossius. *Eo* enim refertur ad verba capitis initio posita *Dyrrhachium ac*

tusque classibus perveniret, et primo paene castris Pompei sua iungeret, mox etiam obsidione munimentisque eum complecteretur. Sed inopia obsidentibus quam obsessis erat gravior. Tum Balbus Cornelius 3
excedente humanam fidem temeritate ingressus castra hostium saepiusque cum Lentulo collocutus consule, dubitante quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus, non in Hispania ex cive natus, sed Hispanus, in triumphum et pontificatum assurgeret,

vicina ei urbi regio, ad quae, licet interiectâ enunciatione relativa paullo longiore, hic necessario cogitatione redeundum est, ut locus designetur, *quo* Caesar classe perveniret. Idem assecutus est etiam Laurentius in Locis Vell. p. 50. — Acidalius coniecit *et quo vellet;* — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. No. 36. p. 287. *quo vellet;* — Cludius *eo, et quo vellet;* — Huthius Quaestt. critt. p. 24. *quominus ad imbelles ipse;* — Ruhnkenius, probata prius Acidalii mutatione, deinde coniecit ipse *quominus et cum vellet et quo vellet*, quod recepit Orellius, non sentiens ab hoc nexu, *cum Dyrrhachium castris Pompei obtineretur — Caesar nihil in mora habuit, quominus et cum vellet, et quo vellet, ipse perveniret*, sententiam generalem non solum esse alienam, sed etiam ineptam; — Krausius, correctione Vossii recepta sed non intellecta, lacunae signa post *vellet* posuit; — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 31. scripturam Ed. pr. defendit, verbis *et — perveniret* respondere dicens *et iungeret.*

primo paene] Cludius, vim *paene* vocis, quae pertinet ad *iungeret*, non assecutus, coniecit *primo mane*, vel *primo vere*, vel *quam primum paene.*

obsessis erat] Amerb. *obsesserat.* V. Halmii Em. Vell. p. 8, et quae supra annotavimus ad II, 11, 5.

§. 3. *in Hispania ex cive natus*] Ed. pr. et Amerb. *Hispaniae Asiae natus*, ex quo scripturae monstro ingeniose verum eruit Morgensternius in Probabb. critt. Dorpat. 1834, iure meritoque assentiente Iacobsio in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1835. No. 58. p. 471. Sententia ipsa quum per se planissima sit ac certissima, relinquitur tantummodo ut corruptelae

fieretque ex privato consularis. Variatum deinde proeliis, sed uno longe magis Pompeianis prospero graviter impulsi sunt Caesaris milites.

1 LII. Tum Caesar cum exercitu fatalem victo-

originem ostendamus. Quippe *in*, quod prorsus est necessarium, non excidit, sed evanuit, *non* particula, compendio n̄ scripta, coalescente cum *in*, quum *i* littera falso pro *o* esset habita, quod saepissime factum esse ostendimus in Prolegg. c. III. p. XC. *Hispaniae* ortum *e* littera avulsa a suo vocabulo, et priori adhaerescente; *x* residuum quum pro *A* esset habitum et cum sequente voce conflatum in *Acive*, quam facile vel casu vel librarii coniectura natum sit *Asiae* in oculos incurrit. — Rhenanus coniecit *Hispaniae Asiaeve natus;* — Burerius *Hispaniae suae natus;* — Ed. Basil. *Hispaniae Gadibus natus;* — Lipsius *Hispaniensis natus;* — Aldus Nepos *Hispaniae natus esset;* — Acidalius vel *quibus homo Hispaniae Gadibus natus in triumphum*, vel *quibus homo Hispanus, et Hispaniae Gadibus natus in tr.;* — Popma *Hispaniae suae notus;* — Rigaltius de Popul. fundis p. 199. *non Hispanus, sed Hispaniae Gadibus natus;* — Burmannus *Hispaniensi cive natus;* — Hottingerus in Mus. Turic. Vol. I. P. II. *Hispania, at cive natus;* — Ed. Bipont. *Hispaniae alienatus;* — Kreyssigius Praef. p. XXXVI. *Hispaniae assignatus;* — Laurentius in Locis Vell. p. 51. *in Hispania a cive natus;* — Luxdorphius in Iahnii Nov. Annall. Philol. et Paed. Suppl. I, 2. p. 170. *Hispaniae a cive natus.*

et pontificatum] Amerb. *pontificatumque.*

ex privato consularis] Heinsius coniecit *ex tributario consularis;* — Burmannus *ex peregrino consularis;* — Ruhnkenius, quem sequuntur Krausius, Cludius et Orellius, *ex privato consul*, non intellecta verborum oppositione ad has coniecturas delati. Non agitur enim de adepto *munere*, sed de mutata *condicione* Balbi, quippe qui, quum a. u. c. 713, a. Chr. 40., nullis antea gestis honoribus consul suffectus fuisset (v. Fastos coss. capitt. h. a. p. 48. ed. Laur. et Dio Cass. XLVIII, 32. p. 549. Reim.), ex statu et condicione *privati hominis* transiit in condicionem *viri consularis;* nam licet paucos tantum dies consulatum gessisset, tamen eo id consecutus est, ut viri consularis dignationem per totam relicuam vitam obtineret. Hanc huius loci

riae suae Thessaliam petiit. Pompeius, longe diversa 2
aliis suadentibus, quorum plerique hortabantur, ut in Italiam transmitteret, (neque hercules quicquam partibus illis salubrius fuit,) alii, ut bellum traheret,

rationem recte perspexit Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 46. p. 391. Ceterum Ruhnkenius praeeunte Puteano recte monuit, Velleium in hoc Corn. Balbo bis errasse; nam quum duo essent L. Balbi, quorum alter Maior dicitur, alter, ex Maioris fratre natus, Minor, ille consul fuit, hic triumphavit, v. Strabo III. p. 257. B. Almel. et Plin. H. N. V, 5. Qui in castra Pompeii intravit, idem fuit Minor; Maior ille bello civili non interfuit, ut patet ex eius epistola ad Ciceronem, quae est in Epp. ad Attic. IX, 6.

Variatum] Orellius coniecit *Variis certatum.*

proeliis; sed uno longe magis Pompeianis prospero graviter] Ed. pr. et Amerb. *proeliis, sed uno longe magis Pompeianis prospero, quo graviter.* Hanc scripturam, qua fere nemo offensus est, Krausius sic tuetur, ut dicat ex verbis *variatum est* ad sequentia assumendum esse *pugnatum est,* quod quomodo fieri possit non intelligo; nam zeugmatis usus non tam late patet, ut notionibus discordantibus compositis absurdum oriatur. Ipse olim conieceram *proeliis; sed unum l. m. Pomp. prosperum* (sc. fuit), *quo graviter* etc.; *uno* enim et *prospero* natum suspicabar ex scriptura unū, prosperū, *u* corrupto in *o*, quod saepius factum est, v. Prolegg. c. III. p. XC. Sed simplicior etiam videtur medela a Froehlichio in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 46. p. 391. proposita, quam in textum recipere non dubitavimus; nam ut *quo* et *que* voces saepe interceptae sunt proxima *o* littera (v. Prolegg. c. III. p. CIX.), ita hic contrario modo peccatum est, *quo* ob similitudinem praecedentis litterae illato.

LII, 2. *aliis suadentibus*] Herelius p. 566. coniecit *amicis suadentibus*, quod Cludius recepit. Sed *alii,* qui opponuntur ipso Pompeio, sunt relicui principes partium Pompeianarum, i. e. amici Pompeii. Nihil obstat igitur, quominus in hac sententia voci *aliis* subiiciatur partitio *quorum plerique — alii,* quamquam negari nequit Velleium ob festinationem negligentius quam elegantius scripsisse.

partibus illis] Burmannus maluit *partibus illius.*

quod dignatione partium in dies ipsis magis prosperum fieret, usus impetu suo hostem secutus est. 3 Aciem Pharsalicam, et illum cruentissimum Romano nomini diem, tantumque utriusque exercitus profusum sanguinis, et collisa inter se duo reipublicae capita, effossumque alterum Romani imperi lumen, tot talis-

fuit] Cludius corrigendum censet *fuisset*, vitandae ambiguitatis caussa. v. Zumptii Gramm. Lat. c. 77, 2. §. 518 sqq. p. 448. ed VIII.

dignatione] Ed. pr. Burer. et Amerb. *dignationi*. Ablativum recte restituit Ed. Basil.; quippe *e* littera in *i* depravata fuit, ut saepissime; v. Prolegg. c. III. p. LXXXIX. *Dignatio partium*, qua einfra II, 54, 2. dicitur *favor partium*, est magna existimatio, qua Pompeii partes fruebantur; quae quo magis in dies cresceret, eo prosperior belli eventus sperari poterat. — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 149. coniecit *dilatione;* — Cludius vel *dignatione partium in dies crescente*, vel *in dispersione partium*.

partium] Ita Ed. pr. et Amerb.; Burer. *partem* — Bothius coniecit *dignatione parta*.

in dies ipsis] Ed. pr. *indies ipsis;* Amerb. *indies ipsiis*; Burer. *indie ipsiis*, quam cod. Murb. scripturam Rhenanus tacite correxit. — Pro *ipsis* Burerius maluit *ipsi;* — Vossius *indiem ipsi*.

fieret] Cludius coniecit *foret*.

§. 3. *Romano*] Burer. et Amerb. *Romani;* Ed. pr. *Romano*, ex tacita Rhenani correctione. v. Prolegg. c. III. p. LXXVII. Burerius coniecit *Romani nominis*.

tantumque utriusque exercitus profusum sanguinis] Bothius haec tanquam interpretamentum verborum *cruentissimum diem* uncinis inclusit. Quam temere, intelligitur ex Prolegg. c. II. p. LVIII.

collisa] Ed. pr. et Amerb. *consilio*, quod Burerius invita Minerva mutandum duxit in *consiliunt*. Felicior in vero reperiendo fuit Ed. Basil., qui acutissime vidit vitiosam codicis scripturam ortam esse ex *conlisa* verbo, male exarato maleque lecto. cf. Horat. Epp. I, 2, 7. *Graecia Barbariae lento collisa duello*. Stat. Thebaid. VI, 435. *Ambitiosa pios colli-*

que Pompeianarum partium caesos viros, non recipit enarranda hic scripturae modus. Illud notandum est, 4 ut primum C. Caesar inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque prius neque antiquius quicquam habuit, quam ut in omnis partis (ut militari et verbo ex consuetudine utar) dimitteret **** Pro dii immor- 5

dit gloria fratres. Bothius scripsit *collisione inter se duorum capitum.*

effossum] Ex errore ed. Iuntinae, in qua est *effosum*, in nonnullis edd. factum est *effusum*, quod temere tuentur Popma, Scioppius in Veris. III, 18. et Casp. Barthius in Adverss. X, 5. Ad vulgatam stabiliendam, quamquam exemplis vix opus est, Krausius bene contulit Cic. de N. D. III, 38, 91. *Hi duo (Critolaus et Hasdrubal) illos oculos orae maritimae (Corinthum et Carthaginem) effoderunt.* Iustin. V, 8, 4. *Negarunt se Spartani ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos.* v. Sall. Fragm. Hist. Inc. p. 1005. Cort.

enarranda] Amerb. *enarrandae*, ob falso institutam constructionem; v. Prolegg. c. III. p. CV sqq. Ed. Basil. scripsit *enarrandos.* Genus neutrum qua caussa nitatur patebit ex Reisigii Gramm. Lat. §. 187. p. 314.

§. 4. *quam ut in omnis partis*] Ed. pr. et Amerb. *quam in omnis partes.* Quum formula *nihil habere antiquius* significet *nulli rei magis animum intendere*, ubi verbum sequitur, deesse nequit *ut* particula. Recte eam igitur restituit Ed. Basil., non obsequente tamen Orellio. Non excidit autem, sed errore transiit in *m* litteram; nam quum scriptum esset quāut, lineola autem evanuisset, similitudo elementorum *ut* fecit, ut ambae voces pro una *quam* haberentur. Ed. Basil. scripsit *quam ut omnes patres;* — Lipsius *quam ut omnes partes;* — Heinsius *quam indemnes partes;* — Friebelius in Gr. Sartyrogr. Fr. p. 149. *quam ut hostiles partes.* V. annotat. seq.

ut militari et verbo ex consuetudine utar] Ed. pr. et Amerb. *ut mil. et verbo et consuet. utar*, quae scriptura in edd. retenta prorsus absurda est, quum nullo pacto intelligatur, qua *consuetudine militari* Velleius hic *uti* possit. Sed densissimas huius loci tenebras una litterula mutata dispulit Lipsius, coniiciendo *ex consuetudine*, de qua vocis *ex* cum *et* con-

tales, quod huius voluntatis erga Brutum suae po-
6 stea vir tam mitis pretium tulit! Nihil illa victoria

fusione v. supra I, 14, 1. coll. Drakenborch. ad Liv. XXVI, 45, 1. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 662. Nimirum Velleius dicit in narranda *re* militari, quippe facta in proelio Pharsalico, se *verbo* etiam militari usurum esse *ex consuetudine*, alludens ad longam militiam, qua usus vocabulorum militarium, in certis rebus propriorum, sibi familiaris factus sit; v. Prolegg. c. I. p. XI. Illud autem *verbum militare*, quod nullum in textu esse, sed excidisse acriter contendunt Burmannus, Ruhnkenius, Krausius, Orellius ad h. l. et Schefferus in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 460., non aliud est, quam *in omnes partes dimittere*, licet Ruhnkenius, usum ignorans, ridiculum id dicat; cf. Caes. B. G. IV, 19, 2. *Cognovit Suevos nuncios in omnes partes dimisisse.* IV, 34, 5. *Barbari nuncios in omnes partes dimiserunt.* V, 49, 8. *Speculatoribus in omnes partes dimissis.* V, 53, 4. *Galliae civitates nuncios in omnes partes dimittebant.* VI, 43, 1. *Caesar magno coacto numero, in omnes partes dimittit.* VIII, 5, 3. *Equites et auxiliarios pedites in omnes partes dimittit;* (ita ibi scribendum ex cod. Leid. 1.). VIII, 7, 1. *Equitum turmas dimittit in omnes partes.* VIII, 25, 1. *Quum in omnis partes aut legiones aut auxilia dimisisset.* VIII, 24, 1. *Plures in partes exercitum dimittere constituit.* Liv. VIII, 7, 1. *Inter ceteros turmarum praefectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, Manlius* etc. Facile autem patet huius dictionis militaris vim maxime in verbo *dimittere* inesse; quae qualis sit plane intelliges, si contuleris cum verbo recentiore *detachiren*, quo nostri quoque viri militares tanquam peculiari utuntur. Hactenus explicata loci ratione luce clarius est excidisse integri versus verba, quibus significaretur, *quos et quo consilio* dimiserit in omnes partes. Verba ipsa quamquam nemo mortalium praestiterit, tamen ex sequentibus patet sententiam haud dubie hanc fuisse: neque antiquius quicquam habuit, quam ut in omnis partis dimitteret, *qui proclamarent, ut civibus parceretur.* cf. Suet. Caes. c. 75. *Acie Pharsalica proclamavit ut civibus parceretur.* Appian. B. C. II, 80. p. 285. Schweigh. *Κήρυκας ἐς τὰς τάξεις πανταχοῦ περιέπεμπεν* (i. e. in omnes partes dimisit) *οἳ τοῖς νικῶσιν ἐκέλευον ἀψαυστεῖν τῶν ὁμοεθνῶν.* Flor. IV, 2, 50. *Voces quoque obequitantis exceptae, altera cruenta, sed docta*

mirabilius, magnificentius, clarius fuit, quando neminem nisi acie consumptum civem patria desideravit;

et ad victoriam efficax, miles faciem feri; altera ad iactationem composita, parce civibus. Burmannus censet excidisse aliquid, quod indicaret *dimisisse* Caesarem *certos viros in omnes partes, qui conquirerent quos salvos vellet, idque evenisse Bruto;* — Ruhnkenius loci formam hanc fuisse coniicit *quam ut in omnes partes praecones clamantes: parce civibus! ut militari et verbo et consuetudine utar, dimitteret;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 460. *quam in omnes partes parce (militari et verbo et consuetudine utar) dimitteret;* — Ed. Bipont. *quam in o. p. ut militares viros ad conservandum Brutum dimitteret;* — Krausius, verba *ut militari et verbo et consuetudine utar* tanquam spuria uncinis includens, lacunae signa posuit post *partes;* — Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 554. coniecit *quam omnes partes (ut mil. et verbo et cons. utar) dimitteret;* — Cludius *quam ut omnes partes (ut militari verbo utar) ex consuetudine dimitteret;* — Bothius *quam ut in om. par. Parce (ut militaris verbi consuetudine utar) dimitteret;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 25. *quam ut omnes partes, ut militari et verbo et consuetudine utar, dirimeret;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 9. *quam in omnes partes uti militari et verbo et consuetudine, ut arma dimitterent.* — Orellius, de Bruto aliquid excidisse ratus, locum pro conclamato habet.

§. 5. *Pro dii*] Amerb. *proh dii.*

erga Brutum suae] Amerb. omisit *suae.* — Cludius maluit *erga Brutum suum;* — Laurentius in Locis Vell. p. 98. *ergo Brutianos.* Sed vulgata integra est. Brutum auctor commemorat, non quod iam antea de eo dixerit, sed quod is, ad quem *simul cum ceteris civibus* vitae servatae beneficium pertinuit, postea Caesari, qui ipsum salvum voluisset, caedis auctor exstitit. Arripuisse Velleium hanc argutandi occasionem ex consuetudine sua (de qua v. Prolegg. c. II. p. L sqq.) ostendit exclamatio. De verborum collocatione v. Prolegg. c. II. p. LXXIII sqq.

postea] Ed. pr. et Amerb. *post eam.* Vitium, ex falsa constructione ortum (v. Prolegg. c. III. p. CIV sq.), correxit Rhenanus.

sed munus misericordiae corrupit pertinacia, cum libentius vitam victor iam daret, quam victi acciperent.

1 LIII. Pompeius profugiens cum duobus Lentulis consularibus Sextoque filio et Favonio praetorio, quos comites ei fortuna aggregaverat, aliis ut Parthos, aliis ut Africam peteret, in qua fidelissimum partium suarum haberet regem Iubam, suadentibus, Aegyptum petere proposuit, memor beneficiorum, quae in patrem eius Ptolemaei, qui tum puero quam iuveni
2 propior regnabat Alexandriae, contulerat. Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis

corrupit] Ed. pr. et Amerb. *corrumpit.* Verum reposuit Rhenanus. De corruptelae caussa v. Prolegg. c. III. p. C.

victor iam daret] Ed. pr. et Amerb. *victoriam dare;* quod, quum Rhenanus male coniecisset *victores darent,* certissima coniectura emendavit Burerius; — Ed. Basil. scripsit *victor daret;* — Bothius *victoria daret.* Particula *iam,* quae istis offensioni fuit, rem prioribus adiungit miram et incredibilem, quasi dicas: nam *eo processum est,* ut vitam libentius victor daret etc. cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. III. p. 137. §. 13. ubi commode laudavit Tacit. Annall. I, 21, 2. *Accurritur ab universis, et carcere effracto solvunt vincula, desertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi iam miscent.*

LIII, 1. *Sextoque filio*] Ed. pr. *sextoque filio.* Nomen proprium agnovit Burerius.

in qua] Ed. pr. et Amerb. *in quo.* Correxit Ed. Basil.

proposuit] Cludius aptius putavit *praeposuit,* in quod etiam incidit Lion apud Orellium Praef. p. XVI. Sed commode Kreyssigius Praef. p. XXXVI. comparavit infra II, 60, 2. *Octavianus cum periculo potius summa, quam tuto humilia proposuit sequi.* Quippe *proponere* eadem ratione absolute ponitur, atque *vindicare,* de quo v. ad II, 100, 3.

memor] Cludius scribendum censuit *memorem.* Sed *memor beneficiorum* est *recordatus se beneficia contulisse, indeque fiduciam capiens.*

ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium (is iam a Mytilenis Corneliam uxorem receptam in navem fugae comitem habere coeperat) consilio Theodoti et Achillae excipe-
rent hortarenturque, ut ex oneraria in eam navem, quae obviam processerat, transcenderet. Quod cum fecisset, princeps Romani nominis imperio arbitrioque Aegyptii mancipi C. Caesare, Publio Servilio consulibus iugulatus est. Hic post tris consulatus et toti- 3
dem triumphos domitumque terrarum orbem sanctissimi

Ptolemaei] Ed. pr. et Amerb. *Ptolomaei.*

regnabat Alexandriae, contulerat] In Ed. pr. sic interpungitur: *regnabat, Alexandriae contulerat,* quam rationem Orellius falso retinuit. Nam Ptolemaeum Auletem *Pompeio consule annitente* restituit *Gabinius,* expeditione e Syria in Aegyptum facta; cf. Dio Cass. XXXIX, 55. p. 219. XLII, 2. p. 306. Reim. et Livii Epit. lib. CV.

§. 2. *aut quando fortuna non mutat fidem?*] Haec verba Laurentius in Locis Vell. p. 52. sententiae eiusdem repetitione offensus a male sedulo librario assuta esse censet, Velleiani moris profecto immemor. V. Prolegg. c. II, p. LV sqq. et Froehlichium in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 69. p. 574.

coeperat] Ita Amerb.; Ed. pr. *ceperat.*

Achillae] Amerb. *Achi;* Burer. *Achili;* Ed. pr. *Achillae,* ex tacita Rhenani correctione. — Ruhnkenius scripsit *Achilli,* quem genitivum recte quidem habet nominativus *Achilles,* non item *Achillas,* quemadmodum Pompeii interfector nominatur a Caesare B. C. III, 104. 2 sqq. Dione Cass. XLII, 4. p. 307. et Appiano B. C. II, 84. p. 291.

consilio Theodoti et Achillae] Haec verba Bothius transposuit post *rege.*

obviam processerat] Amerb. *processerat,* omissa voce *obviam.*

ac praestantissimi viri in id evecti, super quod ascendi non potest, duodesexagesimum annum agentis pridie natalem ipsius vitae fuit exitus, in tantum in illo viro a se discordante fortuna, ut, cui modo ad victoriam
4 terra defuerat, deesset ad sepulturam. Quid aliud quam nimium occupatos dixerim, quos in aetate et tanti et paene nostri seculi viri fefellit quinquennium, cum a C. Atilio et Quinto Servilio consulibus tam facilis esset annorum digestio. Quod adieci, non ut arguerem, sed ne arguerer.

§. 3. *ac praestantissimi viri*] Amerb. *atque praestantissimi*, omisso *viri*. — Cludius *et praest. viri*.

§. 4. *in aetate*] Ed. pr. et Amerb. *in aetatem*. Correxit Rhenanus.

nostri seculi viri] Ursinus scripsit *nostri seculi principis viri*, non assecutus verba significare *viri, qui nostram aetatem paene attigit*.

C. Attilio et Q. Servilio] Amerb. *C. Atilio, Quinto Servilio*.

tam facilis] Ed. pr. *tam felix;* Amerb. *tam foelix*. Rectissime Ed. Basil. emendavit *facilis*, quam vocem haud raro cum *felix* in codd. permutari ostendit Duker. ad Flor II, 6, 38. et ad Liv. XXXI, 26, 7. Drakenborch. ad eund. XXIII, 11, 2. Lipsius coniecit *tam non fallax*.

LIV, 1. *Non fuit maior*] Burer. et Amerb. *non fuit non maior;* Ed. pr. *non fuit maior*, ex tacita et verissima Rhenani correctione; nam alterum *non* merâ negligentiâ ortum; v. Prolegg. c. III. p. CXII sq. Burerius coniecit *non fuit tamen maior;* — Laurentius in Locis Vell. p. 53. *non f. vero m.*, vel *non f. nunc m.*

summo imperatorum alteri superstiti] Lipsius suspicabatur post *imperatorum* excidisse *alteri mortuo;* quod arripiens Orellius scripsit *summo imperatori, mortuo alteri, alteri superstiti;* — Cludius maluit *summo imperatori alteri superstiti*. Nemo locum intellexit. Quippe *utrique* nominativus est pluralis, quo significantur *Theodotus et Achillas;* verba autem

LIV. Non fuit maior in Caesarem, quam in 1
Pompeium fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur, fides. Quippe cum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent, utrique summo imperatorum alteri superstiti meritas poenas luere suppliciis. Nusquam erat Pom- 2
peius corpore, adhuc ubique vivebat nomine; quippe ingens partium eius favor bellum excitaverat Africum, quod ciebat rex Iuba et Scipio, vir consularis, ante biennium, quam extingueretur Pompeius, lectus ab

summo imperatorum alteri superstiti intelligenda sunt de *Caesare* solo, quamquam voce *superstiti* ita respicitur ad Pompeium, ut tacite significetur ei mortuo scelestos illos quas luere debebant poenas non luisse. *Utrique* de duobus dictum illustravimus ad Sall. Cat. c. XXX, 4. p. 137 sq.

meritas poenas] Lipsius coniecit *meritis poenas*, quod recepit Cludius. cf. II, 23, 2. *Cuius facti merita eum poena — consecuta est.*

§. 2. *ubique vivebat nomine*] Ed. pr. et Amerb. *ubique Iubae nomine.* Palmaris est Heinsii emendatio *vivebat*, non solum sensu prorsus egregio, sed etiam mutatione facillima et minime dubia; nam *Iubae* ortum ex compendio ῑ̃bat, (v. Prolegg. c. III. p. XCVIII.) curvâ lineolâ neglecta ac *t* littera cum *e* confusa. Simili sententia Velleius infra usus est de Cicerone II, 66, 5. *Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam.* Aldus Nepos coniecit *ubique vivens*, vel *vigens, nomine;* — Ed. Basil. *ubique nomine*, deleta voce *Iubae;* — Schegkius *ubique ibat nomine;* — Acidalius *ubi ubique nomine;* — Pontanus ad Macrob. Saturn. VII, 14. *ibique iugi nomine;* — Laurentius in Locis Vell. p. 54. *ubique vivus nomine;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 18. *ubique iure ac nomine;* — Bergkius ubique *umbra et nomine*, vel *umbra nominis.*

ciebat] Cludius suspicatur scribendum esse *ciebant*, quod merito damnat Kreyssigius Praef. p. XXXVII. coll. Zumptii Gramm. Lat. c. 69, 5. §. 373. p. 338. v. supra ad II, 9, 6.

biennium] Lipsius maluit *triennium.* Sed quum Pompeius

3 eo socer. Eorumque copias auxerat M. Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia perductis ad eos legionibus; qui vir, cum summum ei a militibus deferretur imperium, honoratiori parere maluit.

Corneliam, Scipionis filiam, duxisset consul tertium, i. e. anno u. c. 701., a. Chr. n. 52, ut patet ex Plutarcho in Pomp. c. LIV et LV, certum est non biennium, neque triennium, sed quadriennium inter initum hoc matrimonium et eius mortem interesse. Sed utrum Velleius ipse in tempore constituendo erraverit, an librarii culpa numeri depravati fuerint, valde est incertum. Quare Krausium secutus nihil mutandum putavi.

socer] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr. *sacer*, Rhenani vel potius typothetae errore.

§. 3. *Eorumque*] Cludius maluit *quorum*. cf. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. LI, 3. p. 286.

locorumque] Raphelengius coniecit *aquarumque*; — Vossius *liquorumque*. Sed *locorum inopia*, ut Ruhnkenius recte cepit, est *rerum ad vitam necessariarum defectus et penuria, qua loci vasti ac deserti laborant*. cf. Sall. Historr. Fragm. p. 1008. ed. Cort. (Inc. 124. ed. Gerl.). *Quantum coniicio, locorum egestate rapto vivere coacti*. Seneca ad Helv. c. 12. *Nec tantum condicio illos temporum aut locorum inopia pauperibus exaequat*. Columella IX, 6. *Quum aut morbo, aut sterilitate, aut penuria locorum vexatos conveniat in aliam regionem mitti*. Ceterum noli „exquisitiorem dicendi rationem“ cum Ruhnkenio et Krausio in hoc loco quaerere, cuius sententia simpliciter nititur genitivi subiectivi, quem dicunt, potestate; cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 73, 1. 1. §. 423. p. 378. ed. VIII.

ei a militibus] Ita Burer. et Amerb.; — Ed. pr. *ei ambitus*, Rhenani errore. Temere igitur Ursinus coniecit *ei ab illis*.

parere] Ed. pr. et Burer. *parare*, pro quo Burerius certissimâ coniecturâ assecutus est scribendum esse *parere*; v. Prolegg. c. III. p. LXXXVI. — Amerb. *parari*; unde Orellius fecit *pareri*, sc. a toto exercitu. At sermo est de solo Catone, qui *parere* quam *imperare* mallet; cf. Dio Cass. XLII, 57. p. 339. *Ὁ Κάτων δυνηθεὶς ἂν ἐξ ἴσου αὐτῷ (τῷ Σκιπίωνι) ἢ καὶ μόνος ἄρξαι, οὐκ ἠθέλησε, τὸ μὲν, ὅτι βλαβερώτατον τοῖς τοιούτοις*

LV. Admonet promissae brevitatis fides, quanto 1
omnia transcursu dicenda sint. Sequens fortunam suam Caesar pervectus in Africam, quam occiso Curione, Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus. Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit sua,

ἡγεῖτο εἶναι, τὸ δὲ, ὅτι τῷ πολιτικῷ ἀξιώματι ἠλαττοῦτο αὐτοῦ.

LV, 1. *quanto*] Amerb. *quando.*

dicenda sint] Amerb. *dic. sunt.*

pervectus in Africam] Amerb. *in pervectus in Africam et.* Inde Orellius fecit *perv. in Afr. est,* quum iam Ruhnkenius coniecisset *perfectus est in Africam.* Sed quum Burerius quoque *et* non agnoscat, non natum id putamus ex *est,* sed temere ab Amerbachio illatum, quemadmodum etiam *in* prius ex eius inconsiderantia fluxit; v. Prolegg. c. III. p. CXIII. Certe *est* h. l. non requiritur, quum *pervectus* sit verbum finitum, omisso verbo substantivo, quod factum est sexcenties; cf. I, 12, 1; II, 1, 1; II, 7, 5; II, 12, 3. 4; II, 23, 2; II, 32, 2; II, 37, 5; II, 38, 3; II, 46, 3; II, 51, 3; II, 65, 1; II, 110, 6; II, 60, 4; II, 61, 4; II, 76, 3; II, 77, 1; II, 79, 4; II, 80, 2; II, 81, 1; II, 87, 2; II, 99, 4; II, 100, 5.

varia fortuna, mox pugnavit sua] Ed. pr. et Amerb. *varia fortunam expugnavit via.* Ingeniosam ac verissimam Acidalii emendationem, in textu expressam, merito amplexi sunt Lipsius, Ruhnkenius, Krausius, Orellius multique alii; nam in scriptura Ed. pr. non solum vitiosum est *primo,* cui nihil respondeat, sed etiam relicua dictio duobus nominibus inepta, quum *fortuna* neque *expugnari,* neque *varia via expugnari* dici possit, quibus vitiis omnibus medetur Acidalii correctio. *Primo* voci legitime subiicitur *mox,* ut II, 20, 4; II, 51, 2; II, 63, 1; II, 68, 2; II, 82, 2; II, 118, 3. v. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XXIX, 3. p. 165. Tum acumine saepius quaesito Velleius Caesarem dicit *pugnasse fortuna sua,* i. e. *consueta et insigni;* cf. hoc ipso capite §. 1. et 3. II, 74, 4. *Usus Caesar virtute et fortuna sua.* II, 97, 4. *Quod bellum Nero sua et virtute et fortuna administravit.* Corruptelae autem caussa ad id genus pertinet, quod tetigimus in Prolegg. c. III. p. CII. Iam vides non solum latine loqui auctorem, sed etiam historiae fidem sequi; nam initio belli Africani Caesari multa adversa fuisse tum Hirtius tra-

2 inclinataeque hostium copiae. Nec dissimilis ibi adversus victos, quam in priores clementia Caesaris fuit. Victorem Africani belli C. Caesarem gravius excepit Hispaniense, (nam victus ab eo Pharnaces vix quicquam gloriae eius astruxit,) quod Cn. Pompeius, Magni filius, adulescens impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflaverat, undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex
3 toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Sua Caesarem in Hispaniam comitata fortuna est, sed nullum unquam atrocius periculosiusque ab eo initum

dit, tum Plutarchus in Caes. c. LII sqq., Dio Cass. XLIII, 2 sqq. et Appian. B. C. II, 95 sqq. — Aldus Nepos coniecit *varia fortuna, mox pugna vicit;* — Ed. Basil. *variam fortunam expugnavit, inclinataeque;* — Bothius *variam fortunam expugnavit via;* — Laurentius in Locis Vell. p. 55. *variam fortunam expugnavit virtute.*

§. 2. *quam in priores*] Krausius scripsit *quae in priores;* — Ruhnkenius haec tria verba de glossa sibi suspecta esse dicit, eumque secutus Bothius uncinis ea inclusit. Quum pateat coniunctionem verborum *nec dissimilis — quam* istas suspiciones excitasse, abstinuissent, opinor, mutationibus, si reputassent Velleium, negligentiam familiaris consuetudinis secutum, *quam* subiunxisse verbis *nec dissimilis*, quia intelligeret *non alia Caesaris clementia fuit, quam* etc. cf. ad II, 121, 1.

C. Caesarem] Amerb. *Caesarem.*

astruxit] Lipsius maluit *adstruxerit.*

ad bella] Gelenius apud Orellium coniecit *ad bellandum.*

§. 3. *nullum unquam*] Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836, Vol. I. No. 43, p. 339, coniecit *nullum Mundensi unquam*, quo non est opus. Nam vulgatae verbis significatur in universum *proelium quo res confecta est*; quod sane fuit Mundense.

§. 4. *restituta, et a duce*] Ed. pr. et Amerb. *restitutae*

proelium, adeo ut, plus quam dubio Marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem suorum aciem, increpita prius fortuna, quod se in eum servasset exitum, denuntiaret militibus vestigio se non recessurum; proinde viderent, quem et quo loco imperatorem deserturi forent. Verecundia magis quam 4
virtute acies restituta, et a duce quam a milite fortius. Cn. Pompeius, gravis volnere inventus inter solitudines avias, interemptus est; Labienum Varumque acies abstulit.

LVI. Caesar omnium victor regressus in ur- 1

sunt a duce; — Burer. *restitutae C. A. duce,* unde Orellius sagaciter eruit *restituta, et a duce.* Nam *e* littera avulsa ac praecedenti voci addita, (v. Prolegg. c. III. p. CII.) remansit *t;* quae quum a *c* vix possit discerni, habita est pro nota *Caii* nominis, idque ipsum rursus in caussa fuit, cur etiam *a* in *A* mutaretur. Orellio praeivit Ruhnkenius *restitutae et a duce,* quamquam in hac scriptura et pluralis falsus est, neque intelligitur unde *et* depravatum fuerit. Aldus Nepos coniecit *restituta, ceterum a duce;* — Vossius *rest. sed a duce;* — Heinsius *restituta, ac a duce;* — Burmannus *rest., certe a duce;* — Ed. Bipont. et Laurentius in Locis Vell. p. 58. maluerunt *restituta est a duce.* Sed *et* h. l. cum vi positum valet *et quidem,* quod recte sensit Ruhnkenius (cf. II, 60, 2. et supra ad II, 7, 6.), ita tamen, ut adiecta verba tantummodo pertineant ad *restituta,* non ad universam sententiam praecedentem; nam paullo licentius sequentia sic posita sunt, ut ex verbis *acies restituta* cogitatione eliciendum sit *pugnatum est.*

gravis volnere] Ed. pr. *gravis vulnere;* Amerb. *gravi volnere,* unde Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 339. coniecit *ictus gravi vulnere.* Cur recedatur a scriptura Ed. pr., quam agnoscit Burerius, nulla caussa est; cf. II, 76, 1. *C. Velleius — gravis iam aetate et corpore — gladio se ipse transfixit. Volnere gravis* dicitur, qui eo impeditur, quominus celeriter discedere, aut fugam capessere possit.

bem, quod humanam excedat fidem, omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit, et magnificentissimis gladiatorii muneris, naumachiae et equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis, epulique per multos dies dati celebratione replevit
2 eam. Quinque egit triumphos; Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitit.

LVI, 1. *ignovit, et magnificentissimis*] Ed. pr. et Amerb. *ignovit magnificentissimis.* Copulam intulit Ruhnkenius, qua oratio carere non potest, quoniam pronomen *eam* in fine periodi collocatum cohaeret cum verbis *regressus in urbem.* Excidit *et* absorptum praecedente syllaba *it,* quod in syllabis similibus saepe factum; cf. Goerenz. ad Cic. de Finn. I, 16, 50. p. 70. Beier. ad Off. I, 26, 92. p. 208. Drakenborch. ad Liv. IX, 41, 10. XXXV, 41, 7. — Burerius coniecit *ignovit, magnificentissimisque.*

replevit eam] Censor Gottingensis in Ephemm. litt. a. 1779. Additt. p. 120., his verbis simul cum interpunctione deletis, ablativos praecedentes coniungi vult cum verbis *egit triumphos.* Vulgata quamquam est integerrima, tamen *replevit eam* neque cum Ruhnkenio explicandum est *recreavit et refecit,* neque cum Cludio supplendum *hominibus,* sc. spectandi cupidine confluentibus; nam simplicissima ratione *urbem spectaculis et epulis implere* valet *amplissima et splendidissima munera et epula praebere.* cf. II, 100, 2. *Magnificentissimis — spectaculis animos oculosque populi Romani Augustus repleverat.*

§. 2. *ex citro*] Torrentius ad Sueton. Caes. c. 37. coniecit *ex cedro.*

Africi] Amerb. *Afri.*

lata] Orellius scripsit *inlata,* sc. in aerarium. Sed ad verbum *lata* potius supplendum est *in triumpho.*

sexiens milliens sestertium] Ita Amerb. ut I, 9, 6. ubi v.; Ed. pr. *sexies milies H-S.* — Laurentius in Locis Vell. p. 57. coniecit *vicies millies H-S,* sc. ut Velleius congrueret cum Appiano, qui de B. C. II, 102. p. 315. Schweigh. Χρήματα, inquit, ἐν

Pecunia ex manubiis lata paulo amplius sexiens miliens sestertium. Neque illi tanto viro et tam cle- 3
menter omnibus victoriis suis uso plus quinque mensium principalis quies contigit. Quippe cum mense Octobri in urbem revertisset, Idibus Martiis, coniurationis auctoribus Bruto et Cassio, quorum alterum promittendo consulatum non obligaverat, contra differendo Cassium offenderat, adiectis etiam consiliariis caedis

τοῖς ϑριάμβοις φασὶ παρενεχϑῆναι μυριάδας ἑξ καὶ ἥμισυ ταλάντων. Sed quod contendit graecis verbis significari *nonaginta millia* talentum, quibus respondeat summa *vicies millies et sexies decies* sestertii, quum illud prorsus falsum sit, concidit etiam id, quod de numeris Velleianis mutandis ex eo argumentatur. Nam μυριάδες ἑξ καὶ ἥμισυ, sunt *myriades sex cum dimidiata*, i. e. *quinque et sexaginta millia;* cf. Matthiae Gramm. Graec. §. 143. Tom. I. p. 267. Quare quum alius plane numerus requiratur, si Velleium velis cum Appiano in summa pecuniae consentire, patet egregie falli Laurentium, qui *sexies millies H-S* ortum putet ex scriptura VICIES, ita quidem, ut *c* litterâ obscuratâ relicua sic acciperentur, quasi scriptum esset *VIies millies H-S.* Velleius quanquam multum discrepat ab Appiano, tamen mutandae scripturae certa ratio non suppetit, non magis quam I, 9, 6; II, 12, 5; II, 47, 1; II, 48, 4. ubi v. — Hotomannus coniecit *sexagies millies H-S;* — Lipsius de Magnitud. Rom. I, 8. *decies sexies millies H-S.*

§. 3. *tanto viro*] Haec verba desunt apud Amerb.

omnibus victoriis suis uso] Ed. pr. et Amerb. *omnibus uso.;* — Burer. *omnibus victoribus suis uso,* quod Ed. Basil. verissime correxit *victoriis* reponendo pro *victoribus.* Ceterum patet duo vocabula, quae Rhenanus cum Amerbachio neglexit, vel inter versus fuisse scripta, vel signis additis margini apposita.

principalis quies] Bothius scripsit *principatus quies.* Quasi vulgata non idem significaret. cf. II, 124, 3. *Primum principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum.* II, 127, 3. *Tiberius Seianum principalium operum adiutorem habuit.*

familiarissimis omnium, et fortuna partium eius in summum evectis fastigium, D. Bruto et C. Trebonio
4 aliisque clari nominis viris, interemptus est. Cui magnam invidiam conciliarat M. Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponendo capiti eius, Lupercalibus sedentis pro Rostris, insigne regium, quod ab eo ita repulsum erat, ut non offensus videretur.

1 LVII. Laudandum experientia consilium est Pansae atque Hirti, qui semper praedixerant Caesari, ut

evectis] Ed. pr. et Amerb. *revectis*. Correxit Ed. Basil. v. ad II, 4, 7.

Trebonio] Ed. pr. *Tribonio*; Amerb. *Trebonio*, ut recte scripsit Ed. Basil. cf. Caes. B. C. I, 36. III, 20. Dio Cass. XLII, 22. p. 318. et XIII, 29. p. 361.

§. 4. *ita repulsum erat, ut non offensus*] Ed. pr. et Amerb. *id repulsum erat, ut non offensum*. Velleii manum feliciter restituit Rhenanus, mutatione aeque facili, ac sententia commoda. Nam *s* finale saepissime confundi cum *m* ostendimus in Prolegg. c. III. p. CV.; *ita* autem, quum sequatur *ut* particula, necessario requiritur ad sententiam hanc: quod ab eo repulsum *quidem* erat, *sed tali modo, ut* non offensus videretur; de quo particulae usu in sententia restringente v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 726. p. 596. ed. VIII. Handium de Particc. Latt. Vol. III. p. 475. Reisig. Gramm. Lat. §. 318. p. 568. collatis iis, quae infra ad II, 68, 5. monuimus; adde II, 69, 2. Eius ignarus Burerius coniecit *quod ab eo ideo repulsum* etc.; — Heinsius *quod ab eo quidem repulsum erat, ut* etc.; — Orellius *ita* probans, *offensum* retinuit; sed quod dicit „*aliquid mihi est offensum* idem est atque *ego offendi in aliqua re*“, id minime pertinet ad hunc locum.

LVII, 1. *quam timeri*] Ita Ed. pr. et Amerb. a secunda manu, quum primum scripsisset *timere*, quemadmodum coniecit Oudendorpius ad Sueton. Caes. c. 86. probantibus Ruhnkenio, Krausio, Orellio, Bothio. Id perperam factum esse facile senties, si reputaveris *timere nolle* esse *fortis atque intrepidi animi, timeri nolle* vero *clementiae humanitatisque*, qua

principatum armis quaesitum armis teneret. Ille dictitans mori se quam timeri malle, dum clementiam, quam praestiterat, expectat, incautus ab ingratis occupatus est, cum quidem plurima praesagia atque indicia dii immortales futuri obtulissent periculi. Nam 2
et haruspices praemonuerant, ut diligentissime Iduum Martiarum caveret diem, et uxor Calpurnia, territa nocturno visu, ut ea die domi subsisteret, orabat, et libelli coniurationem nuntiantes dati, neque protinus ab eo lecti erant. Sed profecto ineluctabilis fa- 3

laude Caesarem hic ornari luce est clarius. Hanc loci rationem fere solus assecutus est Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 38. p. 317.

plurima] Ita Ed. pr. et a sec. manu Amerb.; idem a prima manu et Burer. *plurimi*, unde Orellius scripsit *plurima ei*, improbante Kreyssigio Praef. p. XXXVII. Recte, opinor; nam fluctuatio in legenda scriptura codicis Murb. tantummodo spectat ad extremam litteram eiusdam vocis, non ad duas voces. Iam si dubia illa littera fuit *a*, Rhenanus recte legit, neque Amerb. plane erravit; si fuit *i*, profecto falsa fuit, et in *a* non in *a ei* mutari debuit. Dativus autem non utique necessarius est; v. Beier. ad Cic. Off. II, 3, 10. p. 23. sq. coll. infra II, 122, 1.

§. 2. *dati, neque protinus ab eo lecti*] Ita Amerb.; — Ed. pr. *dati ab eo, neque protinus lecti.* Vitium huius scripturae falso verborum ordine constare, tum res ipsa documento est, tum intelligitur ex apographo Amerbachii, quem accuratius Rhenano et Burerio vidisse iudicamus, quid cod. Murb. praeberet; quippe apposita traiectis vocabulis signa, quibus verus ordo indicaretur, animadvertit Amerbachius, non viderunt Rhenanus et Burerius. — Acidalius coniecit *dati adeo, neque prot. lecti;* — Heinsius *dilati ab eo, neque prot. lecti;* — Burmannus *dati ab Artemidoro, neque pr. lecti;* — vel etiam *dati ab obvio, n. pr. lecti;* — Grunerus *dati ab aliquo n. pr. lecti;* — Ruhnkenius *delati ad eum, neque pr. lecti;* — Ed. Bipont. *dati abeunti, n. pr. lecti;* — Cludius *conditi ab eo, neque p. lecti;* — quae omnia, ut de

torum vis; cuiuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.

1 LVIII. Quo anno id patravere facinus, Brutus et C. Cassius praetores erant, D. Brutus consul de-
2 signatus. Hi una cum coniurationis globo, stipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitolium occupavere, cum consul Antonius (quem cum simul interimendum censuisset Cassius, testamentumque Caesaris absolendum, Brutus repugnaverat, dictitans nihil amplius civibus praeter tyranni — ita enim appellari Caesarem facto eius expediebat — petendum esse sanguinem)

aliis incommodis taceam, hoc maxime laborant, quod *lecti* verbo abstrahuntur voces *ab eo*, quo summa vis sententiae perit.

§. 3. *vis; cuiuscunque*] Ed. pr. *vis, cuius quom;* Burer. et Amerb. *vis, cuius cum.* — Ed. Basil. scribendo *vis, cuiuscunque* nihil ad sanitatem loci reliquit, praeter interpunctionem, quam nunc demum emendavimus. *Profecto* enim non pertinere potest ad *corrumpit*, sed ad *inluctabilis*, quo continetur sententia generalis, graviter ista particula confirmata; quae sequuntur verba, caussam continent antecedentium, particula explicativa omissa; cf. annotata nostra ad Sall. Cat. XXXIX, 4. p. 184. — Aldus Nepos maluit *vis, cuius fortunam;* — Salmasius in Seebodii Bibl. Crit. 1828. p. 288. *vis cuiusque*; — Scheffe-rus in Misc. Obss. Vol. IX. 168. *vis, cuiusque quum fortunam.*

LVIII, 1. *id patravere*] Amerb. *id id patravere.*

Brutus et C. Cassius] Heinsius scripsit *M. Brutus et C. Cassius*, probantibus Ruhnkenio et Orellio. Sed ubi in narratione de caede Caesaris *Brutus et Cassius* coniunctim nominantur, semper, quippe re celeberrima, intelligitur *Marcus Brutus.* Quare praenomine non opus est; cf. II, 65, 1. cf. v. ad II, 20, 1.

§. 2. *Brutus repugnaverat*] Ruhnkenius hic quoque scripsit *M. Brutus rep.*, quod non magis, quam paullo ante, est necessarium.

civibus] Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 149. coniecit *civicum.*

convocato senatu, cum iam Dolabella, quem substi- 3
tuturus sibi Caesar designaverat consulem, fascis atque insignia corripuisset consulis, velut pacis auctor liberos suos obsides in Capitolium misit, fidemque descendendi tuto interfectoribus Caesaris dedit. Et 4
illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone, oblivionis praeteritarum rerum decreto patrum comprobatum est.

LIX. Caesaris deinde testamentum apertum est, 1
quo C. Octavium, nepotem sororis suae Iuliae, adoptabat. De cuius origine, etiamsi praenitet, pauca

§. 3. *Dolabella*] Ita Amerb.; Ed. pr. *Dolobella*, ut supra II, 43, 3.

corripuisset consulis] Ita Amerb.; Ed. pr. *corripuisset COS.* Aldus Nepos scripsit *corripuisset consularia*, quod editores omnes sine idonea ratione arripuerunt; nam quae eos movit, vicinitas eiusdem verbi vix praegressi, nulla est; v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

§. 4. *illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum*] Bothius haec ita corrupit: *illud Atheniensium celeberrimum exemplum.* De Atheniensium ἀμνηστίᾳ v. Xenoph. H. Gr. II, 4, extr. Nep. Thrasyb. c. III, 2. C. Fr. Hermanni Antiqq. Gr. §. 169. p. 370. ed. 2. De Ciceronis relatione in senatu facta cf. eiusdem Philipp. I, 1, 1. et Dio Cass. XLIV, 23. p. 397. Reim.

LIX, 1. *etiamsi praenitet*] Ed. pr. et Amerb. *etiamsi praevenit, et.* De ingeniosa ac certissima Heinsii huius loci emendatione, quam in textu expressimus, non dubitassent editores, si quomodo orta esset scriptura cod. Murb. perspexissent. Quippe *et* syllabâ avulsâ, quod saepius factum esse ostendimus in Prolegg. c. III. p. C. sqq., *praenit*, id quod fieri paene necesse fuit, habitum est pro compendio verbi *praevenit*, v. Prolegg. p. C. *Praenitere* Velleio est *insignem esse;* cf. II, 35, 1. *Ille dies virtutem Catonis praenitentem altissime illuminavit.* II, 39, 2. *Gentium titulis forum eius praenitet.* Cui sententiae egregie conveniunt, quae statim de splendore familiae Octaviani subiiciuntur, ita, ut quae excusatio scribentis videatur, ex-

2 dicenda sunt. Fuit C. Octavius ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia, gravis, sanctus, innocens, dives. Hic praetor inter nobilissimos viros creatus primo loco, cum ei dignatio Iulia genitam Atiam conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus Macedoniam, appellatusque in ea imperator, decedens ad petitionem consulatus obiit, praetextato

quisitam adulationem habeat. — Rhenanus coniecit *etiamsi praeventis, pauca;* — Aldus Nepos *etiam si praeventis tamen;* — Acidalius *etiamsi properanti, heic;* — vel etiam *etiamsi properanti, sed;* — Ursinus *etiamsi perveteri, et;* — Burmannus *etiamsi per se nitet;* — Ed. Bipont. *etiamsi parum constet;* — Krausius, locum mutilatum putans, lacunae signa sic posuit, *etiamsi praevenit, et* * * * *pauca;* — Orellius *etiamsi praevertenti pauca;* — Bothius *etiam supervacua et pauca;* — Vossius scripturam Ed. pr. tuetur. *praevenit* de Augusti commentario intelligens, quem teste Suetonio Octav. c. II. de vita sua scripsit; — idem statuit Cludius, sic scribens *etiamsi praevenit, pauca;* et Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 445. qui mavult *etiamsi praevenit ipse, pauca.* Praeterea Oudendorpius ad Apulei. Metam. V. p. 360. proposuit *etiamsi praenitente,* vel *praeniteat;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 17. *etiamsi peraeque nitet;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 69. p. 575. *etiam, sed breviter;* — Laurentius in Locis Vell. p. 61. *etiamsi praevenit alius,* vel *etiamsi praeteriit ipse;* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 150. *etiamsi praeveniret;* — Vascosanus verba *si praevenit et* plane omisit.

§. 2. *C. Octavius*] Cludius suspicatur fuisse *C. Octavius pater,* vel *C. Octavii pater,* ne filius patri cognominis cum eo confunderetur. Sed Velleius id non veritus est. Nam qui non litteras, sed mentem verborum sequitur, facile sentiet ubi de patre, et rursus ubi de filio sermo sit.

speciosa] Amerb. *speciose.*

Atiam] Ita Amerb., ut Aldus Nepos recte scripsit, probante Ruhnkenio; — Ed. pr. *Acciam.* cf. Heins. ad Virg. Aen. V, 568.

in ea] Ed. pr. et Amerb. *in eam.* Correxit Ed. Basil. —

relicto filio. Quem C. Caesar, maior eius avunculus, 3
educatum apud Philippum vitricum, dilexit ut suum, natumque annos duodeviginti Hispaniensis militiae assecutum se postea comitem habuit, nunquam aut alio usum hospitio quam suo, aut alio vectum vehiculo, pontificatusque sacerdotio puerum honoravit. Et pa- 4
tratis bellis civilibus ad erudiendam liberalibus disci-

Ursinus maluit *ex ea*, propter inscriptionem antiquam, quae legitur apud Orellium Vol. I. p. 155. No. 592. C. OCTAVIVS PATER AVGVSTI — IMPERATOR APPELLATVS EX PROVINCIA MACEDONIA.

§. 3. *natumque*] Cludius edidit *natum.*

annos duodeviginti] Krausius auctore Oudendorpio ad Sueton. Aug. c. 8. scripsit *annos XVII.* Sed Octavius natus IX. Kal. Octobres a. u. c. 690. = a. Chr. n. 63., (v. Sueton. Octav. c. 5. coll. Drumanni Hist. Rom. Vol. IV. p. 245.) flagrante bello Hispaniensi, quod pugna ad Mundam XV. Kal. Apriles a. 708 = 45 finitum est, annum *agebat duodevicesimum.* Quare potuit Velleius, si non nimis anxie menses numeraret, eum XVIII annos natum dicere.

Hispaniensis militiae] Lipsius coniecit *Hispaniensi militia.* cf. II, 118, 2.

assecutum se] Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 150. coniecit *adsiduum sui*, contra Suetonii auctoritatem, qui in Augusto c. VIII. *Profectum mox*, inquit, *avunculum in Hispaniam adversus Cn. Pompei liberos, vix tum firmus a gravi valetudine, per infestas hostibus vias, paucissimis comitibus — subsecutus magnopere demeruit.*

§. 4. *patratis*] Ed. pr. et Amerb. *paratis.* Recte Aldus Nepos scripsit ut edidimus, ita postulante usu dicendi; cf. II, 21, 3. *Proelii commissi patratique quam fuerit eventus exitiabilis* etc. II, 30, 6. *Belli patrati gloria penes M. Crassum fuit.* II, 79, 3. *Ea patrando bello mora fuit.* II, 114, 4. *Emolumentum patrati belli.* II, 123, 1. *Reliqua belli patraturum.* v. Drakenborch. ad Liv. XXVIII, 41, 8. et annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XXI, 2. p. 133. — Ed. Basil. scripsit *peractis;* — in aliis edd. est *pacatis.*

ad erudiendam — singularis indolem iuvenis] Ed. pr. et

plinis singularis indolem iuvenis Apolloniam cum in studia miserat, mox belli Getici ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Cui ut est nuntiatum de caede avunculi, cum protinus ex vicinis legionibus centuriones suam suorumque militum operam ei polli-

Amerb. pro *erudiendam* habent *erudiendum*, quod Ruhnkenium iudicamus recte in participium futuri passivi mutasse. Nam licet nonnulla exempla habeantur gerundii cum obliquis casibus nominis coniuncti, tamen accusativus gerundii cum accusativo nominis feminini generis vix poterit certis exemplis stabiliri; in dubiis autem rebus Velleiano codici nulla est auctoritas. Nihil autem valere ad gerundium tuendum eos locos, quibus neutrum participii futuri passivi, necessitatis potestate positum, cum alio genere ac numero construitur, de quo usu v. Lambin. ad Lucret. I, 112. Drakenborch. ad Liv. XL, 49, 1. Ruddim. Institt. Gramm. II. p. 252. Reisigii Gramm. Lat. p. 766., vix est quod moneamus. *Erudire indolem*, quod Burmannus valde impugnavit, rectissime habet; nam *indoles* h. l. nihil aliud est, quam *innata ingenii vis*, sive ingenium ipsum, quod recte dici potest *erudiri*, i. e. doctrina excoli; quemadmodum igitur Velleius II, 75, 1. Claudium Neronem dixit virum *doctissimi ingenii*, et Florus I, 6, 1. *Eximiam indolem (Servii Tullii) Tanaquil liberaliter educaverat*, eodem modo dici posse *indolem erudire* tibi persuadeas. cf. Wopkens. in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 57.

singularis indolem iuvenis] Vascosanus coniecit *singularis indolis iuvenem*, Krausio, Orellio, Kreyssigio probantibus; — Cludius maluit *singularem iuvenis indolem;* — Bothius et Madvigius in Opuscc. Acadd. p. 387. *singularis iuvenem indolis*, vel, ut iam Vascosanus voluit, *singularis indolis iuvenem.* Quae omnia non solum non sunt necessaria, id quod patet ex annotatione praecedente, sed soloeca et falsissima, cum propter *ad* praepositionem, a participio futuri passivi, ex verbo *mittere* et similibus pendente, alienissimam (v. Zumptii Gramm. Lat. c. 81, 10. not. §. 653. p. 547. ed. VIII.), tum maxime propter *eum* pronomen, quod nullo pacto ferri potest, quum idem obiectum praecedat, at optime habet, si ad *indolem iuvenis* refertur. De verborum collocatione v. Prolegg. c. II. p. LXXIII sq.

in studia] Haec verba, quae sane salvo sensu abesse poterant, Burmannus pro glossemate habet, immemor moris Velle-

cerentur, neque eam spernendam Salvidienus et Agrippa dicerent, ille festinans pervenire in urbem omnem ordinem et necis et testamenti Brundusi comperit. Cui 6 adventanti Romam immanis amicorum occurrit frequentia, et cum intraret urbem, solis orbis, super caput

iani, de quo diximus in Prolegg. c. II. p. LVIII. Eadem dictio reperitur apud Ammian. Marcell. XVI, 5. *Quum legeret libellum assidue, quem Constantius, ut privignum ad studia mittens, manu sua conscripserat.*

§. 5. *Getici*] Ita Amerb.; Ed. pr. *Gethici.*

suam] Ed. pr. et Amerb. *suas.* Correxit Ed. Basil. cf. Prolegg. c. III. p. XCIV.

pollicerentur] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *pollicentur.* v. Prolegg. c. III. p. XCIX.

ordinem] Ed. pr. et Amerb. *ordinationem,* quod Ed. Basil. verissime mutavit in *ordinem,* quam vocem sensus flagitat, ac dicendi usus confirmat. cf. I, 10, 4. *Paulus cum ordinem actorum suorum commemoraret.* II, 119, 1. *Ordinem atrocissimae calamitatis — conabimur exponere.* Liv. XL, 55, 5. *Ordinem omnem facinoris legatorum aperit.* Tacit. Annall. IV, 69, 3. *Missis ad Caesarem litteris ordinem fraudis narravere.* Quintil. III, 8, 11. *In concionibus saepe est etiam illa* (sc. *narratio*), *quae ordinem rei docet, necessaria.* id. IV, 2, 73. *Ordinem rei narrare quidem nihil necesse est.* — Acidalius coniecit *ordinem ante*; — Heinsius *ordine rationem*; — Munckerus *ordinem ac rationem.* Vitium eo ortum est, quod librarius vocem plene scriptam pro compendio maioris habuit; cf. Prolegg. c. III. p. C.

§. 6. *solis orbis — conspectus est.*] Locus varie tentatus vexatusque ab editoribus est sanissimus. *Solis orbis* est *orbis* sive *circulus circum solem,* quicquid contra dicit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 205.; nam licet vulgo ista verba de solis sphaera sive corpore ipso accipiantur, tamen, cum duplex sit *orbis* vocabuli potestas, genitivi ratio non obstat, quominus etiam *circulus soli circumdatus* significari possit. cf. Liv. XXX, 2, 12. *Frusinone arcus solem tenui linea amplexus est; circulum deinde ipsum maior solis orbis extrinsecus inclusit.* Quod quum intelligi vellet auctor, amovendae ambiguitatis caussa addidit *curvatus aequa-*

eius curvatus aequaliter rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est.

1 LX. Non placebat Atiae matri Philippoque vitrico adiri nomen invidiosae fortunae Caesaris, sed

liter rotundatusque, quo res tam perspicue declaratur, ut de vera sententia nemini dubitatio esse possit. *Arcus* simpliciter dicitur pro *arcu coelesti* sive *iride;* cf. Cic. de N. D. III, 20, 51. Livii l. l. et XLI, 21, 12.; *in* autem similitudinem exprimit, quod Haasius l. l. bene explicuit, comparatis dictionibus *in morem, in speciem, in formam, in similitudinem*, de quibus v. Handium de Particc. Latt. Vol. III. p. 324. §. 39., ac praeterea collatis Taciti locis Germ. c. 46. *In Sarmatarum habitum foedantur.* Annall. VI, 42. *Civitas in barbarum corrupta.* Historr. V, 2. *Aucto in barbarum cognomento.* Totius igitur loci sensus hic est: *orbis soli circumdatus*, super caput eius curvatus aequaliter rotundatusque, *iridis colorem referens*, velut coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est. cf. Senecae N. Q. I, 2. *Memoriae proditum est, quo die divus Augustus urbem, ex Apollonia reversus, intravit, circa solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet; hunc Graeci ἅλω vocant, nos dicere coronam aptissime possumus.* Sueton. August. c. XCV. *Ingrediente eo urbem repente circulus ad speciem coelestis arcus orbem solis ambiit.* Plin. H. N. II, 28. *Cernuntur et circa solis orbem versicolores circuli, qualiter Augusto Caesare urbem intrante.* Dio Cass. XLV, 4. p. 422. *Ἐς τὴν Ῥώμην ἐσιόντος αὐτοῦ ἶρις πάντα τὸν ἥλιον πολλὴ καὶ ποικίλη περιέσχεν.*

cum intraret urbem, solis orbis] Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 205. coniecit *cum intraret, circa orbem solis orbis* etc.

super caput eius] Haec verba Krausius tanquam spuria, quia mox sequatur *capiti*, uncinis inclusit. Non satis concinnam esse periodum facile concedas; sed in Velleio talia ferenda esse ostendimus in Prolegg. c. II. p. LVIII., praesertim quum hoc loco adhuc discrimen intercedat inter *conspici super caput*, et *imponere capiti.*

curvatus aequaliter rotundatusque in colorem arcus] He-

asserebant salutaria reipublicae terrarumque orbis fata conditorem conservatoremque Romani nominis. Spre- 2
vit itaque coelestis animus humana consilia, et cum periculo potius summa, quam tuto humilia proposuit sequi, maluitque avunculo et Caesari de se quam

relius apud Krausium ad. h. l. coniecit *curvatum aequaliter rotundatumque versicolorem arcum* etc.

in colorem arcus] Orellius delevit *in*, construens *orbis solis — conspectus est imponens colorem arcus capiti* etc.; — Kreyssigius Praef. p. XXXVIII. coniecit *in coloreum arcum*, quod probavit Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1837. Vol. I. No. 60. p. 479., damnavit Hassius l. l.; — Laurentius in Locis Vell. p. 143. *rotundatus cum colore arcus;* — Bothius *in morem arcus;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 66. p. 549. *in coelestis morem arcus;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 16. *interundatusque in colorem arcus.*

LX, 1. *nomen invidiosae fortunae*] Ruhnkenius de coniectura scripsit *nomen invidiosamque fortunam*, eo offensus, quod *hereditatis* nulla fiat mentio. Sed non vidit adoptione per testamentum (de qua luculenter egit Reinius de Iure Rom. civili p. 219. sq.) id maxime spectatum fuisse, ud adoptatus *nomen* assumeret testatoris, quod factum bona sive hereditas ipsa sequebantur. Verba igitur significant *adiri Caesaris nomen, coniunctum cum fortuna eius invidiosa.* Recte autem Krausius monuit Velleium *adiri* verbo usum esse brevitatis caussa, quia cum nomine ipsa *hereditas adibatur*, quod vocabulum in hac re proprium est. — Bothius dedit *adiri invidiosam fortunam Caesaris.*

orbis] Burmannus coniecit *orbi*, quod Ruhnkenius, Krausius, Orellius, Bothius, alii, temere probaverunt. Nam sive hunc dativum a voce *salutaria* repetis, non est necessarius, (nam *salutaris* saepissime sine dativo dicitur,) sive ex verbo *asserebant* aptum dicis, quod fecit Ruhnkenius, falsissimus, quum dativus ex verbo pendens non possit substantivo et adiectivo diversae constructionis interponi. *Asserebant* absolute esse positum ostendit geminus locus ab ipso Ruhnkenio allatus, Valer. Max. IV, 4, 4. *Quos pericula reipublicae imperatores asserebant, angustiae rei familiaris bubulcos fieri cogebant.*

§. 2. *avunculo et Caesari*] Salmasius in Seebodii Bibl.

vitrico credere, dictitans nefas esse, quo nomine Caesari dignus esset visus, semet ipsum videri indignum.
3 Hunc protinus Antonius consul superbe excipit, (neque is erat contemptus, sed metus,) vixque admisso in Pompeianos hortos loquendi secum tempus dedit, mox etiam, velut insidiis eius petitus, sceleste insimulare

crit. a. 1828. p. 288. coniecit *avunculo Caesari*, non assecutus singularem copulae vim, qua Velleius acumen sectatus est, hoc sensu: maluit avunculo, *et quidem tali viro, qualis Caesar fuit,* credere.

credere] Ed. pr. et Amerb. *cedere.* Correxit Ed. Basil.

semet ipsum] Ursinus coniecit *sibimetque ipsum;* — Burmannus *semet ipsis;* — Lipsius, in margine libri, qui est in Bibl. Leid., *semet ipsum sibi,* quod, si vulgata mutanda est, maxime commendatur. Sed nulla mutatione opus esse putamus. Nam quum *videor* saepissime dicatur pro *mihi videor* (v. supra I, 14, 1. coll. Beier. ad Cic. de Off. I, 1, 1. p. 4. Henrichsen. ad eund. de Orat. II, 10, 40. Zumpt. Gramm. Lat. c. 70, 1, not. 2. §. 380. p. 343. ed. VIII.), Velleius, negligentiorem familiaris sermonis consuetudinem secutus ad oppositionem indicandam sufficere putavit *semet ipsum;* et sufficit, si sensum magis, quam singula verba premas.

§. 3. *excipit*] Cludius scripsit *excepit,* opinatus praesens cum perfectis *dedit — coepit* componi non posse. V. annotat. nostram ad Sall. Cat. c. XX, 1. p. 95. et ad Iug. c. XII, 4. p. 63.

neque is erat contemptus, sed metus] Cludius, hanc structuram Graecismum dicens Velleio minus convenientem, coniecit *neque id erat contemptu, sed metu.* cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 69, 4. not. §. 372. p. 336. Ruddim. Institt. Gramm. Tom. II. p. 21. Krueger. de Attract. Lat. Ling. §. 38 sqq.

§. 4. *Sestertium septiens miliens*] Ita Amerb. v. ad I, 9, 6.; Ed. pr. *H-S septies milies.* — Hadr. Iunius in Animadverss. IV, 10. coniecit *H-S milies,* quia Plutarchus in Anton. c. XV. ed. Reisk. T. V. p. 126. summam *quattuor millium talentorum* fuisse dicit. Sed cum Velleio consentit Cicero Philipp. II, 37, 93. *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat?* ib. V, 4, 11. et VIII, 9, 27.

coepit; in quo turpiter deprehensa eius vanitas est. Aperte deinde Antoni ac Dolabellae consulum ad ne- 4
fandam dominationem erupit furor. Sestertium septiens miliens, depositum a C. Caesare ad aedem Opis, occupatum ab Antonio; actorum eiusdem insertis falsis vitiatisque corrupti commentarii atque omnia pretio

ad aedem Opis] Lipsius delevit *aedem*. cf. Zumpt. Gramm. Lat. c. 86, 4. §. 762. p. 618. Vechner. Hellenol. p. 124. Platz. in Seebodii Horreo Philol. et Paedag. a. 1825. Fasc. I. p. 29 sqq.

vitiatisque corrupti commentarii] Ed. pr. et Amerb. *civitatibusque corruptis commentariis*. Cum Orellio secuti sumus Cludii maxime probabilem depravati loci emendationem. Ac *corrupti commentarii* scribendum esse evincit universa loci structura et conformatio; nam quum praecedat *occupatum*, sequatur *temperata*, necesse est medium membrum eandem habere constructionem verbi finiti sine verbo substantivo positi. Iam quod solum superest corruptum *civitatibusque*, non minus facilem ac certam habet emendationem. Nam quum *que* particula argumento sit aut adiectivum vel participium latere in *civitatibus*, aut substantivum excidisse, hoc quidem prorsus est improbabile, quum omnino rarissimae aut nullae sint singularum vocum lacunae in cod. Murb.; quare relinquitur, ut vocem, quae similem praecedenti sensum habeat, eruamus. Nihil autem litteris propius accedere ad codicis scripturam, ac simul aptiorem sensum praebere, quam *vitiatisqne*, cuivis, opinor, patebit reputanti Velleium *Antonii fraudem*, omissis singulis, *in universum tantummodo significare*, quemadmodum fecit Dio Cassius XLIV, 53. p. 416. Reim. Ὁ Ἀντώνιος ἐπειδὴ τάχιστα ἐγκρατὴς τῶν γραμμάτων αὐτοῦ ἐγένετο, πολλὰ μὲν ἀπήλειψε, πολλὰ δὲ ἀντενέγραψεν, ἄλλα τε καὶ νόμους. Quae hic autem generalibus hisce subiicit specialia καὶ προσέτι καὶ χρήματα καὶ ἀρχὰς τὰς μὲν ἀφείλετό τινων, τὰς δὲ ἔδωκεν ἄλλοις, ὡς καὶ ἐκ τῶν ἐκείνου διαγραμμάτων αὐτὰ ποιῶν. κἀκ τούτου συχνὰ μὲν αὐτόθεν ἥρπασε, συχνὰ δὲ καὶ παρ' ἰδιωτῶν, τῶν δὲ δήμων, καὶ τῶν βασιλέων ἠργυρολόγησε, τοῖς μὲν χώραν, τοῖς δὲ ἐλευθερίαν, ἄλλοις πολιτείαν, ἄλλοις ἀτέλειαν πωλῶν, iis omnibus Velleius abstinet narrandis. De eadem re cf. Appian. B. C. III, 5. p. 399. Schw. Τὰ ὑπομνήματα τῶν βεβουλευμένων ὁ Ἀντώνιος ἔχων — πολλὰ ἐς πολλῶν χάριν

temperata vendente rempublicam consule. Idem provinciam D. Bruto designato consuli decretam Galliam occupare statuit; Dolabella transmarinas decrevit sibi. Interque naturaliter dissimillimos ac diversa volentis crescebat odium; eoque C. Caesar iuvenis cotidianis Antoni petebatur insidiis.

προσετίθει, καὶ ἐδωρεῖτο πόλεσι, καὶ δυνάσταις, καὶ τοῖς ἑαυτοῦ φρουροῖς. Plutarch. in Anton. c. XV. p. 126. ed. Reisk. Ἔλαβε δὲ καὶ τὰ βιβλία τὰ Καίσαρος, ἐν οἷς ὑπομνήματα τῶν κεκριμένων καὶ δεδογμένων ἦν ἀναγεγραμμένα. καὶ τούτοις παρεγγράφων, οὓς ἐβούλετο, πολλοὺς μὲν ἄρχοντας ἀπεδείκνυε, πολλοὺς δὲ βουλευτὰς, κ. τ. λ. Cic. Philipp. V, 4, 11. *Decreta falsa vendebat; regna, civitates, immunitates in aes, accepta pecunia, iubebat incidi; haec se ex commentariis Caesaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat;* quo loco si quis cum Friebelio in Graec. Satyrogr. Fr. p. 150. et cum Schoepfero in Adnotatt. critt. p. 34. putet *civitatibus* defendi posse, is vehementer erraverit. — Ed. Basil. coniecit *indubitateque corruptis commentariis;* — Aldus Nepos *sublatisque corruptis commentariis;* — Ursinus *civitatibus, corruptisque commentariis;* — Lipsius *commutatisque et corruptis commentariis;* — Heinsius *civitatisque corruptis commentariis;* — Burmannus *a Taberioque corruptis commentariis;* — Grunerus *nominibus civitatibusque* etc. — Ed. Bipont. *insertis tabulis immunitatibusque corrupti commentarii;* — Ruhnkenius *vitiatisque et corruptis commentariis;* — Krausius plura excidisse ratus lacunae signum sic posuit *civitatibusque* * * * *corrupti commentarii;* — Bothius *actorum eius clam insertis falsis incivilibusque corrupti commentari;* — Laurentius in Locis Vell. p. 62. *pravitatibusque corruptis commentariis.*

temperata] Ursinus et Puteanus coniecerunt *temptata;* — Heinsius *temerata;* — Burmannus *impetrata.* Falso. *Temperare* est *instituere, gerere atque administrare;* cf. Cic. Tusc. I, 1, 2. *Rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus.* Valer. Max. IX, 5, 3. *Pompeius in foro non erubuit P. Scipionem socerum suum*

LXI. Torpebat oppressa dominatione Antoni 1
civitas; indignatio et dolor omnibus, vis ad resistendum nulli aderat, cum C. Caesar undevicesimum annum ingressus, mira ausus ac summa consecutus privato consilio maiorem senatu pro republica animum habuit, primumque a Calatia, mox a Casilino vete- 2

legibus noxium — muneris loco a iudicibus poscere, maritalis lecti blanditiis statum reipublicae temperando.

eoque] Orellius coniecit *adeoque*, praecedentia falso intelligens de *Antonio et Dolabella*, quae capienda sunt de Octaviano et Antonio vel solo, vel cum Dolabella coniuncto.

cotidianis] Amerb. *cottidianis*. cf. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I, 1. p. 335.

LXI, 1. *Torpebat*] Warburton. in Bibl. Brit. Vol. VII. p. 291. coniecit *torquebatur*.

undevicesimum annum ingressus] Ed. Basil. *XVIII annum ingressus*; — Chishullus ad Monum. Ancyr. p. 178. *XIX annum egressus*, quod paullo verius est, si extremus annus 44 a. Chr. n. et sequentis initium intelligitur; cf. Drumanni Hist. Rom. Vol. IV. p. 257 sq. Sed quum non certo constet, de quonam tempore Velleius loquatur, vulgata ferri potest, praesertim quum discrimen non admodum magnum sit, et in uno anno fere semper fluctuet ratio.

consecutus] Bothius scripsit *consecuturus*, ignorans *consequi* h. l. non esse *adipisci*, sed *sequi tanquam propositum, consequi studere, consectari*; cf. Goerenz. ad Cic. de Legg. II, 7, 18. p. 128. id. de Off. I, 32, 116. *Fit autem interdum, ut nonnulli, omissa imitatione maiorum, suum quoddam institutum consequantur.*

maiorem senatu] Marklandus ad Statii Silv. V, 2, 11. coniecit *maiorem aetate*, non reputans minime agi de aetate, sed de ceterorum incuria reipublicae, quos Caesar forti animo et consilio superavit.

§. 2. *Calatia*] Ed. pr. et Amerb. *Galatia*. Correxit Ed. Basil. cf. Cic. Epp. ad Attic. XVI, 8, init. *Veteranos, quiqui Casilini et Calatiae sunt, perduxit ad suam sententiam.* Appian. B. C. III, 40. p. 415. ed. Schweigh. *Χρήματα φέρων εἰς*

ranos excivit paternos; quorum exemplum secuti alii brevi in formam iusti coiere exercitus. Mox cum Antonius occurrisset exercitui, quem ex transmarinis provinciis Brundusium venire iusserat, legio Martia et quarta, cognita et senatus voluntate et tanti iuvenis indole, sublatis signis ad Caesarem se contulerunt. 3 Eum senatus, honoratum equestri statua, quae hodieque in Rostris posita aetatem eius scriptura indicat, (qui honor non alii per trecentos annos quam L. Sullae et Cn. Pompeio et C. Caesari contigerat,) pro praetore una cum consulibus designatis Hirtio et Pansa 4 bellum cum Antonio gerere iussit. Ab eo, annum

Καμπανίαν ἦει, πείσων τὰς πόλεις οἷ στρατεύεσθαι τὰς ὑπὸ τοῦ παιρὸς ὠχισμένας. καὶ ἔπεισε Καλατίαν πρώτην, ἐπὶ δ' ἐκείνῃ Κασιλῖνον. Sueton. Aug. c. 10. Liv. Epit. lib. CXVII.

alii brevi] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr. *alii in brevi*, Rhenani errore, cui nihil plane tribuere debebat Handius de Particc. Lat. Vol. III. p. 277. §. 46.

in formam] Burer. et Amerb. *in forma;* Ed. pr. *in formam*, ex tacita Rhenani correctione.

coiere] Burer. et Amerb. *coire;* Ed. pr. *coiere*, Rhenano tacite quod linguae ratio postulat reponente.

occurrisset exercitui] Popma coniecit *occ. exercitu*, non assecutus *occurrere* h. l. esse *celeriter obviam venire*. De re cf. Cic. Epp. ad Famm. XII, 23, 5. *Antonius ad VII. Id. Octobres Brundusium venerat, profectus obviam legionibus Macedonicis IV, quas sibi conciliare pecunia cogitabat.* Appian. de B. C. III, 40 sqq. et c. 45. Dio Cass. XLV, 12. p. 427.

tanti iuvenis indole] Ruhnkenius coniecit *tanta iuvenis indole*, sine ulla necessitate. Receperunt tamen Cludius et Bothius.

§. 3. *et C. Caesari*] Haec verba Bothius uncinis inclusit.

pro praetore] Ed. pr. et Amerb. *pro P. R.* Correxit Sigonius ad Livii Epit. lib. CXVIII. De permutatione compendio-

agente vicesimum, fortissime circa Mutinam administratum est, et D. Brutus obsidione liberatus. Antonius turpi ac nuda fuga coactus desercre Italiam. Consulum autem alter in acie, alter post paucos dies ex volnere mortem obiit.

LXII. Omnia ante, quam fugaretur Antonius, 1 honorifice a senatu in Caesarem exercitumque eius decreta sunt, maxime auctore Cicerone; sed ut recessit metus, erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus rediit animus. Bruto Cassioque provinciae, 2 quas iam ipsi sine ullo senatus consulto occupaverant, decretae. Laudati, quicunque iis se exercitus tradi-

rum P. R. i. e. *populus Romanus*, et PR. i. e. *praetor*, cf. infra II, 90, 2. et v. Drakenborch. ad Livii l. l. ad XXXI, 8, 10. et XXXI, 10, 4. Kreyssig. ad eiusd. lib. XXXIV, 53. p. 221. Rem confirmat Cic. Philipp. V, 16, 45. *Demus igitur imperium Caesari; — sit pro praetore eo iure, quo qui optimo;* et Sueton. August c. 10. *Iussus comparato exercitui pro praetore praecesse.* — Aldus Nepos scripsit *propraetorem.* V. annotat. nostram ad Sall. Catil. c. XIX, 1. p. 90.

§. 4. *Ab eo*] Ed. Basil. scripsit *Id ab eo*, probantibus Ruhnkenio, Krausio, Cludio, Orellio, aliis. Et potuit sane excidere; sed re vera excidisse, licet melius assit, non potest probari, quum universus huius loci color ostendat, Vellcium in oratione vincienda et nectenda parum elaborare, sed rebus intentum singula abrupte ac nude enunciare. cf. ad I, 1, 4.

vicesimum] Schegkius maluit *undevicesimum*, scilicet confundens formulas *natum esse* et *annum agere.*

fortissime] Amerb. *fortiter.*

administratum est, et] Amerb. *administratum esset.*

volnere] Ita Amerb.; Ed. pr. *vulnere.*

LXII, 1. *recessit*] Burmannus coniecit *decessit.*

§. 2. *quicunque iis se exercitus*] Ed. pr. *quicunque his se exercitus;* — Amerb. *quicunque se hiis se exercitus.* Inde Orellius coniecit *quicunque se iis et exercitus;* — Ed. Basil.

dissent. Omnia transmarina imperia eorum commissa
3 arbitrio. Quippe M. Brutus et C. Cassius, nunc metuentes arma Antoni, nunc ad augendam eius invidiam simulantes se metuere, testati edictis libenter se vel in perpetuo exilio victuros, dum respublica constaret concordia, nec ullam belli civilis praebituros materiam, plurimum sibi honoris esse in conscientia facti sui, profecti urbe atque Italia, intento ac pari animo, sine auctoritate publica provincias exercitusque occupaverant, et, ubicunque ipsi essent, praetexentes esse rempublicam, pecunias etiam, quae ex

quicunque his exercitus, quod probarunt Ruhnkenius et Krausius, quia *se* natum sit ex vicinis litteris; — Aldus Nep. *quicunque hisce exercitus.* Sed verissimam esse Ed. pr. scripturam, si modo *his* mutaveris in *iis* (v. ad I, 2, 2. p. 8.) neque agi de ducibus, sed de exercitibus ipsis confirmatur egregie loco Ciceronis in Philipp. X, 7, 15. *Si quattuor exercitus ii, de quibus dixi, propterea laudantur, quod pro populi Romani libertate arma ceperunt, quid est, cur hic M. Bruti exercitus non in eadem causa reponatur?* — Amerbachius, cui nimium tribuit Orellius, *se* bis ponendo peccavit ut supra II, 25, 2; II, 54, 1; II, 55, 1. Ab eodem seductus Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 342. coniecit *quicunque se iis suosque exercitus.*

§. 3. *respublica constaret*] Ed. Basil. scripsit *reipublicae constaret*, quod editores omnes arripuerunt, non assecuti *concordiâ* esse ablativum, *constare* autem significare *firmum esse atque valere*, quo sententia longe optima et gravissima efficitur; nam *rempublicam* ante omnia volebant salvam esse, neque discordiis lacerari.

intento ac pari animo] Burmannus ad Sueton. Caes. c. 65. et Lipsius in margine libri sui, qui est in Bibl. Leid., coniecerunt *intento ac parato animo;* — Bothius *intento ad paria animo*, in quod etiam incidit Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 150. Vulgatam defendunt Krausius et Orellius; quorum ille interpretatur *pariter intento animo*, sc. ad occu-

transmarinis provinciis Romam ab quaestoribus deportabantur, a volentibus acceperant. Quae omnia sena- 4
tus decretis comprensa et comprobata sunt, et D. Bruto, quod alieno beneficio viveret, decretus triumphus. Pansae atque Hirti corpora publica sepultura honorata; Caesaris adeo nulla habita mentio, ut le- 5
gati, qui ad exercitum eius missi erant, iuberentur summoto eo milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat senatus. Nam cum eam iniuriam dissimulando Caesar ferret, negavere milites sine imperatore suo ulla se auditûros mandata. Hoc 6

pandas provincias, hic ad *pari* intelligi vult *incepto suo*. Sed simplicius est *pari* referre ad Brutum et Cassium, ut sensus sit: *intento, et quidem pari inter se animo*, i. e. *uterque eodem plane animo, unanimo consilio, non discordantes*, ut adversarum partium duces.

§. 4. *comprensa*] Ita Ed. pr. et Amerb., quod non videtur sollicitandum; cf. Drakenborch. ad Liv. II, 29, 4. et ad IX, 34, 26. — Ed. Basil. dedit *comprehensa*, eumque omnes edd. secuti sunt.

et D. Bruto] Cludius pro *et* Velleium putat scripsisse *at*. Sine caussa. *Et* adiungit sententiam ironicam.

quod alieno] Acidalius coniecit *quom alieno;* — Lipsius, ironiam non assecutus, *qui alieno*. cf. II, 82, 3. *Hanc tamen Antonius fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat.*

§. 5. *habita mentio*] Bothius scripsit *habita ratio*, nihil curans Ruhnkenii annotationem hanc: Utitur Velleius verbis Livii Epit. lib. CXIX. *Senatus Caesaris militumque eius mentionem non satis gratam habuit.* cf. Iustin. XIII, 2. *Denique morientem nullam de eo mentionem habuisse.* Ascon. in Cic. in Tog. cand. p. 483. *Quod is nullam mentionem rei habet.* Sulp. Sever. Ep. II. p. 371. *Potero illius mentionem habere sine fletu?*

Caesar ferret] Ed. pr. et Amerb. *Caesari ferret*, quod Ed. Basil. correxit. — Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 339. coniicit *i* litteram, *Caesar* voci male ad-

est illud tempus, quo Cicero insito amore Pompeianarum partium Caesarem laudandum et tollendum censebat, cum aliud diceret, aliud intellegi vellet.

1 LXIII. Interim Antonius, fuga transgressus Alpis, primo per colloquia repulsus a M. Lepido, (qui pontifex maximus in C. Caesaris locum furto creatus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur,) mox saepius in conspectum veniens militum, (cum et Lepido omnes imperatores forent meliores, et multis Antonius, dum erat sobrius,) per aversa castrorum proruto vallo militibus receptus est; qui titulo imperi cedebat Lepido, cum summa virium pe-
2 nes eum foret. Sub Antoni ingressum in castra Iu-

haerentem, esse vestigium *ipse* pronominis, scribendumque *Caesar ipse ferret.* Sed neque pronomine ad oppositionem sententiarum opus est, verbo utriusque membri diverso, (v. infra ad II, 95, 3; II, 57, 1; II, 105, 1.), et corruptela fluxit ex falsa verborum constructione: v. Prolegg. c. III. p. CVI. — Cludius ita locum tentavit: *dissimulans dolorem, Caesar inique ferret.*

intellegi] Ita Amerb. ac simul *aliut;* Ed. pr. *aliud intelligi.*

LXIII, 1. *per colloquia*] Ed. Basil. scripsit *spe colloquii.* Male. *Per colloquia* est per internuncios, ultro citroque missos; cf. Appian. B. C. III, 83. p. 509. ed. Schweigh. *Διαπομπαὶ δὲ ἦσαν ἐς ἀλλήλους πυκναί κ. τ. λ.*

per aversa] Ed. pr. et Amerb. *per aversam,* quod frustra tuetur Schoepferus in Adnotatt. crit. p. 34. collatis vocabulis *dextra, sinistra, laeva,* quippe quae vi adverbiorum posita genitivum non habeant adiunctum. Non magis licet cum Aldo Nep. *aversam* aut pro substantivo singularis numeri habere, aut *per aversam castrorum partem eruto vallo* scribere. Ursinus volebat *per aversam castrorum portam;* sed unice vera est Ed. Basil. emendatio, nihil nisi *m* litteram, falsa lineola ortam, delentis. Apte Ruhnkenius contulit Liv. V, 29, 5. *Nocte proditione oppidum captum liberam per aversa urbis fugam dederat.* Plin. H. N. VI, 18. *Gens haec obtinet aversa mon-*

ventius Laterensis, vir vita ac morte consentaneus, cum acerrime suasisset Lepido, ne se cum Antonio hoste iudicato iungeret, irritus consili gladio se ipse transfixit. Plancus deinde dubia, id est sua, fide 3
diu quarum esset partium secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, et nunc adiutor D. Bruti designati consulis, collegae sui, senatuique se litteris venditans, mox eiusdem proditor, Asinius autem Pollio firmus proposito, et Iulianis partibus fidus, Pompeianis adversus, uterque exercitus tradidere Antonio.

LXIV. D. Brutus desertus primo a Planco, 1
postea etiam insidiis eiusdem petitus, paulatim relinquente eum exercitu fugiens, in hospitis cuiusdam nobilis

tis Paropamisi. De structurae genere cf. annotata nostra ad Sall. Cat. c. LIV, 2. p. 314. Boetticheri Lex. Tacit. p. 35. Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 58, 8.

proruto vallo] Ed. pr. et Amerb. *proruta vallo.* Correxit Ed. Basil. cf. Liv. IV, 29, 3. *Et dictator, proruto vallo, iam in castra proelium intulerat,* ubi Gronovius et Drakenborchius contulerunt IX, 14, 9. IX, 37, 8. XXXII, 24, 3. XLII, 63, 6.

militibus] Heinsius maluit *a militibus,* probante Orellio; sed v. ad II, 39, 1. cf. Zumptii Gramm. Lat. c. 72, 6. §. 419. p. 374. Drakenborch. ad Liv. VI, 11, 4. et quae diximus ad Sall. Iug. c. XLVI, 3. p. 260.

§. 3. *dubia, id est sua fide*] Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 150. coniecit *sua, id est dubia fide.*

firmus proposito] Acidalius maluit *firmus propositi.*

LXIV, 1. *eiusdem*] Bothius mavult *eius clam.*

nobilis] Heinsius mirifica iudicii tenuitate propter *cuiusdam* scribi vult *ignobilis.* Refutatur a Ruhnkenio, qui recte monet, *quidam* dici etiam de nobilissimis hominibus, qui aut scriptori, aut iis, quibus scribit, minus noti sunt; quod multis ostendit Perizonius Syllog. Epp. Tom. IV. p. 778. et Wopkens. in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 59. cf. Cic. Tusc. I, 28, 116. de Divin. I, 40, 89. et v. Reisigii Gramm. Lat. §. 203. p. 344 sq.

viri, nomine Camilli, domo ab iis, quos miserat Antonius, iugulatus est, iustissimasque optime de se
2 merito viro C. Caesari poenas dedit, cuius cum primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit, et fortunae, ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat, censebatque aequum quae acceperat a Caesare retinere, Caesarem, qui illa dederat, perire. Haec sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actio-

Camilli] Ed. pr. et Amerb., *Cameli.* Ed. Basil. scripsit *Capeni*, propter Livii Epit. lib. CXX. *D. Brutus iussu Antonii, in cuius potestatem venerat, a Capeno Sequano interfectus est.* Sed *Capenus* interfector diversus fuit ab eo in cuius domo est caesus. Quem quum *Κάμιλλον* vocet Appianus de B. C. III, 98. p. 529. ed. Schw., recte Cludius *Camilli* reposuit.

ab iis] Ed. pr. et Amerb. *ab his.* Correxit Cludius. cf. ad I, 2, 2.

§. 2. *quum primus*] Ita Amerb., ut de coniectura scripserat Iunta; nam in Ed. pr. est *cum primis*, ortum ex falsa constructione, et nullo modo in hac enunciationis forma ferendum. — Heinsius coniecit *cui cum in primis.*

qui illa] Ed. pr. et Amerb. *quia illa*, eo vitii genere, quod tetigimus in Prolegg. c. III. p. XCV. Correxit Ed. Basil. *Quia* probant Heinsius et Grunerus, non assecuti sententiae rationem, qua *rebus datis* opponitur earum *dator*, cui significando relativum utique opus est. — Bothius delevit *illa.*

perire. Haec] Ed. pr. *peris. Haec;* Amerb. *peristhaec.* Rhenanus in margine coniiciens *perire. Haec*, vel *perisse. Haec*, illâ coniecturâ verum tetigit, hac a recto aberravit. Praesens enim necessarium est, quia Velleius Bruti *consilium interficiendi Caesaris* respicit; ille enim, id quod patet ex verbis *cuius — interfector fuit*, non tum demum censebat aequam Caesaris caedem, quum patrata esset, sed eius patrandae particeps fuit, quia *Caesaris potentiam aegre ferens* (invidiam in auctorem relegans) *eum tollendum censebat.* Quam igitur Ruhnkenius iactat elegantiam *perisse* perfecti, pro praesente positi (de quo usu v. Zumptii Gramm. Lat. c. 80. 1. not. 3. §. 590.

nibus aeternas Antoni memoriae inussit notas; sed hic fulgentissimo et coelesti ore, at tribunus Cannutius continua rabie lacerabat Antonium. Utrique vin- 4
dicta libertatis morte stetit; sed tribuni sanguine commissa proscriptio, Ciceronis, velut satiato Antonio, paene finita. Lepidus deinde a senatu hostis iudicatus est, ut ante fuerat Antonius.

LXV. Tum inter eum Caesaremque et Anto- 1

p. 500 sq. ed. VIII. et annotat. nostram ad Sall. c. XXXI, 27. p. 194.) ea h. l. nulla est. *Dederat, perisse. Haec* fere omnes tenent editores; — Halmius in Emendd. Vell. p. 12. coniecit *perire. Sed haec*, in idemque fere incidit etiam Laurentius in Locis Vell. p. 143. tentans *perisse. Set haec.*

§. 3. *coelesti ore*] Amerb. *scelestiore.*

Cannutius] Ita Ed. pr. et Amerb., neque aliter scribitur nomen apud Dion. Cass. XLV, 6. p. 423. et XLVIII, 14. p. 536. et in cod. Medic. Cic. Epp. ad Famm. XII, 3. Quare non est, quod cum Aldo Nep. scribatur *Canutius*, quemadmodum plerumque apud ceteros scriptores legitur.

continua rabie] Amerb. *continna rabie.* Ruhnkenius coniecit *canina rabie*, seductus fragmento Sallustii p. 1004. Cort. (Inc. 184. Gerl.) *Canina*, ut ait Appius, *facundia exercebatur.* Quam mutationem sine ulla necessitate factam merito aspernatus est Krausius; nam sententiae oppositio continetur vocabulo *rabie.* — Bothius scripsit *caniculae rabie.*

§. 4. *velut satiato*] Ed. pr. et Amerb. *vel satiato.* Optime Puteanus vidit *satiato* postulare *velut*, non *vel* particulam, quae voculae etiam infra II, 67, 3. confunduntur, ut saepius, quum *velut* hoc compendio *vel* scribatur; cf. Drakenborch. ad Liv. XXVI, 37, 5. et Kreyssig. ad. eund. XXXVI, 18. p. 279. — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 169. coniecit *Ciceronis vero, satiato;* — Laurentius in Locis Vell. p. 64. coniecit *Ciceronis interitu satiato.*

paene finita] Ita Amerb.; in Ed. pr. est *poena finita*, hac totius loci interpunctione: *sed tribuni sanguine commissa, proscriptio Ciceronis velut satiato Antonio poena finita*, quam Puteanus sic immutavit: *sed trib. sang. commissa proscriptio,*

nium commercia epistularum et condicionum iacta mentio, cum Antonius et subinde Caesarem admoneret, quam inimicae ipsi Pompeianae partes forent, et in quod iam emersissent fastigium, et quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur, denuntiaretque se cum Bruto Cassioque, qui iam decem et septem legionum

Ciceronis, velut satiato Antonio, poena finita. Eam aliquanto meliorem fecit Ruhnkenius commate, quod fuit post *Antonio,* post *poena* collocato. Sed ne sic quidem loci integritati consultum est. Nam quum Cicero nihil deliquisset, quod *poena* dignum videri posset, ne Antonius quidem, acerrimus eius inimicus, dici potest *eius poena* satiatus esse, quippe qui *ultione* satiatus esset, vel *cuius ira aut furor* dici posset *satiatus esse.* Praeterea prorsus falsum est *proscriptionem* Ciceronis vel poena vel caede *finitam fuisse,* multis etiam post Ciceronem interfectum proscriptis ac caesis. Duplex istud vitium, quo locus laborat, egregie tollitur scriptura Amerbachii, *paene* pro *poena* exhibentis, quo fit, ut, quod in vulgata perperam assit, amoveatur, quod cum detrimento sensus desit, restituatur. Nam ut *poenae* notio iam non amplius turbat sententiam, *Ciceronis* genitivo pendente ex voce *sanguine,* ita praedicatum *paene finita* prorsus cum rei veritate congruit; Ciceronis enim morte paullatim deferbuit triumvirorum furor, ita ut, acerrimo et maxime timendo adversario extincto, non *finita* quidem, sed *paene finita* esset proscriptio.

LXV, 1. *iacta mentio*] Burerius coniecit *facta,* quod multas editiones occupavit; — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 150. *iniecta.* Neutro opus est, ut patet ex iis, quae de usu verbi *iacere* monuimus ad Sall. Iug. c. XI, 5. p. 58. cf. Boetticheri Lex. Tac. h. v. p. 234 sq.

mentio, cum] Cludius et Kreyssigius punctum posuerunt post *mentio,* quod falso factum. Nam quae sequuntur spectant ad illustranda praecedentia.

et subinde Caesarem admoneret, quam] Ed. Bipont. scripserunt *subinde Caesarem admoneret, et quam,* obsequentibus Krausio, Cludio et Bothio. Sed in suspensae enunciationis partitione per *et — et* vel *aut — aut* particulas instituenda, interdum ita a legitimo ordine deflectunt Latini, ut partitionem iam

potentes erant, iuncturum viris suas, si Caesar eius aspernaretur concordiam, diceretque plus Caesarem patris, quam se amici ultioni debere. Igitur inita 2 potentiae societas, et hortantibus orantibusque exercitibus inter Antonium etiam et Caesarem facta affinitas, cum esset privigna Antoni desponsa Caesari.

ab ea enunciatione, ex qua pendet altera, incipiant, quod dicendi genus quum aliquam anacoluthi speciem habeat, ex familiaris sermonis negligentia repetendum videtur.

diceretque] Herelius p. 567. coniecit *adiiceretque*, adstipulantibus Krausio, Orellio, Kreyssigio, Bothio. Sed in vulgata ipsa nihil plane est, quod eam mutari cogat; nam quod potuit fortasse fieri, ut *adiiceret* in *diceret* corrumperetur, minime argumento est, re vera esse corruptum, quamquam facile concedas Velleium non admodum eleganter verbo *dicere* usum esse, ubi magis peculiaris dictio ponenda videbatur.

ultioni] Ita Amerb. a prima manu; idem a secunda manu, et Ed. pr. *ultione*. Correxit Ed. Basil.

§. 2. *Igitur inita*] Ed. pr. et Amerb. *tur inita*. Verissime Rhenanus in *tur* syllaba cognovit reliquias *igitur* particulae, eodem modo corruptae, ut II, 3, 1. pro *circum* tantummodo exstat *cum;* II, 21, 3. *bis* pro *verbis;* II, 24, 5. *si* pro *nisi*; II, 45, 2. *videndo* pro *dividendo;* II, 26, 1. *sulis* pro *consulis;* II, 69, 2. *fecerat* pro *interfecerat*. Burerius coniecit *tum inita*, quod quum Ed. Bipont. recepissent, valde tuetur Kreyssigius in Praef. p. XXXIX. Sed ut languet oratio duabus deinceps enunciationibus a *tum* incipientibus, ita nexui sententiarum unice convenit *igitur*, quum Velleius non dicat quid *postero tempore acciderit*, sed quid Antonii *artibus effectum sit*. Quod primum in periodo locum obtinet *igitur* particula, eo nollem Kreyssigius offendisset; nam profecto in hac re non consuetudo scriptoris, res valde incerta, sed latinae linguae ratio consulenda est, quae huic collocationi minime adversatur; cf. Hand. de Particc. Latt. Vol. III. p. 188. §. 11. et p. 197. §. 32. — Bothius scripsit *Iterum inita;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 9. *Initur ita*.

facta affinitas] Heinsius coniecit *pacta affinitas*, haud dubie idem, si ita in Velleii codice exstaret, coniecturus *facta*.

Consulatumque iniit Caesar pridie, quam viginti annos impleret, x. Kal. Octobris, cum collega Q. Pedio, post urbem conditam annis septingentis novem, ante septuaginta duos, quam tu, M. Vinici, consulatum
3 inires. Vidit hic annus Ventidium, per quam urbem inter captivos Picentium in triumpho ductus erat, in

cf. Flor. I, 15, 1. *Sabini immemores factae sub Tito Tatio affinitatis.*

collega Q. Pedio] Amerb. *collegaq. Pedio.*

annis septingentis novem] Ed. pr. et Amerb. *abhinc annis ACCVIIII.* Correxit Ed. Basil. ita, ut edidimus, eiecta *abhinc* voce, quae numeris sequentibus videtur in margine ascripta fuisse a librario, qui recordaretur Velleium saepe ea in constituenda annorum ratione uti. — Orellius scripsit *abhinc annos DCCVIIII;* sed quomodo *abhinc* consociari possit cum verbis *post urbem conditam*, equidem non assequor. — Aldus Nepos coniecit *annis DCCXI,* quod secuti sunt Krausius, Cludius, Bothius, alii. Sed numerus, quem cod. Murb. offert, verus est; cf. Prolegg. c. II. p. XLII.

ante septuaginta duos] Kreyssigius Praef. p. XXXIX. scripsit *ante annos septuaginta duos,* sine necessitate; nam *annos* eo facilius cogitatione repetas ex praegresso *annis,* quum *duos* certam accusativi formam praebeat.

§. 3. *praetoria*] Ed. Basil. scripsit *praetoriae,* quod in omnes edd. irrepsit. Dativum usitatiorem esse in promptu est; sed quin ablativus ferri possit, non dubium videtur, cum *iunctus* et *coniunctus* saepius cum isto casu construantur, (cf. Zumptii Gramm. Lat. c. 74, 11. not. 2. §. 474. p. 414. ed. VIII.) quod non posset fieri, nisi horum verborum significatio cum ablativi notione posset consociari. v. Petrum ad Cic. Orat. c. 2, 5. p. 98. id. de Orat. III, 14, 55. *Eloquentiae quo maior est vis, hoc est magis probitate iungenda summaque prudentia.*

Idem hic] Bothius scripsit *Item hic.* cf. Reisigii Gramm. Lat. §. 216. p. 374.

LXVI, 1. *cum ambo*] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr., *quom ambo* Rhenani errore; nusquam enim ista particulae forma in cod. Murb. comparet.

sibi imputari, quid passi essent etc.] Ed. pr. et Amerb.

ea consularem praetextam iungentem praetoria. Idem hic postea triumphavit.

LXVI. Furente deinde Antonio simulque Le- 1
pido, quorum uterque, ut praediximus, hostes iudicati erant, cum ambo mallent sibi imputari, quid passi essent, quam quid emeruissent, repugnante Caesare,

sibi nuntiari quid passi essent. Hic locus ita corruptus est, ut quid auctor scripserit, coniectura nondum potuerit explorari. Quare contenti erimus aliis emendandi viam monstrare, sententia totius periodi indicata, quam ex omnibus tantummodo Hottingerus, referente Herelio p. 568., et Baiterus apud Orellium assecuti sunt. Ea autem haec est: Antonius et Lepidus, *hostes iudicati*, proscriptionem instauraverunt, simulantes se id facere iustae ultionis caussa, quasi ipsi insontes gravissima iniuria affecti fuerint, neque vero sceleribus suis meruerint ut hostes patriae iudicarentur; vel brevius sic: Ant. et Lepid., *hostes iudicati*, quae *poena* sceleribus *merita* esset, eam *iniuriam* dicentes, *hoc praetextu utebantur* ad proscriptionem, quasi iustae ultionis caussa, instaurandam. Quae sententia, plane similis eius, quam Caesar protulit apud Sallustium in Catil. c. LI, 15., quamvis sit certissima, tamen, si singula spectas, non potest cum verbis *sibi nuntiari*, unde relicua pendent, conciliari. Quare cum Ruhnkenio nobis persuasum quidem est in his verbis corruptelam inesse, sed quid in iis lateat non magis quam ille assequi potuimus, feliciori tempori id eruendum relinquentes. — Haec scripseram, quum Haasius per litteras mihi significavit sibi scribendum videri *sibi imputari;* quae coniectura quum non solum simplici litterarum mutatione commendetur, sed etiam sensum, quem requiri supra ostendimus, praestet optime, haud cunctanter eam recepimus. Nam *imputare sibi aliquid* dicuntur ii, qui factum aliquod tanquam rectum et iustum sibi ascribi volunt; cf. Noltenii Lex. Antib. p. 989. Duker. ad Flor. IV, 12, 62. Boetticher. Lex. Tacit. h. v. p. 246. Sententia igitur haec est: quum ambo mallent facta sua propterea probanda videri, quod rem gravem (eoque ulciscendam), quam quod poenam meritam (eoque ferendam) passi essent. — Bothius coniecit *sibi numerari* etc.; — Herelius p. 568. *sibi nunciari, quid possent, quam;* — Sauppius apud Orellium *sibi nunciari quid patrassent, quam;* —

sed frustra adversus duos, instauratum Sullani exem-
2 pli malum, proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo Cicero proscriptus est, abscisaque scelere Antoni vox publica est, cum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos et pu-
3 blicam civitatis et privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti, M. Antoni, (cogit enim excedere pro-

Laurentius in Locis Vell. p. 65. *civibus nunciari*, vel etiam *civibus revocari* etc.; — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 150. *civi nunciari* etc. — Doederlinus in Synonym. Lat. Vol. IV. p. 350. *sibi nunciari, quid passi essent quam recordari quid* etc.; — Halmius, probata prius Doederlini sententia in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 341., postea coniecit ipse in Emendd. Vell. p. 13. *sibi nunciari quid passi essent, quam quid emeruissent reputare.*

emeruissent] Amerb. *meruissent*, quemadmodum etiam Ed. Basil. scripsit. — Rhenanus coniecit *demeruissent.*

adversus duos] Haec desunt apud Amerb. — Ruhnkenius maluit *adversus duos uno.*

instauratum] Cludius legendum censet *restauratum*, vel *denuo instauratum.*

Sullani exempli malum] Bothius scripsit *Sullani exemplum mali.*

§. 2. *aut ab ullo*] Ed. pr. et Amerb. *aut bullo.* — Rhenanus dubitavit utrum corrigeret *aut ab ullo*, quod unice verum est, an *aut ab illo*, quod Ed. Basil. perperam recepit. Absurdum est enim Octaviano tribui Ciceronis caedem, ob quam Velleius *Antonium* tantopere exagitat. Praeterea patet sententiae oppositionem contineri verbis *aliquem* et *ab ullo.*

proscriptus est — publica est] Herelius p. 568. utroque loco *est* delendum censuit, idque persuasit Cludio et Bothio. v. Prolegg. p. LXX.

abscisaque] Amerb. *abscissaque;* v. ad II, 27, 3. Bothius scripsit *absconsaque.*

§. 3. *abscisi*] Amerb. *abscissi.*

tantique consulis] Haec verba Bothius ut spuria uncinis inclusit.

positi formam operis erumpens animo ac pectore indignatio,) nihil, inquam, egisti mercedem coelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam reipublicae tantique consulis invitando necem. Rapuisti 4
tu M. Ciceroni lucem sollicitam et aetatem senilem et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem; famam vero gloriamque factorum atque

invitando] Ed. pr. et Amerb. *inritando*, quod frustra tuentur Doederlinus in Synonym. Vol. I. p. 157. et Kreyssigius Praef. p. XL., neque quisquam facile tuebitur iis, quae Walchius ad Taciti Agricol. c. 20. p. 286. disputavit. Nam quum *irritare* significet *acriter commovere, incitare, exasperare*, aliquis dici quidem potest *in alicuius mortem irritari* (quemadmodum Haterius dixit apud Senecam in Suasor. VII. *Iterum irritare inimicum in mortem tuam cupies)*, sed *auctoramento*, i. e. *mercede* vel *praemio irritari* dici non potest. Quare verissima putanda est Lipsii emendatio, facillima mutatione *invitando* scribentis, quam res ipsa commendat, ac dicendi usus confirmat; cf. infra II, 67, 3. *Velut in dotem invitamentumque sceleris Antonius L. Caesarem avunculum, Lepidus Paulum fratrem proscripserant.* Cic. p. Ligar. c. 4, 12. *Ipse iubebat occidi, nullo postulante; praemiis etiam invitabat.* Virgil. Aen. V, 201. *Hic, qui forte velint rapido contendere cursu, Invitat pretiis animos et praemia ponit.* Plin. H. N. XIV, 28. *Atque etiam praemio invitatur ebrietas.* Quibus locis, Ruhnkenio debitis, adde Cicer. de Amicit. c. 26, 99. p. Sulla c. 26, 74. et Drakenborch. ad. Liv. II, 42, 6. De frequenti verborum *inritare* et *invitare* confusione v. eundem ad Liv. I, 15, 1.

§. 4. *tu M. Ciceroni*] Ed. pr. et Amerb. *tum Ciceroni.* Veram Velleii manu acute restituit Ed. Basil.; quantopere enim *tum* languet, tantopere *tu* pronomen affectui orationis convenit. v. Zumptii Gramm. Lat. §. 693. p. 571. ed. VIII.

miseriorem] Aldus Nepos scripsit *inferiorem;* inde novo errore Gruterus effinxit *infeliciorem.*

sub te triumviro] Haec verba Bothius tanquam assuta uncinis inclusit.

dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam; dumque hoc vel forte, vel providentia, vel utcunque constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur, citiusque mundo genus hominum quam M. Cicero cedet.

citiusque mundo] Ed. pr. *citiusque in mundo;* Amerb. *citius quem mundo.* Praepositionem *in* delevimus, quippe quam, *m* littera geminata ortam, constructio verbi *cedere* respuat. V. annotat. seq.

quam M. Cicero cedet] Ed. pr. et Amerb. *quam cedet.* Hic excidisse aliquid nemo tam coecus fuit quin videret; sed unius Orellii coniectura tantam verisimilitudinem habet, ut verum assecutus esse putandus sit. Nimirum excidit Ciceronis nomen cum praenomine; quae cum prima tantum littera m. c. notata essent, ut saepissime fit in codd. (cf. Freundii ed. orat. in Milon. 1, 1.), alterum praecedente, alterum sequente littera aequali absorptum est, de quo corruptelae genere haud infrequenti cf. Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 6, 2., et v. etiam infra ad II, 102, 2. — Minus recte Orellius pro *cedet* scripsit *occidet,* cui mutationi neque vocabuli forma, neque sensus favet, neque ulla eam exigit necessitas. Quippe *mundo cedere* est *e mundo evanescere;* cf. Liv. II, 33, 9. *Postumum Cominium bellum gessisse cum Volscis, memoriâ cessisset.* Lucan. V, 760. *Attonito cesserunt pectore sensus.* Quae sententia ut huic loco multo melius convenit, quam *occidendi* vel *intereundi* notio, quae ad Ciceronem relata paene inepta est, ita patet *in* praepositionem, quam vitio ortam esse paullo ante monuimus, nullo modo cum *evanescendi* notione conciliari posse. — Rhenanus coniecit *quam huius nomen cadet;* — Aldus Nepos *citiusque in mundo gen. hom. concidet;* — Lipsius *quam ea cadet;* — Gruterus *quam Cicero cadet;* — Popma *quam ille cadet;* — Boxhornius *quam ea cadent;* — Heinsius *quam ea cedet* vel *ea cedent;* — Ortuinus apud Heinsium *quam*

LXVII. Huius totius temporis fortunam ne de- 1
flere quidem quisquam satis digne potuit, adeo nemo
exprimere verbis potest. Id tamen notandum est, 2
fuisse in proscriptos uxorum fidem summam, liberto-
rum mediam, servorum aliquam, filiorum nullam; adeo
difficilis est hominibus utcunque conceptae spei mora.
Ne quid ulli sanctum relinqueretur, velut in dotem in- 3
vitamentumque sceleris Antonius L. Caesarem avun-
culum, Lepidus Paulum fratrem proscripserant; nec

illa cadent; — Walterus *quam eius nomen cadet;* — Krausius *quam *** cadet*; — Bothius *citiusque e mundo gen. hom. quam M. Cicero excedet;* — Censor in Bibl. germ. univers. Tom. XLVIII. p. 555. *citiusque mundo gen. hom. quam Cicero excidet;* — Laurentius in Locis Vell. p. 68. *citiusque e mundo gen. hom. quam Ciceronis nomen cedet.* —

LXVII, 1. *Huius totius temporis — verbis potest.*] Totum hunc locum Cludius foeda coniectura sic corrumpendum putavit: *Huius luctuosi* (vel *funesti*, vel *calamitosi) temporis fortunam, quam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit, hanc iustis nemo expr. verb. potest.*

ne deflere] Ed. pr. Burer. et Amerb. *nec deflere;* in nonnullis tamen exemplis Ed. pr. ex tacita eademque verissima Rhenani correctione est *ne deflere,* de qua re v. Prolegg. c. IV. p. CXXIX. De particularum *ne — quidem — adeo* usu cf. Handium de Particc. Lat. Vol. I. p. 154. §. 6. laudantem Tacit. Annall. VI, 15. Hist. III, 64.

satis digne potuit] Gruterus delendum censet *satis,* Lipsius *potuit.*

adeo nemo exprimere verbis potest] Gruterus ex libidine haec ita immutavit *nedum exprimere verbis,* eiiciens voces *nemo* et *potest.*

§. 2. *in proscriptos*] Amerb. *in* omisit.

§. 3. *Ne quid ulli*] Lipsius coniecit *ne quid ullibi;* — Cludius *ne quid usquam*, quemadmodum Ruhnkenius hunc locum laudat ad II, 26, 2., hic tamen in vulgata acquiescens. Recte; nam sensus est: ne quid sanctum apud ullum hominem reliquere-

Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater eius
4 Plancus Plotius proscriberetur. Eoque inter iocos militaris, qui currum Lepidi Plancique secuti erant, inter exsecrationem civium usurpabant hunc versum:

De germanis, non de Gallis duo triumphant consules.

1 LXVIII. Suo praeteritum loco referatur; neque

tur, i. e. ut omnes omnia auderent, postquam ipsi triumviri pietatem prorsus exuerant.

velut in dotem] Ed. pr. et Amerb. *vel in dotem.* Correxit Ed. Basil. v. ad II, 64, 4. — Bothius scripsit *velut in cotem.*

proscripserant] Cludius edidit *proscripserunt.*

§. 4. *inter iocos militaris*] Haec verba Bothius ut glossema uncinis inclusit.

inter exsecrationem] Heinsius, offensus bis posita *inter* particula, coniecit *et inter exsecr.*, quod a Ruhnkenio, Krausio, aliis probatum Orellius merito non recepit. Nam quum *inter* primum loci, deinde temporis potestate positum sit, (de illa v. Handium de Particc. Lat. Vol. III. p. 388., de hoc ib. p. 402. §. 29.) copulâ illatâ sensus prorsus pervertitur, qui in vulgata hic est: milites, qui currum Lepidi Plancique secuti erant, *dum cives* istum triumphum atque triumphantes ipsos *exsecrant, inter alios iocos* militares etiam hunc versum *usurpabant.* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 150. coniecit *inter exsecrationum licentiam.*

LXVIII, 1. *neque enim persona umbram actae rei capit*] i. e. personae fama et celebritas non patitur actam rem quasi umbrâ tegi, i. e. obscurari, vel silentio praetermitti. Ita haec verba recte cepit Riguezius, et Gesnerus in Thes. L. L. v. *umbra*, quem secutus est Ruhnkenius. Aliter Cludius, cuius explicationem „neque enim acta res personam, umbrae instar, sequitur," equidem non intelligo. Lipsius coniecit *n. e. p. umbram ac tenebras capit;* — Heinsius *n. e. p. umbram tantae rei capit;* — Munckerus *n. e. p. umbram actae rei facit;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 169. *cupit*, pro *capit;* — Christius in Noctt. Acadd. Spec. I. p. 33. *n. e. personae unius rationem actae rei capit ordo*, quae acuta sane coniectura redarguitur iis, quae in Prolegg. c. II. p. XXVII sqq. et p. XXXVII. disputavimus.

enim persona umbram actae rei capit. Dum in acie Pharsalica acri eaque de summa rerum Caesar dimicat, M. Coelius, vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam, cum ne modica quidem solvere posset, (quippe peior illi res familiaris quam mens erat,) in 2

acie Pharsalica acri eaque] Ed. pr. et Amerb. *acie Pharsalica Africaque*, quod prorsus ineptum est, neque ullo pacto potest tolerari, non solum diversissimae naturae atque notionis vocabulis coniunctis, sed etiam rerum gestarum temporibus insano modo confusis. Coelius Rufus enim res turbare incepit, quum Caesar adversarii artibus adhuc in Epiro teneretur; oppressus est autem eo ipso tempore, quo arma in Thessaliam translata sunt, *brevi ante pugnam ad Pharsalum commissam;* cf. Caes. B. C. III, 20 sqq. Livii Epit. lib. CXI. et Dio Cass. XLII, 22 sqq. Quare verba *in Africaque* neque de Curione, Caesaris partes secuto, et in Africa caeso, antequam in Epirum Caesar cum exercitu traiiceret, neque de bello Alexandrino, haud multo post pugnam Pharsalicam conflato, neque de bello Africano, duobus demum annis praeterlapsis cum Iuba rege et Scipione gesto, possunt intelligi. Sed ut foedissima est depravatio *Africaque*, ita nihil verius et praestantius ingeniosa Ieepii coniectura, qui in Emendd. Vell. p. 9. vidit a Velleio scriptum esse *acri eaque*, verbis per se planissimis, sententiâ eâdem, quam auctor iam supra II, 52, 3. de illa pugna protulit. De corruptelae genere v. Prolegg. c. III. p. CI. — Lipsius coniecit *acie Phars. circaque*, quod probavit Ruhnkenius: — Krausius atque Cludius *Africaque* tanquam a sciolo insertum eiecerunt; — Orellius, pariter damnans, ortum putat ex mala geminatione PHARSALICA ALICADE; — Laurentius in Locis Vell. p. 69. vulgatam defendit, de *Curionis* expeditione Africana interpretans.

cum ne modica quidem solvere posset] Ed. pr. et Amerb. *cum immodica quidem servari posset*, cui corruptelae simplicissimam medelam adhibuit Laurentius in Locis Vell. p. 70. coniiciendo ut edidimus. Nam *ne* affuisse non solum ostendit *quidem* particula (v. ad II, 34, 2.), sed arguit etiam importuna *im* syllabae ad vocem *modica* accessio, qua sensus pessime in contrarium detorquetur. Mutationem *servari* verbi in *solvere*,

praetura novarum tabularum auctor extitit, nequiitque senatus et consulis auctoritate deterreri, accito etiam Milone Annio, qui non impetrato reditu Iulianis par-

quam litterarum similitudo non admodum adiuvare videtur, (quamquam, si compendiorum scribendi ceterarumque aberrationum rationem habueris, non nimis insolens vel audax est,) eo impensius flagitat sensus. Nam sola atque unica novarum tabularum proponendarum caussa fuit Coelio, quod ipse *solvendo impar erat;* quum autem res eius familiaris peior etiam esset, quam mens, quae fuit pessima, in oculos incurrit, verbis *cum ne modica quidem solvere posset* optime declarari in quam desperata rerum suarum condicione ille fuerit; cf. Drumanni Hist. Rom. Vol. II. p. 420. — Ed. Basil. coniecit *cum ne a diis quidem servari posset;* — Aldus Nepos *cum ne modica quidem re servari posset;* — Acidalius *cum in re modica nequitiem saturare non posset;* — Vossius *cum ne modico quidem servari posset;* — Heinsius *cum in re modica vix idem servari posset,* vel *cum ne inter immodica quidem servari posset;* — Ruhnkenius *cum in otio ac quiete servari non posset;* — Orellius *cum ne in otio quidem servari posset;* — Bothius *cum ne immodico quidem servari posset;* — Faehsius in Sylloge Lectt. *cum in modico acquiescere posset;* — Rosenheynius in Lectt. Vellei. Specim. p. 14. *cum immota quiete servari non posset;* — Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 340. *cum immota quidem republica servari vix posset;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 150. *cum via modica quidem servari non posset;* — Luxdorphius in Iahnii Novv. Annall. Philol. et Paed. Suppl. I, 2. p 171. *cum ne in modica* (accus. plur.) *quidem servari posset;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 46. p. 392. *cum ne modica quidem servare posset.*

§. 2. *senatus et consulis auctoritate*] Ed. pr. et Amerb. *senatus et auctoritate COSS.* Ex duobus vitiis, quibus haec verba affecta sunt, alterum sustulit Lipsius, pro *COSS.*, sive *consulum* scribendo *consulis.* Consules enim illo anno fuerunt *Iul. Caesar et P. Servilius Vatia,* quorum ille Roma aberat, bellum contra Pompeium in Epiro administrans; cf. Caes. B. C.

tibus infestus erat, in urbe seditionem, at in agris occulte bellicum tumultum movens, primo summotus a republica, mox consularibus armis auctore senatu

III, 20. Dio Cass. XLII, 22 sq. p. 319. — Ad removendum alterum facillimam viam iniit Cludius verbis *auctoritate consulis* transpositis, quo modo saepius in Velleii cod. peccatum esse ostendimus in Prolegg. c. III. p. CXIV sq. Ruhnkenius quidem vulgatam defendit, sed vereor ut recte, collato loco Sueton. Ner. c. 15. — Ed. Basil. scripsit *senatus auctoritate et COSS.*; — Orellius maluit *senatus consulto et auctoritate consulis*; — Laurentius in Locis Vell. p. 72. *senatus consulti auctoritate consilio.*

deterreri, accito] Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 342. coniecit *deterreri. Is accito*; — Bothius *deterreri. Accito* etc. V. paullo infra.

impetrato] Amerb. *imperator.* — Ed. Basil. scripsit *imperato.*

at in agris occulte] Ed. pr. et Amerb. *haud magis occulte.* — In voce *magis* latere *in agris* assecutus est Lipsius, *at* corruptum esse in *haud* vidit Ruhnkenius, quam emendationem res ipsa commendat. Nam quum non solum a *seditione* discernatur *bellicus tumultus*, qui in urbe non potuit fieri, sed etiam sensu pariter atque nexu careant verba *haud magis occulte*, omnia plana fiunt, si *seditioni in urbe* opponitur *tumultus in agris*, huicque oppositioni indicandae *at* particula interponitur. *At* cum *haud* et *aut* confundi monuit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. I, 13. p. 48. Drakenborch. ad Liv. III, 56, 12. Coniecit autem Rhenanus *aut magis occulte*; — Burerius (addens: quantum ex vetusto codice coniicere possum) *magis autem occulte*; — Cludius *in agris autem occulte*; — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 169. *haud magis occulte bellico tumultu*; — Laurentius in Locis Vell. p. 74. *infestus erat. At in urbe seditionem, hac autem magis occulte* etc., non reputans, Velleium, artis periodorum struendarum parum peritum, dum nimis multa cumulare studet, orationem fecisse impeditiorem, quam corrigere non est nostrum. v. Prolegg. c. II. p. LXI sqq.

3 circa Thurios oppressus est. Incepto pari similis fortuna Milonis fuit, qui Compsam in Hirpinis oppugnans ictusque lapide tum P. Clodio, tum patriae, quam armis petebat, poenas dedit, vir inquies et ul-
4 tra fortem temerarius. Quatenus autem aliquid ex omissis peto, notetur immodica et intempestiva liber-

Thurios] Ed. pr. et Amerb. *Turios.* Correxit Ruhnkenius.

§. 3. *Incepto pari*] Acidalius coniecit *interfecto pari;* — Vossius *in coepto pari,* non assecutus vim ablativorum absolutt., de qua structura egimus ad Sall. Cat. c. XI, 4. p. 57. Krausius suspicatur a Velleii manu sic fuisse *Incepto Milonis pari similis fortuna fuit.*

Compsam in Hirpinis] Quod legitur apud Caesarem B. C. III, 22. *Milo Cosam in agro Thurino oppugnare coepit,* aperte falsum est, scribendumque *Compsam in agro Hirpino;* nam *Cosa* et *Compsa* saepius confunduntur, v. supra ad II, 16, 2.; ex *Hirpino* autem errore librarii factum est *Thurino,* quoniam statim post legitur *et Coelius — pervenit Thurios.* Male Cluverus in Ital. Antiq. II. p. 1205. coniecit *Cassanum in agro Thurino,* quod inconsulto probavit Haakhius in Pauli Encyclop. Reali Tom. I. p. 492.

tum P. Clodio] Orellius scripsit *cum P. Clodio,* quod bonum quidem, sed non necessarium iudicamus.

ultra fortem] Ita Burer.; — Ed. pr. et Amerb. *ultra sortem,* ex facili *s* et *f* litterarum confusione. Codicis Murb. lectio sine caussa displicuit Ruhnkenio; sensus est enim hic: eo audaciae progressus, ut fortitudo eius, non amplius isto nomine digna, *temeritas* dicenda esset; cf. infra II, 118, 2. *Arminius ultra barbarum promptus ingenio.* II, 88. 4. *Maecenas mollitiis paene ultra feminam fluens.* Tacit. Hist. II, 63. *Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox.* — Iacobsius Praef. p. 32. coniecit *ultra fidem.*

§. 4. *Quatenus*] Acidalius maluit *quatinus.*

peto] Heinsius accommodatius putavit *repeto,* quod merito improbat Krausius, coll. Tacit. Historr. III, 51. extr.

tate usos adversus C. Caesarem Marullum Epidium Flavumque Caesetium tribunos plebis, dum arguunt in eo regni voluntatem, paene vim dominationis expertos. In hoc tantum saepe lacessiti principis ira excessit, ut censoria potius contentus nota quam animadversione dictatoria summoveret eos a republica,

Caesetium] Ita Burer.; — Ed. pr. et Amerb. *Caese etiam.* v. Sueton. Caes. 79. Valer. Max. V, 7, 2. Appian. B. C. II, 108. p. 323. Schw. et Dio Cass. XLIV, 9. p. 387. Reim.

§. 5. *In hoc tantum*] Ed. pr. et Amerb. *in hoc tamen,* quod falsum esse nemo editorum vidit, quamquam nonnulli hoc certe perspexerunt, *tamen* cum verbo *excessit* simul stare non posse. Nam quum Velleius memorabile exemplum referat ex altera parte immodicae libertatis tribunorum plebis, ex altera lenitatis Caesaris, verba autem *in hoc tamen principis ira excessit* significent Caesaris iram supra modum et praeter exspectationem erupisse, luce clarius est, id Velleii menti prorsus contrarium esse. Quae inepta repugnantia facillime tollitur, si nobiscum scripseris *tantum* pro *tamen,* quas voces ob similitudinem compendiorum saepius confundi iam supra vidimus ad II, 28, 4. Minuendi enim sensu usurpata verba *in hoc tantum — excessit* significant: *eatenus tantummodo prorupit eius ira,* i. e. *tam modice exarsit,* quibus commodissime subiiciuntur, quae de lenitate Caesaris auctor praedicaturus erat. — Heinsius coniecit *in hoc tamen spem lacessiti principis ira excessit,* ad quos mirabiles errores redarguendos spectat haud dubie Ruhnkenii annotatio haec: *in hoc* non sexto, sed quarto casu pro *huc* sumendum; Liv. VIII, 33, 19. *Quo ultra iram violentiamque eius excessuram fuisse?* IX, 26, 3. *Eoque ira processit, ut Romae quoque — delendam urbem censerent.*

excessit] Cludius scripsit *recessit,* in quod etiam Laurentius in Locis Vell. p. 76. incidit; — Orellius *discessit,* ad formulam *in alicuius sententiam discedere.*

contentus] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *contemptus.*

testareturque esse sibi miserrimum, quod aut natura sua ei excedendum foret, aut minuenda dignitas. Sed ad ordinem revertendum est.

1 LXIX. Iam et Dolabella in Asia C. Trebonium consularem, cui succedebat, fraude deceptum Smyrnae occiderat, virum adversus merita Caesaris ingratissimum participemque caedis eius, a quo ipse in con-

sua ei excedendum] Heinsius maluit *sua ei cedendum;* — Bothius *sua excedendum*, scilicet non concoquens demonstrativum cum reflexivo coniunctum; cf. Reisigii Gramm. Lat. §. 223. p. 388 sq. ibique Haasium.

LIX, 1. *succedebat*] Ruhnkenius, quum Norisius ad Cenotaph. Pison. II. §. 4. p. 278. vulgata offensus esset, coniecit *succensebat*, quod summo applausu receperunt Krausius, Cludius, Kreyssigius, alii. Sed quamquam Trebonius *Asiam* habebat provinciam (v. Appian. B. C. III, 2. p. 394.), Dolabella autem *Syriam*, Cassio a Iul. Caesare destinatam, malis artibus obtinuisset, (v. Appian. B. C. IV, 57. p. 605. Dio Cass. XLV, 15. p. 429. Vell. II, 60, 5.) tamen lectio *cui succedebat* non mutanda est, modo ne cogites de iusta et legitima successione, illis temporibus turbulentis vix in ulla provincia locum habente. *Successisse* Trebonio dicitur Dolabella, quia vi eius provinciam ingressus est, ac neglecta illius potestate imperio depellere eum studuit, et ut rectorem Asiae se gessit; cf. statim post §. 2. *Cassius Dolabellam, qui praeoccupata Asia in Syriam pervenerat, Laodiciae interfecerat.* Cic. Philipp. XI, 2, 4. *In Galliam invasit Antonius, in Asiam Dolabella, in alienam uterque provinciam.* Cassius apud Cic. in Epp. ad Famm. XII, 12, 3. *Dolabella, nefarie Trebonio occiso, Asiam occupavit.* Appian. B. C. III, 24. p. 427. *Καὶ τῶνδε φανερῶν γενομένων ἠπείγετο καὶ Δολαβέλλας ἐς τὴν Συρίαν, καὶ πρὸ Συρίας ἐς τὴν Ἀσίαν, ὡς χρηματιούμενος ἀπ' αὐτῆς.*

Smyrnae] Amerb. *Zmyrnae*, quod per se non est damnandum; v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. P. I. p. 381. Lipsium et Ernestium ad Taciti Annall. IV, 56, 1. Sed quum Burerius silentio suo vulgarem scribendi rationem confirmet, eademque etiam I, 4, 4. obtineat, nihil mutandum est.

§. 2. *Statio*] Ed. pr. *Staio;* Amerb. *Caio.* Verum nomen

sulare provectus fastigium fuerat; et C. Cassius, ac- 2
ceptis a Statio Murco et Crispo Marcio, praetoriis viris imperatoribusque, praevalidis in Syria legionibus, inclusum Dolabellam, qui praeoccupata Asia in Syriam pervenerat, Laodiciae, expugnata ea urbe, interfecerat, (ita tamen, ut ad ictum servi sui Dolabella non segniter cervicem daret,) et decem legiones

restituit Ursinus. cf. Cic. Philipp. XI, 12, 30. Dio Cass. XLVII, 27, p. 510. ubi v. Fabric. et Schweigh. ad Appian. B. C. III, 77. Vol. III. p. 823. Vossius ad Caes. B. C. III, 15, 6.

imperatoribusque, praevalidis etc.] Ed. pr. et Amerb. *imperatoribus qui praevalidis.* Correxit Bonhommaeus; v. Prolegg. c. III. p. CII. Ed. Basil. *qui* delevit; — Schegkius coniecit *imperatoribusque validis;* — Heinsius *imperatoribusque P. Ro. validis.*

Laodiciae, expugnata ea urbe, interfecerat] Ed. pr. *Laodiceam expugnata ea urbe fecerat;* Burer. et Amerb. *Laodicia expugnat ea urbe fecerat.* — Genitivum urbis, quem postulat structura verborum, restituendum esse primus vidit Vossius, cuius emendatio eo certior est, quo facilius patet *e* absorptum fuisse eadem proximi vocabuli littera prima. De forma *Laodicia* cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. P. I. p. 69 sq. Drakenborch. ad Liv. XXXI, 43, 5. Bremi ad Nep. Alcib. c. IV, 7. Osanni Syllog. Inscriptt. p. 450. not. 3. — *Expugnata ea urbe* Rhenanus tacita, sed verissima correctione in Ed. pr. scripsit. — *Interfecerat* idem coniecit *εὐστόχος;* v. supra ad II, 65, 2. et Prolegg. c. III. p. CIX.; minus bene simul etiam tentavit *confecerat,* quod Krausius et Cludius receperunt; — Vossius coniecit *Laodiceae, expugnata ea urbe, ceperat;* — Ed. Basil. *Laodicea expugnata interfecerat;* — Popma *Laodicea expugnat. Ea urbe eiecerat;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 170. *Laodicea* (sc. inclusum) *expugnaverat, ita tamen;* — Baiterus apud Orellium *Laodiciae, expugnata urbe, ceperat.*

ad ictum] Ed. pr. et Amerb. *adiectum.* Correxit Rhenanus.

servi sui] Laurentius in Locis Vell. p. 78. coniecit *servo suo.*

3 in eo tractu sui iuris fecerat; et M. Brutus C. Antonio, fratri M. Antoni, in Macedonia, Vatinioque circa Dyrrhachium volentis legiones extorserat, (sed Antonium bello lacessierat, Vatinium dignatione obruerat, cum et Brutus cuilibet ducum praeferendus videretur, et Vatinius nullo nomine non esset postferen-
4 dus, in quo deformitas corporis cum turpitudine cer-

§. 3. *Vatinioque*] Amerb. *Atinioque.*

volentis] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *volventis.* — Ursinus coniecit *volenti;* — Vossius *valentes.* — *Volentis* est *haud invitas;* cf. II, 62, 3. *Pecunias a volentibus acceperant.*

Vatinium] Ed. pr. et Amerb. *Vatinius.* Scilicet ita interpungitur: *sed Antonium bello lacessierat Vatinius, dignatione* etc., ut appareat falsam constructionem corruptelam genuisse; v. Prolegg. c. III. p. CVI. Correxit Ed. Basil.

nullo nomine non] Ed. pr. *nulli nomini non;* Amerb. *nulli noĩ non.* Quemadmodum ex coniectura nostra scripsimus, non dubitamus quin eo vera Velleii manus sit restituta. *Nullo nomine non postf.* est *quovis nomine postferendus;* quae verba cum pariter atque *praeferendus* pertineant ad dativum *cuilibet ducum,* gravissima exsistit oppositio, menti auctoris convenientissima et levissima litterarum mutatione effecta; nam *i* et *o* saepius confundi in cod. Murb. docuimus in Prolegg. c. III. p. LXXXVIII. Puteanus coniecit *nulli minimo non;* — Aldus Nepos *nulli homini non,* vel *nulli non;* — Acidalius *nulli omnium non,* quamquam etiam vulgatam tuetur; — Heinsius *nulli omnino non,* in quod etiam Laurentius in Locis Vell. p. 80. incidit, vel *nulli ignominiâ,* vel *nulli in omnia;* — Bardilius in Friedemanni et Seebodii Misc. Critt. I, 2. p. 384. *nemini non.*

§. 4. *deformitas corporis*] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. deest *corporis,* Rhenani vel typothetae errore.

inclusus videretur] Amerb. *inclusus teneretur,* quod Orellius, Bothius et Kreyssigius Praef. p. XLI. non debebant probare. Nam Rhenani scripturam tuetur Burerii silentium; praeterea *teneri* verbum ne per se quidem in hoc nexu placere potest.

tabat ingeni, adeo ut animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur,) eratque septem legionibus validus; et lege Pedia, quam consul Pedius, collega 5
Caesaris, tulerat, omnibus, qui Caesarem patrem interfecerant, damnatis aqua ignique interdictum erat, quo tempore Capito, patruus meus, vir ordinis senatorii, Agrippae subscripsit in C. Cassium. Dumque 6

eratque septem legionibus validus] Haec verba Bothius loco suo mota collocavit post verbum *postferendus*, ratus agi de legionibus *Vatinii*, quamvis iam Krausius recte monuisset de *Bruto* haec intelligenda esse, cui septem legiones fuisse auctor tradit, ut paullo ante *Cassium* decem sibi parasse narraverat.

§. 5. *et lege*] Lipsius coniecit *at lege*; — Kreyssigius Praef. p. XLI. *sed lege*. Neutrum recte, quum Velleius summa rerum capita inde ab initio capitis per *et* particulam nectat; sic enim procedit oratio: *et Dolabella — occiderat; — et Cassius — interfecerat; — et Brutus — extorserat; — et lege Pedia — interdictum erat*, quae membrorum ratio iis, quae adiecta vel interposita sunt, paullum quidem obscuratur, sed non tollitur. cf. de simili orationis conformatione ad II, 92, 4. et II, 128, 1—4. et in universum Prolegg. c. II. p. LXI sqq.

interfecerant damnatis aqua ignique etc.] Ed. pr. et Amerb. *interfecerant aqua ignique damnatis*. His aperte vitiosis ita mederi voluit Delbenius apud Aldum Nepotem, ut *damnatis* deleret, Ruhnkenio aliisque assentientibus. Leniorem eamque veriorem medicinam adhibuit Grunerus, vocem istam transponendo post *interfecerant*, cuius generis corruptelae plures in cod. Murb. reperiuntur; cf. Prolegg. c. III. p. CXV. *Damnatis*, quod sane non desiderares, si abesset, Krausius bene vidit consulto a Velleio esse additum, quum *damnatus* non plane idem sit, atque *is, cui aqua et igni interdicitur*. Utrumque pari modo distinguit Dio Cass. XLVI, 48. p. 485. *Ἐρήμην οὖν οὐχ ὅπως οἵ τε αὐτόχειρες τοῦ Καίσαρος γενόμενοι, ἀλλὰ καὶ ἄλλοι πολλοὶ — ἤλωσαν. — Καὶ αὐτοὶ μὲν πυρὸς καὶ ὕδατος εἴρχθησαν, καὶ αἱ οὐσίαι αὐτῶν ἐδημεύθησαν, κ. τ. λ.* Ex quo loco patet Velleii verba hunc sensum habere: omnium Caesaris percussorum *bona publicata erant, ipsisque aqua et igni interdictum.*

ea in Italia geruntur, acri atque prosperrimo bello Cassius Rhodum, rem immanis operis, ceperat, Brutus Lycios devicerat, et inde in Macedoniam exercitus traiecerant, cum per omnia repugnans naturae suae Cassius etiam Bruti clementiam vinceret. Neque reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturius destituerit, quam Brutum et Cassium.

1 LXX. Tum Caesar et Antonius traiecerunt exercitus in Macedoniam et apud urbem Philippos cum M. Bruto Cassioque acie concurrerunt. Cornu, cui Brutus praeerat, impulsis hostibus castra Caesaris cepit. Nam ipse Caesar, etiamsi infirmissimus valetu-

§. 6. *rem immanis operis*] Bothius scripsit *res im. op.* *fortuna*] Laurentius in Locis Vell. p. 143. scribi vult *Fortuna*, ut dea intelligatur, itaque etiam Krausius aliique habent. Sed non opus est; cf. I, 9, 6. *Quam sit assidua eminentis fortunae comes invidia altissimisque adhaereat, etiam hoc colligi potest.* Nisi forte ibi quoque et *fortunam* et *invidiam* pro deabus habent.

LXX, 1. *manifestae*] Ed. pr. et Amerb. *manifeste*, quod, quum pertineat ad *territo*, nimis friget, quamquam Bothius acriter defendit. Vascosanus scripsit *manifestae*, Heinsius *manifesta*. Utrumque bonum est, et sensu fere pari; sed *manifestae* propius ad codicis scripturam accedit, vel potius ipsa est scriptura codicis, quum *ae* plerumque simplici *e* littera scriberetur; v. ad II, 28, 3. Praeterea ipsa verborum collocatio documento est adiectivum non cum proximo nomine coniunctum fuisse; nam si ad *denuntiatione* pertineret, Velleius haud dubie scripsisset *manifesta quietis denunciatione.* — *Manifesta quies* est *somnium* vel *visum clarum*, de cuius mente et consilio dubitari non potest; cf. Tacit. Ann. I, 65, 2. *Ducem terruit dira quies.* ib. II, 14, 1. *Nox eadem laetam Germanico quietem tulit.*

§. 2. *mulcatum*] Ed. pr. *multatum;* Amerb. *mulctatum.* Correxit Puteanus. *Mulcari*, quod proprie de singulis dicitur,

dine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, ne in castris remaneret, manifestae denuntiatione quietis territo. Id autem, in quo Cassius 2
fuerat, fugatum ac male mulcatum in altiora se receperat loca. Tum Cassius ex sua fortuna eventum collegae aestimans, cum dimisisset evocatum iussissetque nunciare sibi, quae esset multitudo ac vis hominum, quae ad se tenderet, tardius eo nunciante, cum in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium, neque pulvere facies aut signa denotari possent, existimans hostis esse, qui irruerent, lacerna caput circumdedit, extentamque cervicem interritus liberto praebuit. Deciderat Cassi caput, cum evocatus advenit 3

qui verberibus aut pugnis caeduntur et affliguntur (v. Oudendorp. ad Sueton. Caes. c. 17. Drakenborch. ad Liv. XXVIII, 30, 12. Lips. ad Tacit. Ann. I, 32, 1.) h. l. de exercitu usurpatur contuso et gravi caede affecto.

se receperat] Ed. pr. et Amerb. *receperat*, quod frustra defendit Vossius; *recipere* enim nunquam reflexivo sensu ponitur. Verum restituit Ed. Basil. cf. Prolegg. c. III. p. CVIII.

nunciare] Amerb. *nuntiari*, qui merus error est (v. Prolegg. c. III. p. LXXXIX.); nam quum Cassius nuncium non in universum ab aliquo, sed ab evocato dimisso sibi afferri vellet, necessario infinitivus activi requiritur, in qua structura *eum* facillime suppletur ex praegressis; cf. Zumptii Gramm. Lat. c. 80, 12. §. 617. p. 522. Haasium ad Reisigii Gramm. Lat. §. 448. p. 787. not. 602. annot. nostram ad Sall. Iug. c. XLVI, 4. p. 262. et Duker. ad Liv. XXIV, 15, 5. Nihilominus Orellius et Kreyssigius Praef. p. XLI. *nunciari* retinent.

cursu ad eum tendentium] Heinsius, latinitatem ita postulare dicens, coniecit *cursus ad eam tendentium*. Pessime; cf. Sall. Iug. c. XCI, 4. *Velocissumos pedites cursu tendere ad Capsam iubet.*

pulvere] Bucretius apud Acidalium coniecit *prae pulvere*.

irruerent] Heinsius maluit *ingruerent*.

nuncians Brutum esse victorem. Qui cum imperatorem prostratum videret: Sequar, inquit, eum, quem
4 mea occidit tarditas, et ita in gladium incubuit. Post paucos deinde dies Brutus conflixit cum hostibus, et victus acie, cum in tumulum nocte ex fuga se recepisset, impetravit a Stratone Aegeate, familiari suo,
5 ut manum morituro commodaret sibi; reiectoque laevo super caput brachio, cum mucronem gladi eius dextera tenens sinistrae admovisset mammillae, ad eum ipsum locum, qua cor emicat, impellens se in volnus, uno ictu transfixus expiravit protinus.

§. 3. *et ita*] Herelius p. 568. coniecit *statimque.*

incubuit] Amerb. *occubuit,* quemadmodum iam Lipsius coniectura, sed ea inani, scripserat.

§. 4. *conflixit cum*] Bothius coniicit excidisse inter has voces *iterum,* absorptum scilicet syllabis *it cum.*

tumulum] Ed. pr. et Amerb. *tumultum.* Correxit Vascosanus.

§. 5. *reiectoque*] Heinsius coniecit *erectoque.* — Burmannus Misc. Obss. Tom. VIII. p. 389. scribit: „nisi *ἀχυρολογίαν* Velleii noscerem, emendationem Heinsii, *erecto,* probarem; nam reiicimus proprie illa, qua a nostro corpore arcemus et repellimus," etc. — Vellem, vir doctiss. vel unum *ἀχυρολογιῶν,* quas iactat, exemplum in scriptore, quem ego proprietatis verborum studiosissimum fuisse reperio, indicasset. Nam quod Velleium verbo *reiicere* contra veterum consuetudinem usum dicit, non meminerat illud saepe poni pro *reclinare, reflectere.* Terent. Andr. I, 1, 100. *Reiecit se in eum, flens, quam familiariter.* Curt. X, 5. *Fatigata membra reiecit.* Apulei. Met. II. p. 86. *Et statim rubore suffusus, reiecto capite restiti.* Hic autem *reiecto* a Velleio scriptum esse ipsa rei natura docet. Brachium enim non, nisi eius reiectione vel reclinatione imponi capiti potest. Ruhnkenius.

sinistrae] Bothius pro additamento inepto habens uncinis inclusit.

LXXI. Mesalla, fulgentissimus iuvenis, pro- 1
ximus in illis castris Bruti Cassique auctoritati, cum essent, qui eum ducem poscerent, servari beneficio Caesaris maluit, quam dubiam spem armorum tentare amplius. Nec aut Caesari quicquam ex victoriis suis fuit laetius, quam servasse Corvinum, aut maius exemplum hominis grati ac pii, quam Corvinus in Caesarem fuit. Non aliud bellum cruentius caede cla- 2
rissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum Hortensiumque, eminentissimorum civium filios, fortuna abstulit; nam Varro, ad ludi-

qua cor] Boxhornius coniecit *quo cor.* V. annotat. nostr. ad Sall. Cat. c. LVII, 3. p. 300. et ad Iug. c. XVIII, 2. p. 108.

expiravit protinus] Ed. pr. et Amerb. hac interpunctione *expiravit. Protinus Messala* etc., sed Amerb. *protenus.* Acute Schefferus in Misc. Obss. Tom. IX. p. 170. punctum transtulit post *protinus,* quae vox, ut prorsus absurde coniungitur cum verbis *servari maluit,* ita perquam commode additur *expiravit* verbo. Rem confirmat Plutarchus in Bruto c. LII. Reisk. T. V. p. 437. *Οἱ δέ φασι τὸν Στράτωνα — ὑποστῆσαι τὸ ξίφος. ἐκεῖνον δέ ῥύμῃ προσβαλόντα τὸ σιέρνον καὶ διώσαντα συντόμως ἀποθανεῖν. Protinus* eodem modo usurpatum infra II, 120, 6. *Caelius catenas ita illisit capiti suo, ut protinus pariter sanguinis cerebrique effluvio exspiraret.* II, 114, 3. *Adiiciam illud, quod quisquis illis temporibus interfuit, — agnoscet protinus.* II, 7, 2. De collocatione adverbii in fine sententiae v. ad I, 2, 1. — Ed. Bipont. ex *protinus* fecerunt *Corvinus,* idque nomen coniunxerunt cum *Mesalla* initio cap. seq.

LXXI, 1. *Mesalla*] Ed. pr. et Amerb. *Protinus Mesalla;* v. ad c. 70, extr. — Ed. Bipont. *Corvinus Mesalla.*

tentare] Amerb. *temptare,* ut infra §. 3. *temptata.*

quam Corvinus in Caesarem fuit] Heinsius delendum censuit *fuit,* ter posito offensus. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq. et Wopkens. Lectt. Tull. II, 11. p. 189. ed. Amstel. — Bothius scripsit *quam Corvini in Caesarem.*

§. 2. *nam Varro*] Bothius scripsit *tum Varro*; at Orel-

brium moriturus Antoni, digna illo ac vera de exitu
3 eius magna cum libertate ominatus est. Drusus Livius, Iuliae Augustae pater, et Varus Quintilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter se ipse in tabernaculo interemit, Varus autem liberti, quem id facere coëgerat, manu, cum se insignibus honorum velasset, iugulatus est.

1 LXXII. Hunc exitum M. Bruti partium, septimum et tricesimum annum agentis, fortuna esse voluit, incorrupto animo eius in diem, quae illi omnis
2 virtutes unius temeritate facti abstulit. Fuit autem

lius vulgatam optime tuetur, cuius haec est sententia: Cato, Lucullus, Hortensius in ipsa acie occiderunt; *Varro non item; nam is ad ludibrium* etc. cf. de hoc usu *nam* particulae ad supplendam sententiae relatae annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XIX, 2. p. 119. v. supra II, 55, 2; II, 76, 2; II, 84, 3; II, 89, 5; II, 97, 3. — Ed. Bipont. coniecere *nam Favonius* coll. Plutarch. Brut. c. 34. et Sueton. Aug. c. 13.

§. 3. *Iuliae Augustae*] Aldus Nepos coniecit *Liviae Augustae.* — Per anticipationem Liviam hic vocari *Iuliam Augustam* et per se patet, et recte monuit Ruhnkenius, praeeunte Spanhemio de U. et P. N. Diss. XI. p. 275. cf. Tacit. Annall. I, 8, 1. *Livia in familiam Iuliam nomenque Augustae assumebatur.* Sueton. Aug. c. 101. Dio Cass. LVI, 46. p. 843. Reim.

LXXII, 1. *incorrupto*] Ed. pr. et Amerb. *corrupto.* Ineptias huius scripturae sustulit Tollius ad Auson. p. 309. coniiciens *incorrupto*, quod sensus flagitat; nam si una illa dies, qua Caesarem interfecit, omnes eius virtutes abstulit animumque corrupit, necesse est ad hanc usque diem *incorrupto* eum atque *sancto animo* fuisse. — Aldus Nep. coniecit *corrupto animo eius una die.*

facti] Ed. pr. et Amerb. *fecit,* ortum ex obscurato vel male intellecto scribendi compendio vocis *facti,* quod Rhenanus certa coniectura assecutus est; v. Prolegg. c. III. p. XCVIII. Apposite Ruhnkenius comparavit Valer. Max. VI, 4, 5. *M. Brutus sua-*

dux Cassius melior, quanto vir Brutus; e quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium; in altero maior vis, in altero virtus; qui si vicissent, quantum reipublicae interfuit Caesarem potius habere quam Antonium principem, tantum retulisset habere Brutum quam Cassium. Cn. Domi- 3
tius, pater L. Domiti, nuper a nobis visi, eminentissimae ac nobilissimae simplicitatis viri, avus huius Cn. Domiti, clarissimi iuvenis, occupatis navibus cum magno sequentium consilia sua comitatu fugae fortunaeque se commisit, semet ipso contentus duce par-

ram prius virtutum, quam patriae parentis parricida (uno enim facto et illas in profundum praecipitavit, et omnem sui nominis memoriam inexpiabili detestatione perfudit) ultimum proelium initurus etc.

§. 2. *melior, quanto*] Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 342. coniecit *melior tanto, quanto;* sed idem, quod bene factum, in Emendd. Vell. p. 13. damnata priore sententia vulgatam tuetur coll. Tacit. Hist. III, 58. *Hortantibus amicis (nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus) vocari tribus iubet.* id. Ann. II, 5, 1. *At Germanicus, quanto acriora in eum studia militum, et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior, tractare proeliorum vias.* Ab ellipsi *tanto* demonstrativi in comparativorum constructione non diversa est omissio *eo* pronominis ante *quo* relativum, de qua v. Gronov. ad Liv. XXV, 36, 16. Drakenborch. ad XXVI, 20, 5. Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 4. p. 17. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 155. 6. c. not. 2. p. 315. ed. I. — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No, 70. p. 586. maluit *fuit tanto dux Cassius melior, quanto vir Brutus.*

e quibus] Haec verba censor ed. Ruhnkenianae in Bibl. philolog. Lips. Vol. I. p. 44. pro glossemate habet.

§. 3. *occupatis*] Boeclero placuit occupatus.

cum magno] Acidalius maluit *tam magno.*

4 tium. Statius Murcus, qui classi et custodiae maris praefuerat, cum omni commissa sibi parte exercitu naviumque Sext. Pompeium, Cn. Magni filium, qui ex Hispania revertens Siciliam armis occupaverat,
5 petit. Ad quem et e Brutianis castris et ex Italia aliisque terrarum partibus, quos praesenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebant. Quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus, cum fortuna non electionem daret, perfugium ostenderet, exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret.

1 LXXIII. Hic adulescens erat studiis rudis, ser-

§. 4. *Statius*] Ed. pr. *Staius;* Amerb. *Status.* Correxit Ursinus; v. ad II, 69, 2.

exercitus] Ed. pr. et Amerb. *exercitu.* Rhenanus coniecit *exercituum,* quod neque sensu, neque emendationis ratione commendatur. Unice vera est correctio Ed. Basil. *exercitus;* v. Prolegg. c. III. p. XCIII. Vossius maluit *exercitus et navium.*

petit] Ed. Basil. scripsit *petiit.*

§. 5. *At quem et e Brutianis*] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *adque me T e Brutianis.* In margine Rhenanus coniecit *Quin et e Brut.;* — Burmannus *ad quem et de Brutianis.*

nullum habentibus statum quilibet] Lipsius coniecit *nullum habentibus, statim quilibet.* V. ad II, 2, 3.

perfugium] Ed. Basil. scripsit *sed perfugium,* offensus asyndeto; v. supra ad II, 47, 4. et ad Sall. Catil. c. XXXV, 2. p. 160. et LVIII, 14. p. 309.

LXXIII, 1. *rudis, sermone*] Amerb. *rudis, is sermone.* v. Prolegg. c. III. p. CXII.

strenuus] Amerb. *strennuus.*

cogitatione] Ed. pr. et Amerb. *cogitator,* quae lectio tum vocabuli forma, tum constructione vitiosa est. *Cogitator* enim, quum apud nullum scriptorem reperiatur, omni auctoritate caret; sed etiamsi probum esset vocabulum, tamen hic non ferendum

mone barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cogitatione celer, fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus servorumque servus, speciosis invidens, ut pareret humillimis; quem senatus, paene 2
totus adhuc e Pompeianis constans partibus, post Antoni a Mutina fugam, eodem illo tempore, quo Bruto Cassioque transmarinas provincias decreverat, revocatum ex Hispania, ubi adversus eum clarissimum bellum Pollio Asinius praetorius gesserat, in paterna bona restituerat et orae maritimae praefecerat. Is 3
tum, ut praediximus, occupata Sicilia, servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens magnum

foret, ubi et *celer* adiectivum per se, et totius loci aequaliter instituta constructio non nominativum, sed ablativum flagitat; cf. II, 118, 2. *Iuvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio.* II, 29, 2. *Fuit Pompeius forma excellens, innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia medius.* Verissime igitur Rhenanus coniecit *cogitatione*, quod aeque sensu et structura, atque mutationis facilitate commendatur; *cogitator* enim non alio modo ortum, quam ex *cogitat*^{oe}, quod verbi *cogitatione* compendium librarius pro integro vocabulo habuit. v. Prolegg. c. III. p. XCVIII. — Lipsius coniecit *concitatu;* — Heinsius *cogitato;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 170. *cogitatu;* — Orellius vulgatam retinuit.

§. 2. *Antoni a Mutina fugam*] Ed. pr. et Amerb. *Antonianam fugam;* Burer. *Antonii a Mutinam fugam*, unde idem felici coniectura refinxit lectionem in textu a nobis expressam. *Mutina* enim somnolentia librarii traxit terminationem sequentis vocabuli, v. Prolegg. c. III. p. XCV. De re ipsa cf. supra II, 61, 4. Appian. III, 72. p. 495 sq. Dio Cass. XLVI, 38. p. 477. Reim. — Grunerus coniecit *Amatianorum fugam;* — Laurentius in Locis Vell. p. 80. *Antonii ad Mutinam fugam.*

§. 3. *Is tum*] Ed. pr. et Amerb. *istum.* Correxit Vascosanus. — Ursinus coniecit *iste.*

modum legionum effecerat, perque Menam et Menecraten, paternos libertos, praefectos classium, latrociniis ac praedationibus infestato mari ad se exercitumque tuendum rapto utebatur, cum eum non deputaret vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus.

1 LXXIV. Fractis Brutianis Cassianisque partibus Antonius, transmarinas obiturus provincias, sub-

perque] Amerb. *per quem.*

Menecraten] Ita Ed. pr. et Amerb.; v. ad II, 33, 1. et Bonnellium in Prolegg. ad Lexic. Quintil. p. XXII. Krausius aliique habent *Menecratem*, quod probat Kreyssigius Praef. p. XLI.

praefectos classium] Haec verba Bothius pro glossemate habet, argumento usus, honorificentius ea de latronibus dicta esse, quam quae a Velleio profecta esse possint.

ductu] Amerb. *ductum*; scil. falsa constructione inita vocabulum per *ac* coniunctum putavit cum *vindicatum;* v. Prolegg. c. III. p. CVI.

sceleribus] Lipsius coniecit *celocibus;* — Ruhnkenius *celetibus*, doctrinae abusu plumbeam scripturam aureae loco ponens. Nam quod multo paratu ostendit *celetes* navium genus fuisse velocium et a piratis maxime exercendis latrociniis adhibitarum, hoc quid ad nostrum locum? quo Velleius, ad invidiam Sexto Pompeio, cui nescio quam ob caussam est infensior, faciendam, ostendere studet illum *patris dissimillimum fuisse.* In qua sententia nihil gravius et acerbius dici potest, quam mare a Pompeio patre liberatum piratarum vexationibus rursus novis Sexti Pompeii latrociniis et raptibus esse infestatum. *Piratica scelera* enim sunt nefanda facinora, qualia a piratis committi solent, paullo ante latrocinia ac praedationes dicta. Idem fere iudicat Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 555. coll. Lucano VI, 21 sqq. — Bothius Ruhnkenium secutus miratur quemquam *sceleribus* tolerare potuisse.

infestare] Heinsius coniecit *incestare*, quia praecedit *infestato mari.* v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

LXXIV, 1. *substitit*] Burmannus a Velleio scriptum fuisse coniecit *in Asia substitit*, de quo Ruhnkenius haec annotavit:

stitit; Caesar in Italiam se recepit, eamque longe quam speraverat tumultuosiorem reperit. Quippe L. 2
Antonius consul, vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quae interdum in illo erant, expers, modo apud veteranos criminatus Caesarem, modo eos, qui instituta divisione praediorum nominatisque coloniis agros amiserant, ad arma conciens magnum exercitum conflaverat. Ex altera parte uxor Antoni Fulvia, 3

„Haeret Burmannus in loco facili. Non substitit Antonius in Asia, ut ipse suspicatur, sed apud Philippos in Macedonia, ut contextus docet. Ex Macedonia abiit in Graeciam, inde demum in Asiam. Itineris ratio clara est ex Plutarcho in Anton. c. 23. Vol. V. p. 137. Reisk. et ex Dione Cass. XLVIII, 2. p. 528.“

§. 2. *expers*] Acidalius ad II, 37, 3. p. 863. ed. Ruhnk. coniecit *exsors*.

instituta] Ed. pr. et Amerb. *iuste*, (i. e. *inste*), quod nihil aliud est, quam scribendi compendium vocis *instituta*, extrema littera in *e* corrupta. Id acute vidit Ruhnkenius, cuius verissimam emendationem, etiam Morgensternio probatam in Commentat. crit. p. CLXXXVI. ed. Fr., et Censori in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 537, cur languidam dicat Orellius prorsus non assequor. — Vascosanus coniecit *iusta*; — Lipsius *iniuste*, vel *iniusta*; — Heinsius *iussa*; — Walchius in Melett. crit. p. 38. *iuxta*; — Cludius *nuper*; — Ieepius in Emendd. Vell. p. 10. *ius, et*; — Sauppius in Mus. Helvet. a. 1837. I, 2. p. 166. *in ista*; — Orellius, quum olim coniecisset *ante*, eo rursus damnato, quomodo locus sanandus sit, sibi non constare profitetur.

nominatisque] Heinsius coniecit *ordinatisque*. v. not. seq.

coloniis] Ed. pr. et Amerb. *colonis*. Correxit Ruhnkenius; non agitur enim de *colonis singulis* vel *hominibus*, sed de *universis coloniis* vel *locis ipsis*, quae veteranis praemii caussa assignabantur; quibus nominatis, i. e. huic rei destinatis, veteres possessores agris pellebantur. Apte Ruhnkenius comparavit Frontin. de colon. p. 138. *Sicut ante colonias nominatas exquisita sunt, exsequi oportet.*

nihil muliebre praeter corpus gerens, omnia armis tumultuque miscebat. Haec belli sedem Praeneste ceperat. Antonius pulsus undique viribus Caesaris Perusiam se contulerat. Plancus, Antonianarum adiutor partium, spem magis ostenderat auxili, quam
4 opem ferebat Antonio. Usus Caesar virtute et fortuna sua Perusiam expugnavit, Antonium inviolatum dimisit. In Perusinos magis ira militum quam voluntate saevitum ducis; urbs incensa, cuius initium incendi princeps eius loci fecit Macedonicus, qui subiecto rebus ac penatibus suis igni transfixum se gladio flammae intulit.

§. 3. *belli sedem*] Ed. pr. et Amerb. *bellis sedem.* Correxit Ed. Basil. Recte Ruhnkenius: Si *bello*, inquit, scriptum esset, nihil mutarem, de quo dativo vide quae notavi ad Rutil. Lup. I, 10. p. 38. Littera *s* ex sequenti voce adhaesit. — V. Prolegg. c. III. p. CXI. De dictione *belli sedem capere* cf. Liv. IV, 31, 8. *Consultare inde principes duorum populorum, Veios an Fidenas sedem belli caperent.* v. Duker. ad XXIX, 35, 6.

spem magis] Burer. et Amerb. *spe magis;* Ed. pr. *spem magis,* ex tacita Rhenani correctione. De eliso *m* v. Prolegg. c. III. p. CVII sqq.

Antonio] Bothius hoc nomen tanquam glossema uncinis inclusit.

§. 4. *dimisit*] Amerb. *demisit.*

incendi] Krausius hanc vocem deletam vult, non alia ratione usus, quam quia apertum sit (?) eam abhorrere a Velleii brevitate. v. Prolegg. c. II. p. LXIX. Herelius p. 568. coniecit *cuius initium Cestius* etc. vel etiam *cuius initium incendii — fecit Cestius Macedonicus:* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 150. *c. init. primum Cestius nomine fecit Macedonicus.* Haec omnia vana esse evincit locus Appiani B. C. V, 49. p. 775. Schweigh. *Τὴν δὲ Περουσίαν αὐτὴν ἐγνώκει μὲν ὁ Καῖσαρ ἐς διαρπαγὴν ἐπιτρέψαι τῷ στρατῷ. Κέστιος δέ τις αὐτῶν, ὑπομαργότερος, ἐν Μακεδονίᾳ πεπολεμηκὼς, καὶ ἐκ

LXXV. Per eadem tempora exarserat in Cam- 1
pania bellum, quod, professus eorum, qui perdide-
rant agros, patrocinium, ciebat Ti. Claudius Nero
praetorius et pontifex, Ti. Caesaris pater, magni vir
animi doctissimique ingeni. Id quoque adventu Cae-
saris sepultum atque discussum est. Quis fortunae 2
mutationes, quis dubios rerum humanarum casus satis
mirari queat? quis non diversa praesentibus contra-
riaque expectatis aut speret aut timeat? Livia, nobi- 3
lissimi et fortissimi viri Drusi Claudiani filia, genere,
probitate, forma Romanarum eminentissima, quam po-
stea coniugem Augusti vidimus, quam transgressi ad

τοῦδε *Μακεδονικὸν αὐτὸν ὀνομάζων, ἐνέπρησε τὴν οἰκίαν, καὶ ἑαυτὸν ἐς τὸ πῦρ ἐνέβαλε.* ***Cestii*** enim nomine in hac narratione non opus fuisse ex eo patet, quod is ***Macedonici*** cognomine in vulgus notus fuit.

LXXV, 1. *Ti. Claudius*] Ed. pr. et Amerb. *T. Claud.*, ut statim post *Ti. Caesaris*. Correxit Ed. Basil.

vir animi] Burer. et Amerb. *viri animi*; Ed. pr. *vir animi*, ex tacita Rhenani correctione. V. Prolegg. c. III. p. XCV.

doctissimique] Ruhnkenius, mirifice scrupulum in eo quaerens, quod nemo veterum Claudium Neronem ab eruditione laudaverit, coniecit *promptissimique;* — Orellius *fortissimique;* — Bothius *clarissimique;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 170. *tectissimique*. Sed quum per se nulla caussa sit, cur Claud. Neroni ingenium cultum litterisque instructum tribui non possit, inconsideratius videtur *fortuito* ceterorum scriptorum de ea re *silentio* tanquam argumento uti, ad *disertum* Velleii *testimonium* convellendum.

atque discussum] Bothius haec ut glossema uncis inclusit.

§. 3. *Claudiani*] Ed. pr. et Amerb. *Calidiani*. Correxit Burerius. Plenum viri nomen fuit *M. Livius Drusus Claudianus*, ut ostendit Fabrettus ad Inscriptt. p. 438. laudatus a Ruhnkenio. cf. Drumanni Histor. Rom. Vol. II. p. 182 sq. No. 33.

transgressi ad deos] In edd. Iuntae et Aldi Nep. est

deos sacerdotem ac filiam, tum fugiens mox futuri sui Caesaris manus, bimum hunc Tiberium Caesarem, vindicem Romani imperi futurumque eiusdem Caesaris filium, gestans sinu, per avia itinerum, vitatis militum gladiis, uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, et cum viro Nerone pervecta in Siciliam est.

1 LXXVI. Quod alieno testimonium redderem, eo non fraudabo avum meum. Quippe C. Velleius honoratissimo inter illos trecentos sexaginta iudices loco a Cn. Pompeio lectus, eiusdem Marcique Bruti

transgressi ad eos, haud dubie errore typographi. Praeterea Aldus coniecit *quin transgressa ad deos, sacerdotem paene habuit ac flaminem.*

filiam] Vossius coniecit *Iliam*, non assecutus Liviam Augusti dici *filiam* ob adoptionem, de qua re vide locos supra ad II, 71, 3. allatos. Idem testantur lapides veteres; cf. Orellii Inscriptt. Latt. Vol. I. p. 158. No. 616 et 617.

manus, bimum] Ed. pr. et Amerb. *arma nus bimum.* Sanatio huius loci debetur Ruhnkenio, qui optime coniecit, ut edidimus; casu enim avulsâ *ma* syllabâ librarius non composuit rursus, quae dissociata erant, sed pingui coniectura novum vocabulum fecit, de *nus* syllaba securus; de quo corruptelae genere v. Prolegg. c. III. p. CIV. et infra ad II, 130, 3. Praeterea stabilitae ista via lectioni eo multum commendationis accedit, quod Livia plane ex Velleii more arguta ambiguitate, caritatis quandam speciem habente, *Caesaris sui* (sc. *dilecti) manus effugisse* dicitur. — Rhenanus coniecit *arma, tum bimum;* — Burerius *arma, cuius bimum;* — Ed. Basil. *arma vix bimum;* — Vossius *arma, minus bimum;* — Vascosanus *arma, bimum;* — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 37. *arma, ius, bimum;* — Ieepius in Emendd. Vell p. 5. *armatas manus, bimum*; — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 170. *arma manibus bimum.*

futurumque eiusdem] Acidalius coniecit *futurum, eiusdemque.*

ac Ti. Neronis praefectus fabrum, vir nulli secundus, in Campania, digressu Neronis a Neapoli, cuius, ob singularem cum eo amicitiam, partium adiutor fuerat, gravis iam aetate et corpore cum comes esse non posset, gladio se ipse transfixit. Inviolatam exce- 2
dere Italia Caesar passus Fulviam Plancumque, muliebris fugae comitem. Nam Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retenta in potestate Antoni Venetia, magnis speciosisque rebus circa Altinum aliasque eius regionis urbis editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium, quem digressum e Brutianis castris post

sinu, per avia] Amerb. *si nuper avia.*

LXXVI, 1. *eo non fraudabo*] Ed. pr. *in eo non fraudabo;* Amerb. *meo non fraudabo.* Correxit Ed. Basil.; quippe *in* vel *m* natum geminatione praecedentis litterae; cf. Prolegg. c. III. p. CXII. De dictione et structura v. ad II, 45, 5. — Acidalius *in* praepositionem ad orationis ornatum abundare dicit.

lectus] Gruterus coniecit *lectos.*

Ti. Neronis] Ed. pr. *Tyronis;* Amerb. *Tironis.* Correxit Aldus Nepos. V. ad II, 45, 5. et Halmii Emendd. Vell. p. 8.

corpore cum comes esse] Ed. pr. et Amerb. *corpore cum esse;* Burer. *corpore comes esse;* quae diversa scripturae codicis Murb. enotatio ostendit non excidisse *cum* particulam, ut Ruhnkenio visum, sed simul eam cum *comes* voce affuisse, ita tamen, ut, quum altera vel inter versus vel in margine esset posita, in proclivi esset alterutram non animadverti a legentibus. Certe Velleii manum restituit Aldus Nepos utramque coniungendo. Ed. Basil. coniecit *corpore, cum eum sequi;* — Burmannus *corpore cum assequi;* — Vascosanus *comes esse,* particula *cum* supra post *secundus* posita.

§. 2. *passus*] Cludius suspicatur fuisse *passus est.* V. ad II, 55, 1.

vagum adhuc — factum ducem] Haec verba Bothius initio periodi collocavit ante *Pollio Asinius.*

propriae] Ita Ed. pr. et Amerb., ex tacita, sed certissima Vellei. Paterc. [23]

caedem eius praediximus et propriae classis factum ducem, consiliis suis illectum ac fide data iunxit An-
3 tonio. Quo facto, quisquis aequum se praestiterit, sciat non minus a Pollione in Antonium quam ab Antonio in Pollionem esse collatum. Adventus deinde

ac facillima correctione. Burerius enim in cod. Murb. fuisse testatur *proprae*, unde ipse coniecit *properae;* — Heinsius *propraetor.*

consiliis] Heinsius maluit *conciliis;* quae vox cum significet conventum, vel coetum convocatum, (descendit enim a *calare*, ut Doederlinus Synonym. Lat. Vol. V. p. 107. docuit,) ab hoc loco prorsus aliena est; cf. Herzog. ad Caes. B. G. I, 18.

illectum] Ed. pr. et Amerb. *electum*, quod corruptum est ex *īlectum*, *i* cum *e* confuso, ut saepissime; v. Prolegg. c. III. p. LXXXVIII. Correxit Ed. Basil. cf. II, 13, 2. *Si qua ab eo agerentur, veluti illiciendae multitudinis causa fieri.* II, 89, 4. *Principes viri — adhortatu principis ad ornandam urbem illecti sunt.*

ac fide] Cludius *ac* abesse malit.

§. 3. *Quo facto*] Acidalius coniecit *Cui facto.*

sciat] Cludius necessarium putat *sciet.*

praeparatusque] Hanc Ed. pr. et Amerb. scripturam vix ausus sum retinere, quum *praeparatus* et per se insolitum sit vocabulum, et de *paratu bellico* dictum apud nullum scriptorem reperiatur. Quare suspicor Velleium scripsisse *apparatusque*, quo vocabulo usus est II, 12, 3. II, 82, 1; nam *a* litterâ obscuratâ *pparatus* facillime potuit cum *p̄paratus* i. e. *praeparatus* confundi. — Ed. Basil. scripsit *paratusque.*

contra eum Caesaris] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *Caesaris contra eum*, errore Rhenani.

circa Brundisium] Burer. et Amerb. *contra Brund.;* Ed. pr. *circa Brund.*, ex tacita, sed certa Rhenani correctione. Nam *contra* praepositioni, quam temere defendi a Vossio et Burmanno recte iudicat Handius de Particc. Lat. Vol. II. p. 109., hic nullus locus esse potest, ut et res ipsa ostendit, et testimo-

in Italiam Antoni praeparatusque contra eum Caesaris habuit belli metum; sed pax circa Brundisium composita. Per quae tempora Rufi Salvidieni scelesta 4
consilia patefacta sunt, qui natus obscurissimis initiis parum habebat summa accepisse, et proximus a Cn.

nium Dion. Cassii XLVIII, 30. p. 547. *Συνθέμενοι δ' οὖν ταῦτ' ἐν τοῖς στρατοπέδοις τοῖς περὶ τὸ Βρεντέσιον εἱστίασαν ἀλλήλους*, quod minime est *contra Brundisium* vel *e regione Brundisii*, sed *in vicinitate Brundisii;* II, 77, 1. *Cum Pompeio circa Misenum pax inita.* In summa autem scribendi compendiorum similitudine saepissime confundi *circa* et *contra* praepositiones non est mirum; cf. Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 15, 7. et Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 71.

§. 4. *natus obscurissimis initiis*] Cludius hac dictione offensus locum lacunosum putat, sic fere supplendum: *natus obscurissimis parentibus, ex minimis initiis.*

summa] Ed. pr. et Amerb. *summam*, quod correxit Acidalius. Nam *summa* singulari numero id significat, quo rei alicuius caput constat, singulis partibus in unum quasi comprehensis et coniunctis, qui vocabuli usus quum apud alios scriptores, tum apud Tacitum est frequens; v. Boetticheri Lex. Tacit. p. 448. Contra *summa* plurali numero de iis dicitur, quae sunt in suo genere maxima, et primum locum tenent; quare proprie usurpatur de honoribus, dignitate et potentia, quibus aliquis multum super relicuos eminet, id quod in hunc locum cadit. cf. supra II, 61, 1. *Caesar mira ausus, ac summa consecutus.* Iustin. II, 6, 2. *Athenienses non a sordidis initiis ad summa crevere.* v. Drakenborch. ad Liv. VI, 35, 2. *Iam eo gradum fecisse plebeios, unde — pervenire ad summa — possent.* Frotscher. ad Quintil. X, 2, 9. *Sed etiam qui summa non appetent, contendere potius, quam sequi debent.* id. X, 1, 3. *Ut pervenire ad summa nisi ex principiis non potest.* id. Prooem. §. 19. *Sed non ideo minus nobis ad summa tendendum est.* ibid. §. 20. *Altius tamen ibunt, qui ad summa nitentur.* cf. Wopkens. in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 62. — Rhenanus coniecit *summum.*

Pompeio ipsoque Caesare ex equestri ordine consul creatus esse, nisi in id ascendisset, e quo infra se et Caesarem videret et rempublicam.

1 LXXVII. Tum expostulante consensu populi, quem gravis urebat infesto mari annona, cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita, qui haud absurde, cum in navi Caesaremque et Antonium coena exciperet, dixit in Carinis suis se coenam dare, re-

ex equestri ordine] Ed. pr. *ex equestris ordinis;* Burer. *ex equestri ordinis;* Amerb. *ex sequestri ordinis.* Depravatam cod. Murb. scripturam, quae unde orta sit, nisi ex verborum constructione ineptissime instituta, vix dicas, feliciter correxit Ed. Basil. Eandem rem testatur Dio Cass. XLVIII, 33. p. 550. Ἐς τοσοῦτον δὲ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος προήχθη (ὁ Σαλουϊδίηνος), ὥστε αὐτόν τε ὕπατον μηδὲ βουλεύοντα ἀποδειχθῆναι.

creatus esse] Ursinus suspicatur *creatum esse.*

nisi in id ascendisset, e quo] Ed. pr. *ni simul ascendisset, e quo*; Burer. *nisi in is ascendisset equo;* Amerb. *nisi in is ascendisset e quo.* Locum ita sanavit Puteanus, ut nulla confirmatione egeat eius emendatio, quum verba *nisi in id* iisdem plane elementis constent, quae sunt in vocibus *ni simul.* — Burerius coniecit *nisi in iis ascendisset, quo;* — Ed. Basil. scripsit *ni simul ascendisset, aeque.* — Cludius *nisi in id ascendisset, in quo.*

LXXVII, 1. *Tum expostulante*] Cludius suspicatur fuisse *At mox, postulante.*

urebat] Cludius coniecit *urgebat,* quum iam Krausius recte monuisset *urere* dici ea, quae gravissima et molestissima sint, coll. Liv. X, 47, 6. *Laetus annus vix ad solatium pestilentiae, urentis simul urbem atque agros, suffecit.* id. XXXVI, 23, 5. *Aetolos dies noctesque assiduo labore urente.* ubi v. Drakenborch. et Duker. ad Flor. II, 6, 2.

haud absurde] Ed. pr. et Amerb. *haud absurdo.* Insolitam formam correxit Rhenanus; cf. II, 83, 3. *Haud absurde Coponius* etc. Tacit. Ann. XIII, 14, 1. Burmannus suspicatur *haud absurdo ioco.*

ferens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis foedere 2
placuit Siciliam Achaiamque Pompeio concedere; in quo tamen animus inquies manere non potuit. Id unum tantummodo salutare conventu suo patriae attulit, quod omnibus proscriptis aliisque, qui ad eum ex diversis causis fugerant, reditum salutemque pactus est; quae res et alios clarissimos viros, et Neronem 3

exciperet] Acidalius tanquam melius venditat *ecciperet.*

§. 2. *In hoc pacis foedere*] Acidalius mavult *inito hoc pacis foedere.*

animus] Cludius tentavit *animus eius;* — Bothius *animus illius.*

conventu suo] Ed. pr. et Amerb. *adventu suo.* Qui Pompeii *adventus* et quem in locum factus intelligendus sit, prorsus obscurum est, neque potest dubitari, quin lectio corrupta sit. Sed Ruhnkenii ratio verba eiicientis, tanquam errore librarii ex sequentibus huc illata, nimis est violenta et parum probabilis. Idem dicendum de Orellii coniectura *id unum tantummodo salutare acceptum patria ei tulit,* vel *ei rettulit;* neque sententiâ commendatur quod edidit Cludius *accessu suo.* Rem acu tetigit Halmius, qui in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43 p. 342. coniecit *conventu suo,* mutatione aeque facili, ac sensu commodissimo; nam *ad* ortum ex compendio *con* syllabae *&*; quod quum forma non multum discrepet ab *ad* praepositione, facile cum ea confundi potuit. *Conventus* autem dictum de *congressu* Pompeii cum Caesare et Antonio circa Misenum facto; cf. Sall. Iug. c. XII, 1. *Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi,* ubi v. Cort. Id. Catil. c. XXI, 5. *Cohortatus ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit.* — Laurentius in Iahnii Nov. Ann. Phil. et Paed. Suppl. Vol. VI, 1. p. 10. vulgatam tuetur, *adventum Pompeii* intelligens de pace Misenensi.

attulit] Amerb. *tulit.*

ex diversis causis] Acidalius coniecit *ex diversis castris.*

Claudium et M. Silanum Sentiumque Saturninum et Arruntium ac Titium restituit reipublicae. Statium autem Murcum, qui adventu suo classisque celeberrimae viris eius duplicaverat, insimulatum falsis criminationibus, quia talem virum collegam offici Mena et Menecrates fastidierant, Pompeius in Sicilia interfecerat.

§. 3. *Silanum*] Ita Burer. et Amerb.; — Ed. pr. *Syllanum* ex infelici Rhenani correctione.

Sentiumque Saturninum] Ita Ed. pr., ex iusta Rhenani emendatione; Burer. et Amerb. *Sentium Q. Saturninum.*

Arruntium] Ed. pr. et Amerb. *Atruntium;* Burer. *Atrucium.* — Ed. Basil. scripsit *Aruntium;* sed Orellius recte vidit codicis scripturam eo ducere, ut nomen duplici *r* littera scribatur, quomodo exstat in Fastt. coss. capitt. a. u. c. 731. p. 49. ed. Laur. et apud Tacit. Ann. I, 13, 1. ubi v. Lips. et Ruhnken. cf. infra ad II, 86, 2.

ac Titium] Burerius coniecit *Actitium;* in ed. Iunt. est *Actium.*

Statium] Ed. pr. et Amerb. *Staium.* Correxit Popma. v. supra ad II, 69, 2.

Menecrates] Ed. pr. *Menocres*; Burer. *Menotrades;* Amerb. *Menocrates.* Correxit Rhenanus; v. II, 73, 3.

fastidierant] Bothius scripsit *fastidiebant,* non assecutus, varias praeteriti temporis actiones inter se comparari, quarum altera praecesserat alteram.

LXXVIII, 1. *Redierat Pompeius*] Amerb. non habet *redierat;* quo seductus Orellius de interpolatione Rhenani cogitat, difficultates in vulgata scriptura sibi videre videtur, quae nullae sunt, et glossas nescio quas margini ascriptas dicens locum hac coniectura tentat: *duxit uxorem mox reversus in transmarinas provincias.* Sed vulgata, Burerii etiam silentio firmata, est integerrima. Nam Statii Murci caedes, obiter memorata, ut res contraria saluti aliis a Pompeio paratae, facta erat *ante illum conventum* cum Antonio et Octaviano circa Misenum habium, ut clarissime patet ex Appiano B. C. V, 70 sqq. p. 804 sqq. Schw. et ex Dione Cass. XLVIII, 19. p. 540. coll. cap. 36. p. 353. Recte igitur atque ordine Velleius, persecuturus ea, quae pacem

LXXVIII. Hoc tractu temporum Octaviam, so- 1
rorem Caesaris, M. Antonius duxit uxorem. Redierat Pompeius in Siciliam, Antonius in transmarinas provincias, quas magnis molimentis Labienus, ex Brutianis castris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam interfectoque legato Antoni, concusserat; qui virtute et ductu Ventidi una cum Par-

inter illos factam secuta sunt, dicit *redierat* (sc. a Miseno) *Pompeius in Siciliam, Antonius in transmarinas provincias* etc. Vulgatam tuentur etiam Laurentius in Locis Vell. p. 82. et. Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 40. p. 329 sqq.

molimentis] Ed. pr. et Amerb. *momentis*, quod frustra defendunt Burmannus, Cludius, Laurentius in Locis Vell. p. 82., alii. Nam ut nemo probaverit dictum esse a veteribus *momenta concitare, facere, excitare*, pro *motus* sive *turbas edere*, ita multo minus dici potest *momentis concutere provinciam;* quippe *momentum* vox propriam potestatem ita retinuit, ut tantummodo significaret id, quod *pondere suo* rem quietam *impellit atque movet*, sed motum ipsum, vel rerum statum motu ortum et effectum, nunquam declararet. Quare verissima est altera Ruhnkenii coniectura *molimentis;* nam quod antea coniecerat *emolumentis*, falsissimum esse et ab hoc loco prorsus alienum, ipse postea intellexit. *Molimentis* igitur, quod neglecto scribendi compendio (v. Prolegg. c. III. p. XCIX.) abiit in *momentis*, significat *rerum magnarum ac difficilium conatus et machinationes*, quo sensu imprimis frequens est *moliri* verbum; cf. II, 14, 1. *Quod cum moliens revertisset e foro.* II, 26, 1. *Multa fortiterque molitus.* II, 129, 2. *Ingratum et nova molientem oppressit.* Liv. II, 6, 1. *Bellum aperte moliendum ratus.* v. Boetticheri Lex. Tacit. p. 310. n. 4. et Doederlini Synonym. Lat. Vol. III. p. 295. §. 3. Substantivi haec exempla attulit Ruhnkenius: Sisenna apud Non. Marcell. II, 564. *Contra magno cum molimento ac perpetuo sono procedunt.* Senec. Consol. ad Marc. 11. *Numquid ut corpus concidat res magni molimenti est?*

producto] Arntzenius ad Aurel. Vict. de Vir. ill. c. II. coniecit *perducto*, quod inde ab Ruhnkenio cupide arripuerunt

thorum copiis celeberrimoque iuvenum Pacoro, regis
2 filio, exstinctus est. Interim Caesar per haec tempora, ne, res disciplinae inimicissima, otium corrumperet militem, crebris in Illyrico Delmatiaque expeditionibus, patientia periculorum bellique experientia
3 durabat exercitum. Eadem tempestate Calvinus Domitius, cum ex consulatu obtineret Hispaniam, gravissimi comparandique antiquis exempli auctor fuit; quippe primi pili centurionem nomine Vibillium ob turpem ex acie fugam fusti percussit.

omnes. Ac verum quidem est, commode ita dici potuisse, sed nihil plane caussae est, cur vulgata non retineatur, cuius peculiarem quandam esse sententiam nemo animadvertisse videtur. Nam quum Parthi in interiore Asia sedes haberent, multum ab iis regionibus, quae Romanorum tenebantur armis, remotas, verbis *producto eorum exercitu in Syriam* significatur illos finibus egressos contra consuetudinem longissime processisse, eo usque, ut in *anteriore Asiae parte consisterent*, ibique cum Antonii exercitu contenderent.

celeberrimoque] Ruhnkenius maluit *acerrimo*.

Ventidi una] Amerb. *Venti divina*.

§. 2. *per haec tempora, ne*] Acidalius offensus coniunctis verbis *interim per haec tempora* coniecit; *interim, ne per haec tempora* etc. Sed Velleius haec eodem modo coniunxit, ut supra II, 23, 3. *deinde post*, ubi v. Wopkensius in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 62. ex Iustino XXXVII, 1, 9. comparat *denique ad postremum*. v. Prolegg. c. II. p. LVIII.

Delmatiaque] Krausius aliique *Dalmatiaque*; v. ad II, 39, 3.

§. 3. *primi pili*] Ed. pr. et Amerb. *primipili*, uno vocabulo, quemadmodum in omnibus edd. legitur. Divisim haec scribenda esse recte monuit Kreyssigius Praef. p. XLII. coll. Liv. VII, 41, 5. *Salonius primus centurio erat, quem nunc primi pili appellant*. v. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XXXVIII, 6. p. 221.

Vibillium] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. est *Iubillium*.

LXXIX. Crescente in dies et classe et fama 1
Pompei Caesar molem belli eius suscipere statuit. Aedificandis navibus contrahendoque militi ac remigi navalibusque assuescendo certaminibus atque exercitationibus praefectus est M. Agrippa virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictus, parendique, sed uni, scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, et per omnia extra dilationes positus consultisque facta coniungens. Hic in Averno ac Lucrino lacu specio- 2
sissima classe fabricata, cotidianis exercitationibus

ob turpem] Amerb. *opturpem.*

fusti] Ita Burer., Amerb. et Ed. pr. in nonnullis exemplis; in aliis est *fuste* (v. Prolegg. c. IV. p. CXXIX.) quod Orellius perperam praetulit. cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 229. et Kreyssig. Praef. p. XLII.

LXXIX, 1. *militi ac remigi*] Ed. pr. et Amerb. *milite ac remige.* Correxit Ed. Basil.

atque exercitationibus] Haec verba Bothius ut glossema expulit.

virtutis nobilissimae] Amerb. *virtuti nobilissimae.* Ruhnkenius coniecit *vir virtutis nobilissimae*, paene omnibus, qui eum exceperunt, probantibus; quod inconsulto factum. cf. infra II, 128, 2. *Qui C. Marium ignotae originis habuere principem.* Tacit. Ann. III, 52, 2. *Ventris et ganeae paratus fecerant curam, ne princeps antiquae parcimoniae durius adverteret;* quis enim hic scribendum putet princeps, *vir antiquae parcimoniae?* Id. VI, 31, 2. *Proximus huic Abdus ademptae virilitatis.* id. Histor. III, 48. *Vespasianus ducem Virdium Geminum spectatae virtutis delegit.* ibid. IV, 49, 1. *Legionem in Africa regebat Festus sumptuosae adolescentiae, neque modica cupiens.* Uberius hunc genitivi usum, apud scriptores argenteae potissimum aetatis frequentem, illustravit Walchius ad Tacit. Agric. c. 9. p. 168 sq., quem secutus est Boetticherus in Lex. Tacit. p. 211. cf. Duker. et Drakenborch. ad Liv. III, 62, 6. *Proelium fuit inter exercitus, veteris perpetuaeque alterum gloriae, alterum*

militem remigemque ad summam et militaris et maritimae rei perduxit scientiam. Hac classi Caesar, cum prius, despondente ei Nerone, cui ante nupta fuerat, Liviam, auspicatis reipublicae ominibus duxisset eam
3 uxorem, Pompeio Siciliaeque bellum intulit. Sed virum humana ope invictum graviter eo tempore fortuna concussit. Quippe longe maiorem partem classis circa Veliam Palinurique promontorium adorta vis Africi laceravit ac distulit. Ea patrando bello mora

nuper victoria elatum. Aurel. Vict. epit. c. II. *Igitur Domitianus maculosae adolescentiae* etc.

§. 2. *hac classi*] Ita Ed. pr. et Amerb. — Vascosanus et Ed. Basil. scripserunt *hac classe,* probante Ruhnkenio et Orellio. Non opus esse iam vidit Krausius; cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II, 1. p. 228. Drakenborch. ad Liv. XXIII, 41, 8. et Kreyssig. ad eund. XXXII, 8. p. 164.

despondente ei] Heinsius deleri voluit *ei.*

ominibus] Amerb. *hominibus.*

eam uxorem] Popma coniecit *iam uxorem;* — Heinsius *eam* censuit delendum; — Burmannus, quo *eam* tueretur, paullo ante scribi voluit *cui ante nupta fuerat Livia;* — Ruhnkenius pronomen, velut sine sensu positum, abundare censuit; — Krausius vel perspicuitatis caussa, vel ad nomen significantius efferendum putat positum. Sed res simplicior est. *Liviam* enim, quam vocem omnes perperam retulerunt ad sequentia, pendet ex *despondente;* quo fit, ut *eam* legitime ad iustam structurae rationem cum verbis *duxisset uxorem* coniungatur. Ceterum locus structurae ratione pertinet ad id genus, de quo egimus in Prolegg. c. II. p. LXXII.

§. 3. *distulit*] Gelenius apud Orellium coniecit *dispulit,* quod vulgatâ videri possit accommodatius; sed in ea acquiesci posse ostendunt loci ab editoribus allati. Tacit. Histor. V, 23, extr. *Castra in plano sita vi fluminis differebantur.* Lucret. I, 272. *Venti vis — nubila differt.* Virg. Georg. III, 197. *Aquilo quum — hiemes atque arida differt nubila.*

dubia et interdum ancipiti] Acidalius coniecit *dubia*

fuit, quod postea dubia et interdum ancipiti fortuna gestum est. Nam et classis eodem loco vexata est 4 tempestate, et ut navali primo proelio apud Mylas ductu Agrippae pugnatum prospere, ita inopinato classis adventu gravis sub ipsius Caesaris oculis circa Tauromenium accepta clades; neque ab ipso periculum abfuit. Legiones, quae cum Cornificio erant legato Caesaris, expositae, in terra paene a Pompeio oppressae sunt. Sed ancipitis fortuna temporis mature 5

interdum et ancipiti; — Burmannus *dura et interdum ancipiti;* — Bothius *indubia, sed interdum ancipiti;* — Ed. Bipont. *quod post industria, et interdum ancipiti.*

§. 4. *classis adventu*] Heinsius coniecit *classis Pompeianae* (quod Herelius p. 569. commendavit), vel *inimicae*, vel *adversae* (quod Ruhnkenius amplectitur) *adventu;* — Halmius in Annall. crit. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 340. *classis adversariae adventu;* — Graevius in Epp. Syll. Vol. IV. p. 414. *classis hostilis adventu;* — Grunerus *hostis adventu;* — Bothius *ducis adventu.* — Quae coniecturae omnes quamquam tales sunt, quibus perspicuitatem adiuvari dicas, nulla tamen mutatione opus videtur. Nam quum ad rerum nexum attendenti minime obscurum esse possit verba *classis adventu* de Pompeiana vel hostili classi esse intelligenda, Velleii potius negligentia, quam librarii culpa factum est, ut vocabulum desit, quo haec classis a Caesaris, quae initio periodi memoratur, discernatur. Ista familiaris sermonis incuria, qua sensui supplendum aut eruendum relinquitur, quod disertis verbis accurate erat dicendum, ad idem genus pertinet, quod cernitur in tacita subiecti mutatione, de qua re egimus ad I, 13, 3. cf. Prolegg. c. II. p. LXIV sqq.

expositae, in terra paene] Interpunctionem, quae hucusque obtinuit, *expositae in terra, paene* etc. ita mutavimus, ut comma post *terra* sublatum collocaremus post *expositae*, quam rem non magis universus linguae usus, quam singularis huius loci ratio postulat. Nam ubi agitur de militibus *ex navibus in terram transferendis*, i. e. ubi ipsa *actio* exponendi, non *locus* respicitur, necessario accusativus requiritur, quod mirum est vidisse

virtute correcta. Explicatis quippe utriusque partis classibus paene omnibus exutus navibus Pompeius Asiam fuga petivit, iussuque M. Antoni, cuius opem petierat, dum inter ducem et supplicem tumultuatur, et nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, a Titio
6 iugulatus est. Cui in tantum duravit hoc facinore contractum odium, ut mox ludos in theatro Pompei faciens exsecratione populi spectaculo, quod praebebat, pelleretur.

Herzogium ad Caes. B. C. I, 31, extr. p. 96., et tamen defendere ablativum. Sed ne corrigamus *in terram*, quod sane facile foret, primum hoc obstat, quod ista verba h. l. plane otiosa essent, (nam *exponere* per se sufficit, ut apud Caes. B. C. III, 29, 1. id. B. G. IV, 37, 1.) tum maxime, quod oppositio sententiarum, studiose a Velleio quaesita, flagitat coniungi *in terra oppressae sunt*, quo clades *terrestris* opponatur cladi paullo ante ad Tauromenium *mari* acceptae. Similiter, sed de Caesare, Appianus B. C. V, III. p. 855. *Τὰ μὲν οὖν πεζὰ πάντα Κορνιφικίῳ παραδοὺς ὁ Καῖσαρ ἐκέλευσε τοὺς κατὰ τὴν γῆν πολεμίους ἀπομάχεσθαι, καὶ πράσσειν ὅ τι ἐπείγοι. αὐτὸς δὲ ταῖς ναυσὶν ἔτι πρὸ ἡμέρας ἀνήγετο ἐς τὸ πέλαγος, μὴ καὶ τοῦδε αὐτὸν ἀποκλείσαιεν οἱ πολέμιοι.*

§. 5. *ancipitis fortuna temporis*] Bothius scripsit *ancipitia fortunae et temporis.*

fuga] Amerb. *fugam.*

mature virtute] Ed. pr. et Amerb. *matura virtute.* Ruhnkenii coniectura *mature virtute*, dubitanter ab ipso proposita propter locum dissimillimum II, 125, 3. *sed haec omnia veteris imperatoris maturitas brevi sopiit ac sustulit*, verissima est ac certissima. Nam *matura virtus* nihil aliud significat, quam adultam ac diuturna experientia consummatam virtutem, quae neque Octaviano tribui potuit, neque, si posset, huic loco conveniret, ubi Velleius hoc dicit, res Caesaris afflictas *brevi tempore* in melius virtute fuisse mutatas. Cui sententiae *mature* unice convenire quivis videbit. Similiter I, 17, 6. et II, 10, 1. eadem vox in *natura* abiit.

LXXX. Acciverat gerens contra Pompeium 1
bellum ex Africa Caesar Lepidum cum duodecim semiplenis legionibus. Hic vir omnium vanissimus neque ulla virtute tam longam fortunae indulgentiam meritus exercitum Pompei, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed Caesaris auctoritatem ac fidem, 2
sibi iunxerat, inflatusque amplius viginti legionum numero in id furoris processerat, ut inutilis alienae victoriae comes, quam diu moratus erat dissidendo

LXXX, 2. *inutilis alienae victoriae*] Burer. et Amerb. *inutilis in alienae victoriae;* Ed. pr. *inutilis alienae victoriae,* ex tacita, sed verissima Rhenani correctione; nam *in* librario excidit, qui per somnolentiam praegressam vocem iterum scribere inciperet, et errore animadverso, ne exemplum litura foedaret, illatam syllabam intactam relinqueret. — Burerius coniecit *inutilis in aliena victoria,* quod Ruhnkenius inconsulto probavit; repugnat enim cum ipsa corruptelae natura, tum loquendi usus; cf. I, 9, 6; II, 53, 2; II, 59, 3; II, 66, 5; II, 76, 2; II, 100, 5; II, 102, 3; II, 118, 2. — Laurentius in Locis Vell. p. 84. *inutilissimus,* vel *inutilis licet alienae victoriae;* — Bothius delevit verba *alienae victoriae,* ut glossema.

quam diu] Amerb. *quamdiu.*

dissidendo in consiliis Caesaris] Ita Ed. pr. et Amerb., quam scripturam sanissimam esse bene ostendit Laurentius in Locis Vell. p. 83. *Dissidendo* enim absolute est positum, ut saepe; cf. Nep. Dion. c. VIII, 2. *Quod inimici eius dissidenti suos sensus aperturi forent.* Plin. H. N. XXIX, 1, 5. *Dissederunt hae diu scholae.* Id. X, 74, 95. *Dissident olores et anseres.* Sensus igitur est: victoriam diu moratus erat Lepidus eo, quod *in Caesaris consiliis,* i. e. in consultationibus a Caesare habitis (v. Herzog. ad Caes. B. G. 1, 40.) *dissidebat,* i. e. ut Velleius ipse sententiam explicans addit, semper *diversa iis, quae aliis placebant, dicebat.* — Acidalius coniecit *dissidendo in consiliis Caesari;* — Halmius in Emendd. Vell. p. 14. *dissidendo consiliis Caesaris.*

in consiliis Caesaris et semper diversa iis, quae aliis placebant, dicendo, totam victoriam ut suam interpretabatur, audebatque denuntiare Caesari, excederet
3 Sicilia. Non ab Scipionibus aliisque veteribus Romanorum ducum quicquam ausum patratumque fortius quam tunc a Caesare. Quippe cum inermis et lacer-

iis, quae] Ed. pr. et Amerb. *his, quae.* Correxit Orellius; v. ad I, 2, 2.

totam] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *tutam*, Rhenani vel typographi errore.

interpretabatur, audebatque] Ed. Basil. coniecit *interpretaretur audebatque;* — Ruhnkenius *interpretaretur, auderetque.* — Nihil mutandum esse praeeunte Grubitzio in Emendd. Oros. p. 41. recte iudicavit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 445. Velleius enim longiore oratione interiecta ab incepta structura ita abductus est, ut oblitus *ut* particulae sic continuaret verba, quasi supra tali fere modo esset locutus: Lepidus inflatus — numero *ad summam insaniam et paene furorem processerat; nam inutilis alienae victoriae comes* — totam victoriam ut suam *interpretabatur, audebatque* etc. A similibus anacoluthis ne Ciceronem quidem cavisse iam Grubitzius et Haasius ll. ll. monuerunt; v. Matthiam in Wolfii Annall. Lit. Vol. II. p. 20. Beier. ad Cic. Off. III, 10, 45. et Henrichsen. ad eund. de Orat. II, 1, 4. p. 137.

§. 3. *aliisque*] Orellius scripsit *aliisve*, sine ulla caussa, quum etiam *que* particula disiunctivis sententiis nectendis recte adhibeatur, siquidem universa *copulandi* vis etiam ad ea, quae disparis sunt generis, comprehendenda valet. Idem iudicavit Kreyssigius Praef. p. XLIV. coll. Walchio in Emendd. Liv. p. 53 sq. v. annotationem nostram ad Sall. Cat. c. VIII, 1. p. 43. et cf. supra I, 16, 2.

evitatis, quae iussu hominis pravissimi tela] Amerb. non habet *tela.* Inde Orellius, maiorem Amerbachio, quam Rhenano et Burerio fidem tribuens, coniecit excidisse iam in cod. Murb. vocabulum necessarium, ac Rhenanum mala coniectura *tela* post *pravissimi* intulisse, quum Velleius potius scripserit *evitatis telis, quae* etc., eamque opinionem Kreyssigius Praef. p. XLIV. secutus est. Potuisse Velleium ita scribere, facile con-

natus esset, praeter nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi, evitatis, quae iussu hominis pravissimi tela in eum iacta erant, cum lacerna eius perforata esset lancea, aquilam legionis rapere ausus est. Sci- 4
res, quid interesset inter duces. Armati inermem secuti sunt, decimoque anno, quam ad indignissimam

cedas; sed non scripsisse, ut est in Ed. pr., inani conatu probabitur. In aprico est enim attractione *tela* vocabulum, quod ad primariam enunciationem pertinet, in secundariam esse traductum, de quo genere egit Kruegerus de Attract. §. 75 sqq. p. 179 sqq., quamquam paullo insolentior in ea structura est ablativus; nam si dictum fuisset *quum evitasset quae — tela in eum iacta erant*, nihil prorsus esset, quod a tritissimo usu recederet.

iacta] Ed. pr. et Amerb. *acta*, quod Ruhnkenius praeeuntibus Heinsio et Burmanno perperam defendit, quia *agere tela* non minus recte dicatur, quam *adigere*. Quasi omnia, quae per se recta sunt, ubique dici possint! Neutrum enim huic loco convenire peculiaris horum verborum potestas ostendit, quum *agere* vel *adigere telum, ensem, hastam* significet *corpus, vi immisso telo, transfodere;* cf. Sil. Ital. XII, 240. *Et fugientis agit costis penetrabile telum.* Curt. IX, 5. *Ingens telum adactum erat, et penetrasse in viscera videbatur.* Praeterea *adigere telum* dicitur de missilibus, eum locum, qui petitur, *attingentibus;* cf. Caes. B. C. III, 51. *Tumulus tantum aberat a nostro castello, ut telum tormentumve missum adigi non posset.* ibid. III, 56. *Tantum a vallo eius prima acies aberat, uti ne in eam telum tormentumve adigi posset.* Quae quum ita sint, non dubitari potest quin Ed. Basil. recte scripserit *iacta*, cuius vocabuli prima littera praecedenti *m* absorpta est.

§. 4. *ad indignissimam*] Ed. pr. et Amerb. *ad in dissimillimam.* Ne vocem *dissimillimam* incorruptam putes, praeter ieiunam ac paene absurdam sententiam obstat tum sequentium nominum sextus casus, tum praecedens *in* vocula, quae utraque quomodo orta sint, si *dissimillimam* a Velleio scriptum fuit, non intelligitur. Quare pariter acuta atque vera est Ruhnkenii emendatio *ad indignissimam*, quippe quae et sensui egregie satisfaciat, et corruptelae originem et naturam planissime aperiat.

vita sua potentiam pervenerat, Lepidus, et a militibus et a fortuna desertus pulloque velatus amiculo, inter ultimam confluentium ad Caesarem turbam latens, genibus eius advolutus est. Vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt, spoliata, quam tueri non poterat, dignitas.

Nimirum *in* avulsum pro integra particula habitum est, v. Prolegg. c. III. p. C sqq.; *dissimillimam* autem ortum est ex compendio scribendi dſſſm̃, perperam intellecto et soluto v. Prolegg. c. III. p. XCVIII. Iam *indignissimam* multo efficacius quam *dissimillimam* dictum esse in summam Lepidi ignominiam, quo aperte spectant haec Velleii verba, neminem fugiet. Nam *digna aliqua re* dicuntur ea, quae rei alicui congrua sunt; quare, ut turpitudine aliqua dignum est id, quod eâ meritum est, et tanquam iusta poena contractum (cf. II, 112, 7. *Dignum furore suo habuit exitum.* II, 91, 4. *Cum consciis facinoris mortem dignissimam vita sua obiit),* ita *re turpi indignum* est id, cui ob praestantiam suam male cum illa convenit. Igitur *potentia Lepidi vita indignissima* est *insignis potentia, neutiquam illius vitae congrua, quippe quam ignavia minime meritus esset.* — Burerius coniecit *ad in diis simillima vita;* — Vascosanus *ad dissimillimam vitae suae;* — Iunta *ad indissimillimam vitae suae;* — Ed. Bipont. *ad dissimillimam menti suae;* — Bothius *in dissimillimam vitae suae;* — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 38. scripturam Ed. pr. probat, quia *ad in* particulae per pleonasmum iunctae sint.

tueri] Burer. et Amerb. *intueri;* Ed. pr. *tueri,* ex tacita, sed certissima Rhenani correctione; nam *in* natum est ex praegresso *m* (v. Prolegg. c. III. p. CXII.), *tueri* autem proprie valet rem in potestate sua ita retinere, ut detrimentum capere non possit; cf. Herzogium ad Caes. B. G. I, 31. — Acidalius coniecit *vi tueri,* quod probavit Doederlinus in Synonym. Lat. Vol. IV, p. 335. et Kreyssig. Praef. p. XLV. Sed licet litterarum apices huic coniecturae faveant, sententia ipsa prorsus repugnat, siquidem turpe non est aliquam rem *vi* tueri non posse; at omnino *tueri non posse,* quia *tueri* est ingenii, auctoritatis, virtutis, sane turpissimum. Ista autem turpitudine Velleius Lepidum notatum voluit.

LXXXI. Subita deinde exercitus seditio, qui 1
plerumque contemplatus frequentiam suam a disciplina
desciscit, et, quod cogere se putat posse, rogare non
sustinet, partim severitate, partim liberalitate discussa
principis. Speciosumque per id tempus adiectum sup- 2
plementum Campanae coloniae; **** eius relicti erant

LXXXI, 1. *Subita deinde*] Boxhornius coniecit *secuta deinde.*

§. 2. *id tempus*] Amerb. *idem tempus*, quod Orellius vulgatae praetulit.

*coloniae; * * * * eius relicti erant publici.*] Lacunae maioris signum posuimus post *coloniae;* nam deesse aliquid fere nemo fuit editorum, quin videret; sed errant, qui locum vel suppleto, vel inserto *agri* vocabulo sanari posse putant, quum sic quoque neque constructionis ratio pateat, et sententiarum nexus abruptus et prorsus obscurus sit. Aliquantum lucis affert sane Dio Cass. XLIX, 14. p. 579. *Οὕτω μὲν οὖν τότε τοὺς στρατιώτας κατέστησε. Καὶ τὸ μὲν ἀργύριον αὐτίκα, τὴν δὲ χώραν οὐ πολλῷ ὕστερον αὐτοῖς ἔδωκεν. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ τότε οὖσα, προσεξεπρίατο ἄλλην τε καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνὴν (καὶ γὰρ ἐποίκων ἡ πόλις πολλῶν ἐδεῖτο), καὶ αὐτοῖς τό, τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὠνομασμένον, ὑφ' οὗ καὶ ταμάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται, τήν τε χώραν τὴν Κνωσίαν, ἣν καὶ νῦν ἔτι καρποῦνται, ἀντέδωκε.* Ex quo loco ut hoc patet, Octavianum, quum ager *Romanorum* publicus non sufficeret veteranorum praemiis, a Capuae civibus emisse non privatos singulorum agros, sed *Campanae civitatis publicos*, quippe quos Romani illis reliquerant et concesserant, ita simul intelligitur Velleium eandem quidem rem narrare, sed quibus verbis id fecerit probabili ac certa coniectura definiri non posse. — Ed. Basil. coniecit *eius reditus erant publici;* — Lipsius *eius reliqui erant publici;* — Heinsius *eius resecti erant publici;* — Ruhnkenius *agri eius relicti erant publici;* — Grunerus *eius relicta emta publice;* — Bothius *eius relicta erant publica;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 171. *coloniae. Agri eius relicti erant. Publice pro his.*

publici. Pro his longe uberiores reditus duodecies sestertium in Creta insula redditi, et aqua promissa, quae hodieque singulare et salubritatis instrumentum
3 et amoenitatis ornamentum est. Insigne coronae classicae, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Victor deinde Caesar reversus in urbem contractas emptio-

promissa] Heinsius coniecit *permissa*, quod perperam a plurimis editoribus probatum receptumque esse bene ostendit Krausius. Nam aquaeductus ille, quo Campanos ob concessos sibi agros publicos remunerabatur Octavianus, non continuo, ut reditus Cretenses, iis dari potuit, utpote magno opere moliendus, sed *tum* quidem *promissus*, et *postea exstructus est;* non vanum enim fuisse promissum, sed cum fide praestitum Velleius ipse significat verbis sequentibus *quae hodieque singulare — ornamentum est.* Consentit Dio Cassius, qui verbis supra laudatis subiicit: ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον ἐγένετο. Similiter paullo post §. 3. templum Apollinis *promissum* dicitur.

instrumentum] Ed. pr. et Amerb. *instar*, nullo prorsus sensu. Felicissime Cludius perspexit ineptam vocem nihil aliud esse, quam vocabuli *instrumentum* compendium, qua emendatione sensui egregie consulitur; *instrumentum* enim dicitur, quicquid alicui rei inservit; cf. Cic. Brut. c. 97, 331. *Qui ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento.* Tacit. Hist. IV, 7, extr. *Nullum maius boni imperii instrumentum, quam bonos amicos.* ib. I, 22. *Multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant.*

meruit. Victor deinde] Amerb. *meruit victor. Deinde.*

contractas emptionibus] Cludius, in structura et sensu vocis *contractas* haerens, coniecit *emptionibus per procuratores factis, contractas complures domos, quo laxior fieret ipsius;* vel etiam *coëmptas compluris domos* etc.

laxior] in Amerb. superscriptum est *laxius.*

Apollinis] Ed. Basil. scripsit *Apollini.*

munificentia] Lipsius et Cludius maluerunt *magnificentia.*

LXXXII, 1. *tam prospere finivit in Sicilia bellum, for-*

nibus compluris domos per procuratores, quo laxior fieret ipsius, publicis se usibus destinare professus est; templumque Apollinis, et circa porticus facturum promisit, quod ab eo singulari exstructum munificentia est.

LXXXII. Qua aestate Caesar tam prospere 1
finivit in Sicilia bellum, fortuna in Caesare et repu-

tuna in Caesare et republica inclinavit] Ed. pr. *tam prospere Libium in Sicilia bene fortuna in Caesare et rep. militavit;* neque aliter Amerb., nisi quod pro *bene* habet *Bn̄.* Quam foede depravati loci emendationem nostram in textu expressimus, sensu plane congruit cum Ruhnkeniana coniectura, sed mutationibus multo facilioribus et probabilioribus nititur. Nam licet aliquantum dissimilia videantur *libium* et *finivit*, tamen, si reputes hoc finin^{t} fuisse scriptum, non incredibile putabis *f* confusum esse cum l, *n*, praesertim si prima linea paullo longior fuit, abiisse in *b*, et *nt* coiisse in *m*. Tum bn̄, quod potius bū fuisse crediderim, pari paene litterarum *u* et *n* forma, compendium esse *bellum* vocis, per se nihil habet absoni, quum ad eandem normam *aē* scribatur pro *animae*, *ān* pro *annum*, *bō* pro *bona*, *bn*^{a} pro *beneficia*, *cā* pro *causa*, *crī* pro *crimini*, *dce* pro *duplicem*, *dim̄* pro *dimidium*, *dō* pro *dona*, *gr̄* pro *gratia*, *lū* vel *lm̄* pro *lumen*, *mā* pro *materia*, et innumera alia, quae eadem, vel maiore etiam compendiorum brevitate et obscuritate sunt notabilia; sensu autem ita evincitur *bellum* h. l. scriptum fuisse, ut de veritate huius vocis nulla dubitatio esse possit. Denique *inclinavit* verbi, quod Sauppius apud Orellium coniecit, duae syllabae priores quam parum discrepent a *mili*, ut facillime haec confundi possint, in oculos incurrit; quo errore semel comisso, nihil proclivius fuit librario, quam ut coniectura *n* mutaret in *t*, quo verbum *militavit* prodiret. *Inclinare* intransitivo sensu frequenter dicitur quum de rei alicuius in deterius mutatione, tum de improspero rerum bellicarum successu; cf. Drakenborch. ad Liv. III, 61, 4. *At si fortuna belli inclinet, omnium liberis — periculum fore.* id. II, 20, 11. *Tum demum perculsa inclinavit acies.* VI, 32, 8. *Ut semel inclinavit pugna.* Tacit. Ann. XV, 21, 4. *Initia magistratuum nostrorum meliora ferme, et finis inclinat.* Velleius ipse supra II, 52,

blica inclinavit ad Orientem. Quippe Antonius cum tredecim legionibus ingressus Armeniam ac deinde Mediam, et per eas regiones Parthos petens, habuit
2 regem eorum obvium, primoque duas legiones cum

4. et II, 55, 1. Iam loci ita constituti sensus est: qua aestate Caesar tam *prospere* finivit *in Sicilia* bellum, eâdem fortuna rebus Caesaris ac reipublicae (quippe quae iam tum a se invicem separari non possent) *minus prospera* fuit *in Oriente.* De constructione *in* praepositionis v. ad II, 31, 3. *Ad Orientem* pro *in Oriente,* quod iterum legitur infra II, 101, 3. *Omnibus ad Orientem visis provinciis,* dictum est ut *apud Asiam* pro *in Asia,* apud Tacit. Ann. IV, 13, 1. — Rhenanus pro *Libium* coniecit *Lepidum;* — Bonhommaeus *in Lepidum;* — Schegkius *tam prospere in Lepidum in Sicilia, paene fortuna in Caesarem et remp. militavit ad Orientem;* — Acidalius *quam Caesari prospera in Lepidum in Sicilia, tam scaeva fortuna in Caesarem et remp. militavit ad orientem;* — Heinsius *tam prospere pro re civium in Sicilia, paene fortuna in Caesarem et remp. mil. ad or.;* — Burmannus *tam prospere in Lepidum in Sicilia, bene fortuna pro Caesare et rep. mil. ad or.;* — Ruhnkenius *tam prospere sepelivit in Sicilia bellum, fortuna in Caesare et rep. mutavit ad or.;* — Orellius *tam prospere sepelivit in Sicilia bellum, fortuna inconcussa in Caesare et rep. nutavit ad Or;* — Cludius *tam prospere in Lepidum in Sicilia, eâ paene Fortuna in Caesarem et remp. mil. in or.;* — Bothius *tam prospere liberata est Sicilia, bona fortuna in Caesare et rep. mutavit ad Or.;* — Christius in Noctt. Acad. Spec. I. p. 38. *tam prospere Lepidum in Sicilia vicit, fortuna pro Caesare et rep. mil. ad or.;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 171. *etiam prospere in Lepidum in Sicilia, Fortuna* etc.; — Luxdorphius in Iahnii Nov. Ann. Phil. et Paed. Suppl. I, 2. p. 171. *tam prospere bellum in Sicilia, bene fortuna in Caesare et rep. mil. ad Or.;* — Laurentius in Locis Vell. p. 84. *tam prospere bellum finivit in Sicilia, minus bene fortuna in Caesare et rep. mil. ad Or.;* — Halmius in Emendd. Vell. p. 14. *tum prospere dimicavit in Sicilia, belli fortuna, in Caesare et rep. mitis, labavit ad Or.;* — Huthius in

omnibus impedimentis tormentisque et Statiano legato amisit; mox saepius ipse cum summo totius exercitus discrimine ea adiit pericula, quibus servari se posse desperaverat, amissaque non minus quarta parte mili-

Quaestt. critt. p. 15. *tam prospere rem civium in Sicilia tenet, fortuna in Caesarem et remp. mil. ad Or.*; — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 150. *tam propere litavit in Sicilia bonae Fortunae, incassum rem reipublicae militavit adversus Orientem Antonius. Quippe* etc.; — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 72. p. 599. *tam prospere pro libertate civium in Sicilia, bona fortuna pro Caesare et rep. mil. ad Or.*; — Censor in Ephemm. litt. Gotting. a. 1779. Addit. p. 120. *tam prospere in Sicilia, bene fortuna militavit ad or.*; — Rosenheynius in Lectt. Vell. p. 16. *tam prospere sepelivit in Sic. bellum, fortuna in Caesare et rep. militavit ad Orientem*; — Krausius eiicienda censet verba *in Caesare et republica*, non assecutus, quam urbanam ea habeant adulationem.

cum tredecim legionibus] Freinshemius ad Flor. IV, 10, 10. scribendum censet *cum XVI legionibus*; hunc enim numerum Antonio tribuunt Florus l. l. et Iustin. XLII, 5, 3. Et potuit sane XVI in XIII depravari (v. Prolegg. c. III. p. XLIII), sed res nimis incerta est.

ingressus] Ed. pr. et Amerb. *egressus*; quippe *i*, compendium *in* praepositionis, in *e* corruptum; v. Prolegg. c. III. p. LXXXVIII. Correxit Ed. Basil.

§. 2. *quibus*] Heinsius coniecit *e quibus*; — Kreyssigius Praef. p. XLIV. *a quibus*, quod probavit Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1837. Vol. I. No. 60. p. 479.; — Burmannus comparans II, 28, 2. *ad vindicandam maximis periculis rempublicam*, ablativum *quibus*, sine praepositione ex *servari* verbo pendere posse statuit, quod nobis secus videtur, quamquam nulla mutatione opus esse putamus. *Quibus* enim, id quod Cludius recte vidit, non coniungendum est cum *servari*, sed cum *desperaverat*, hoc sensu: *quibus ad desperationem de salute sua adactus erat.*

servari] Herelius p. 569. coniecit *vindicari*.

desperaverat] Bothius scripsit *desperaverit*.

tum captivi cuiusdam, sed Romani, consilio ac fide servatus, qui clade Crassiani exercitus captus, cum fortuna non animum mutasset, accessit nocte ad stationem Romanam, praedixitque, ne destinatum iter
3 peterent, sed diverso silvestrique pervaderent. Hoc M. Antonio ac tot illis legionibus saluti fuit, de quibus tamen totoque exercitu haud minus pars quarta, ut praediximus, militum, calonum servitique desiderata tertia est; impedimentorum vix ulla superfuit.

fide servatus] Ed. Basil. *fide est servatus;* — Orellius *fide servatus est.* Quodsi utique opus est verbo substantivo, potius post *fide*, quam post *servatus* ponendum censemus cum Kreyssigio Praef. p. XLV.; nam si affuit, facile potuit extremâ litterâ intercipi. Sed Ruhnkenio assentimur, id abesse posse iudicanti; v. ad. II, 55, 1.

fortuna] Ita Burer. et Amerb.; *fortunam* Ed. pr., ex falsa Rhenani coniectura, quam plerique editores temere receperunt. Vulgatae sensus simplicissimus est: quum fortuna, i. e. captivitas, non alium ei animum indidisset, i. e. quum etiam in captivitate et servili condicione amorem patriae animumque de Romanorum gloria et salute sollicitum retinuisset. Eadem sententia usus est Sallustius Hist. Fr. Inc. 17. ed. Gerl. (p. 999. ed. Cort.) *Malae secundaeque res opes, non ingenium mihi mutabant*, i. e. varia rerum et fortunae condicio mihi varias quidem opes, at non varium ingenium attulere. Quae verba non intellecta Krausium seduxerunt ut coniiceret *cum fortuna statum, non animum mutasset.* Negationem Velleius propterea non posuit ante *mutasset*, quia verba *animum mutare* unius notionis vi intelligi voluit.

destinatum] Amerb. *praedestinatum;* scilicet *prae* haesit eius animo ex *praedixit.*

iter peterent] Burmannus tentabat *iter pergerent.* Vulgatam recte defendit Ruhnkenius coll. XLIV, 2, 9. *Perseus, quod iter petiturus esset, ignarus.* Cic. p. Planc. c. 40, 96. *Iter a Vibone Brundisium terra petere contendi.* Ovid. ex

Hanc tamen Antonius fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat. Qui tertia aestate reversus in Armeniam regem eius Artavasden, fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset, aureis vinxit. Crescente deinde et amoris in Cleopatram incendio 4 et vitiorum, quae semper facultatibus licentiaque et assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriae inferre constituit, cum ante novum se Liberum Patrem appellari iussisset, cum redimitus hederis coronaque

P. III, 2, 79. *Quove parum fausta puppe petistis iter.* v. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. XLIV, 2, 5.

§. 3. *ac tot illis*] Ed. pr. et Amerb. *acto illis.* Facillima ac certissima emendatione locum sanavit Heinsius. De corruptelae genere v. Prolegg. c. III. p. CIII. Aldus Nepos coniecit *hoc M. Antonii octo illis* etc.; — Ursinus *hoc M. Antonius acto, illis;* — Ed. Basil. *atque illis;* — Lipsius *ac tot legionibus;* — Vossius *ac tot illius;* — Burmannus *ac tot reliquis;* — Ruhnkenius *atque illius legionibus.*

vivus] Amerb. *vivos.*

§. 4. *cum redimitus*] Heinsius necessarium putavit *tum redimitus.*

coronaque] Ruhnkenius scripsit *crocotaque,* quam vestem, Graecis κροκωτόν dictam, Baccho fuisse propriam docta disputatione ostendit. Sed id parum ad hunc locum, quem perperam intellexit. Nam verba *redimitus hederis* non obstant quominus simul *corona velatus* dicatur, quum hederis non caput solum, sed humeri maxime et pectus redimita essent. *Corona* autem *velari* quamquam insolenter est dictum, tamen non est sine exemplo, quum ita locutus sit Ovidius Epp. ex Pont. IV, 14, 55. *Tempora sacrata mea sunt velata corona;* ac si cogites coronam fuisse *mitrae* impositam, quam capiti circumdederat, multo magis excusatum erit *velatus* verbum. Certe minor est in vulgata dictionis insolentia, quam in Ruhnkenii coniectura; nam quum crocota esset vestis tenuissima ac pellucida et crocei coloris, quomodo *aurea* dici potuerit non intelligitur. His fere argumentis Orellius Sauppio auctore vulgatam scripturam recte tuetur.

velatus aurea et thyrsum tenens cothurnisque subnixus curru velut Liber Pater vectus esset Alexandriae.

1 LXXXIII. Inter hunc apparatum belli Plancus non iudicio recta legendi neque amore reipublicae aut Caesaris, quippe haec semper impugnabat, sed morbo proditor, cum fuisset humillimus assentator reginae et infra servos cliens, cum Antoni librarius, cum
2 obscoenissimarum rerum et auctor et minister, cum

subnixus] Ed. pr. et Amerb. *succinctus*, quod aperte falsum est, quum *succingi* dicantur vestes, quae discinctae *defluunt*. Quare felicius hic Ruhnkenium coniecisse putamus *subnixus*, quod confirmavit his locis: Horat. A. P. 280. *Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.* Ovid. Amorr. III, 1, 31. de tragoedia: *pictis innixa cothurnis.* Plin. Epp. IX, 7. *Hanc tragoediam appellare soleo, quod quasi cothurnis, illam comoediam, quod quasi socculis sustinetur.* — Cludius coniecit *suras vinctus*, vel *suras cinctus*; — Orellius in vulgata levem modo ἀχνρολογίαν videt, facile ferendam.

LXXXIII, 1. *legendi*] Bothius scripsit *legendo*.

impugnabat] Burmannus maluit *impugnarat*.

assentator] Ruhnkenius coniecit *assectator*, quia ita postulet verbum *humillimus*, et adiecta *infra servos cliens*. Quae ratio tam vana est, ut refutatione non egeat; neque persuasit ille Krausio, Cludio, Orellio.

§. 2. *in omnia et in omnibus*] Ed. Basil. scripsit *in omnia et omnibus*, in quod etiam Lipsius incidit, professus se non intelligere quid in vulgata inter utrumque intersit. At multum interest, siquidem *in* cum accusativo pertinet ad rem *agendam*, cum ablativo ad rem *actam*, ut sensus sit: nihil erat, in quod eius opera *emi non posset*, nihil in quo *empta non esset*, ita ut neque praeterito, neque futuro tempore quicquam eius nequitiae relictum esset. De priore *in* praepositionis potestate cf. Hand. de Particc. Latt. Vol. III. p. 318; de posteriore eund. ib. p. 292 sqq. — Heinsius coniecit *in omnia omnibus*.

refrigeratus] Cludius coniecit *reprehensus et castigatus*; Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 150. *perfricatus*, quod Halmius in Zimmermanni Annall. Studd. Antiq. a. 1837. No. 110.

in omnia et in omnibus venalis, cum caeruleatus et nudus caputque redimitus arundine et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in convivio, refrigeratus ab Antonio ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Caesarem. Et idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur, dictitans id probatum a Caesare, cui ille ignoverat. Mox autem hunc avunculum Titius imitatus est. Haud 3

p. 903. admodum commendat. Sed nihil est mutandum; nam verba *refrigeratus ab Antonio*, quae nemo adhuc intellexit, hunc sensum habent: *frigore contracto alienatus ab Antonio*, quocum egregie convenit quae huius refrigerationis subiicitur caussa. Nimirum *a* praepositio in hac sententia non *actionis*, sed *loci* i. e. *remotionis* vel *alienationis ab aliquo* vim habet, de qua v. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 37 sqq. Ut autem *frigus* dicitur de exstincto cuiusvis rei studio atque ardore, ita *refrigerari* est *frigore corripi*, et *refrigerari ab aliquo* significat *frigore correptum ab aliquo alienari*, vel simpliciter *alienari ab aliquo*, quamquam vix aliud huius dictionis exemplum suppetit. Ceterum in Ed. pr. perverse comma ponitur post *saltasset;* non magis perverse Ruhnkenius interpungens post *refrigeratus*, verba *ab Antonio* coniungit cum *transfugit;* denique Krausius, quem sequitur Kreyssigius Praef. p. XLV., comma posuit post *Antonio*, *refrigeratus* explicans *frigide exceptus vel spectatus ab Antonio*, sc. quum Glaucum saltasset.

Mox autem hunc avunculum] Burer. et Amerb. *mox autem hunc mox avunculum;* Ed. pr. ita, ut edidimus, ex tacita Rhenani correctione; nam alterum *mox* in cod. Murb. aperte scribae somnolentia illatum est, in quo genere quam saepe peccatum fuerit ostendimus in Prolegg. c. III. p. CXIII. — Heinsius coniecit *mox autem hunc noxa avunculum;* — Orellius *ignoverat, vix tamen. Hunc mox avunculum;* — Bothius *Artem hanc mox avunculi M. Titius;* — Laurentius in Locis Vell. p. 86. *mox avunculum*, deletis tribus vocibus antecedentibus. Profecto omnes, dum longinqua et abstrusa quaerunt, non viderunt quod ante pedes fuit.

Titius] Lipsius addidit praenominis notam *M. Titius*, quo

absurde Coponius, vir e praetoriis gravissimus, P. Sili socer, cum recens transfuga multa ac nefanda Plancus absenti Antonio in senatu obiiceret: Multa, inquit, mehercules fecit Antonius pridie, quam tu illum relinqueres.

hic non magis opus est, quam supra II, 77, 3. et II, 79, 5. in eodem nomine, et alibi in aliis; cf. Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 208.

§. 3. *Coponius*] Kreyssigius Praef. p. XLV. scribendum censet *C. Coponius.* v. not. praeced.

vir e praetoriis] Ed. pr. *vir praetorius,* ex tacita Rhenani mutatione; Burer. et Amerb. *vir. E. praetorius.* Verum restituit Schegkius; nam quum *e* littera, casu forma maiuscula exarata, non amplius pro praepositione haberetur, nihil fuit facilius, quam ut librarius *praetoriis*, quod cum sequenti voce coniungendum putavit, mutaret in *praetorius,* praesertim terminationibus *is* et *us* propter similitudinem saepius confusis; v. Prolegg. c. III. p. XCV et XCI. Dictionem *vir e praetoriis* Ruhnkenius immerito sine exemplo esse dicit, haud raro enim loco adiectivi attributivi ponitur vel substantiva eiusdem vocis forma, vel aliud substantivum, cum *e* praepositione; cf. supra II, 30, 1. *M. Perperna, praetorius, e proscriptis, gentis clarioris quam animi;* ubi Krausius comparavit Sall. Historr. Fr. III, 43. Gerl. (p. 979. ed. Cort.) *L. Fabius, Hispaniensis senator, ex proscriptis.* Tacit. Historr. III, 70. *Corn. Martialis, e primipilaribus.* IV, 50. *Baebius Massa, e procuratoribus.* Ann. XIII, 47. *Graptus ex libertis Caesaris.* XV, 71. *E tribunis Granius Silvanus sua manu cecidit.* Cic. Brut. 46, 169. *Q. Vettius Vettianus e Marsis.* De universo hoc praepositionis usu cf. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 624. Maluit autem Velleius dicere *e praetoriis* quam *praetorius,* quia subiunxit *gravissimus.* — Ruhnkenius coniecit *praetorius, vir eminentissimus et gravissimus;* — Orellius *vir egregius, praetorius gravissimus;* — Bothius *praetorius, vir gravissimus.*

P. Sili socer] Ed. pr. *pater, Silii socer;* Amerb. *Patersilii socer.* Correxit Ed. Basil. De confusione vocabulorum *Publius* et *pater,* ex compendii aequalitate orta, cf. Ouden-

LXXXIV. Caesare deinde et Messala Corvino consulibus debellatum apud Actium, ubi longe ante, quam dimicaretur, exploratissima Iulianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator, in illa marce- 1 2

dorp. ad Sueton. Aug. c. LXXI. — Vossius coniecit *gravissimus patris Silii socer.*

nefanda] Ed. Basil. scripsit *miranda.*

multa, inquit] Orellius coniecit *multo alia, inquit;* — Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 340. *multa ac nefanda, inquit;* — Kreyssigius Praef. p. XLV. *inulta, inquit.* Sed vulgata non tam emendatione, quam explicatione eget, quippe cuius difficultas, si qua est, constet obscuriore quadam brevitate, compluribus sententiis, quae ad argumentationem necessariae sunt, omissis. Hac enim argumentatione nititur Coponii dictum: Quum ex tuo virtutis et integritatis, quod prae te fers, studio coniici possit, nullam te scelerum societatem cum Antonio habuisse, consentaneum est, illum, quamdiu apud eum fueris, sancte egisse; alioquin prius eum deseruisses. Deseruisti autem, quum primum turpia eum ac scelesta agere intellexisti. Quare necesse est omnia nefanda, quae illi obiicis quaeque fecisse illum omnes sciunt, *pridie* ante profectionem tuam, i. e. tam multa omnia uno die, patrata esse. — Quae ironia quam acerbam simul et facetam Planci irrisionem habeat facile, opinor, intelligitur. Nam quum res ipsa clamaret, absurdum esse Coponii dictum serio acceptum, in oculos incurrit illum, qui aliud diceret, aliud sentiret, Planco hoc obiicere, eum omnium Antonii scelerum et flagitiorum socium fuisse. Eandem fere loci interpretationem iniit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 208. Vulgatam tuetur etiam Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 66. p. 551. *pridie* interpretans *bis auf den Tag (vor dem Tage) an welchem* etc., et Laurentius in Locis Vell. p. 88., eandem vocem explicans *ante*, vel *usque ad eum diem, quam;* sed videndum ne uterque a vero aberraverit.

LXXXIV, 2. *in illa marcebant*] Burer. et Amerb. *illam arcebant;* paullo melius Ed. pr. *illa marcebant*, ex tacita Rhenani correctione. *In*, quod aequalis membrorum conformatio exigit (cf. ad II, 41, 1. et II, 73, 1.) restituit Vascosanus; quippe sola ī littera scriptum facile ante *i* excidit, v. Prolegg. c. III. p. CVII sqq. Aldus Nepos coniecit *in illa iacebant.*

bant omnia; hic remiges firmissimi, illic inopia affectissimi; navium hac magnitudo modica, nec celeritati adversa, illa specie terribilior; hinc ad Antonium nemo, illinc ad Caesarem cotidie aliquid transfugiebat.

hic — illic inopia] Ed. pr. et Amerb. *hinc — illinc inopia*, quod editores perperam huc usque tulerunt, Krausio frustra praesidium quaerente ex Cic. or. in Catil. II, 12, 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio* etc.; huius enim loci ratio, ut Handius bene vidit in Tursell. Vol. III. p. 88., pendet ex vivida imagine *actionis*, ab utraque parte profectae, unde etiam *pugnandi* vocabula cum *hinc — illinc* et similibus componuntur. Sed nihil horum est in hoc loco, ubi quae cuiusque partis *condicio et status* fuerit narratur, ut supra II, 49, 3. *Alterius ducis causa melior videbatur, alterius erat firmior; hic omnia speciosa, illic valentia.* v. Hand. de Particc. Lat. Vol. III. p. 77. Vitium ortum ex lineola casu imposita. Eadem corruptela recurrit infra II, 103, 4.

remiges] Ed. pr. et Amerb. *reges.* Palmaris est Lipsii emendatio *remiges*, cuius veritas sua sponte elucet, quum *reges* nihil aliud sit, quam scribendi compendium verae lectionis. v. Prolegg. c. III. p. XCIX.

illic] Ed. pr. et Amerb. *illinc.* V. paullo supra.

navium hac magnitudo modica, nec celeritati adversa, illa specie terribilior] Ed. pr. *navium haec magnitudo, modicave celeritate, adversa illa specie et terribilior;* Amerb. eodem modo, nisi quod *modica ne* habet, ut etiam Burer. testatur. Has turpissimas corruptelas maximam partem correxit Heinsius coniiciendo *navium hac magnitudo modica, nec celeritati adversa, illac specie terribilior*, cuius vestigia secutus Ruhnkenius, quod deerat ad integritatem, *illà* scripsit pro *illac*, sed rursus *specie* perperam in *species* mutavit. *Haec magnitudo* a librario scriptum esse structurae ignoratione (v. Prolegg. c. III. p. CV sqq.) in oculos incurrit; nam ut pronomen est alienissimum, ita adverbium loci necessario requiritur, cui eâdem formâ in altera parte respondet *illa*, de quo v. Hand. de Particc. Lat. Vol. III. p. 202. *Nec* corruptum in *ne* littera *c* proximae vocis initio absorpta; v. Prolegg. c. III. p. CVIII. In *celeritati* frequentissimo scribae lapsu, de quo egimus in Prolegg. c. III. p. LXXXVIII,

Denique in ore atque oculis Antonianae classis per 3
Marcum Agrippam Leucas expugnata, Patrae captae, Corinthus occupata, bis ante ultimum discrimen classis hostium superata. Rex Amyntas meliora et uti-

i confusum cum *e*; denique *et* post *specie* conflatum ex ultima praecedentis et prima sequentis vocabuli littera, ut recte vidit Kreyssigius in Praef. p. XLVI., qui simul *specie* scite vindicavit contra inutilem Burerii coniecturam *species*, Ruhnkenio, Krausio, Cludio probatam; nam optime et tritissima ratione *navium magnitudo* ut *hac modica*, ita *illâ* dicitur *specie terribilior*. — Ed. Basil. coniecit *navium hinc magn. mod., sed celerior, ex adverso illa* etc.; — Aldus Nepos *navium hic magnitudo modica cum celeritate* etc.; — Ursinus *navium hinc magn. mod., sed celeritate, adversa* etc.; — Vossius *navium heic magn. modica, at celeritate; adversa illa* etc.; — Burmannus *navium haec magnitudine modica, ac celeritate apta, at illa;* — Censor in Ephemm. Litt. Gotting. a. 1779. Additam. p. 121. *navium haec magn. modica immani celeritate, adversa illa sp. terr.*

specie terribilior] Ed. pr. et Amerb. *specie et terribilior.* Burer. coniecit *species terribilior;* — Ed. Basil. *specie terribilior;* — Lipsius *specie terribiliora;* — Burmannus *specie et turribus terribilior;* — Bothius *illa sola specie terribilior.* v. not. praeced.

nemo] Cludius scripsit *nihil.*

aliquid transfugiebat] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *aliqui transfugiebant*, ex tacita Rhenani mutatione, bona illa quidem, sed non necessaria. Nam *aliquid* indefinite est *aliqua pars* sc. *militum*, quod cur dici nequeat nulla caussa intelligitur. Nam quum Plancus apud Ciceronem in Epp. ad Famm. X, 11, 9. dixerit: *Si vero copiarum aliquid secum adducet Antonius*, — quod recte habet *copiarum* genitivo addito, etiam rectum esse debebit eodem genitivo suppleto. — Orellius maluit *aliquis transfugiebat;* — Kreyssigius Praef. p. XLVII. *aliquot transfugiebant.* Cod. Murb. scripturam tuetur etiam Wopkens. in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 65. et IX. p. 270.

§. 3. *atque* Amerb. *adque.*

Amyntas] Ed. pr. et Amerb. *Myntas.* Correxit Ed. Basil. cf. Plut. in Anton. c. LXIII. p. 211. Vol. V. ed. Reisk. Dio Cass.

liora secutus, (nam Dellius, exempli sui tenax, ut a Dolabella **** ad Caesarem,) virque clarissimus Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium nunquam reginam nisi nomine salutavit, maximo et praecipiti periculo transmisit ad Caesarem.

1 LXXXV. Advenit deinde maximi discriminis dies, quo Caesar Antoniusque productis classibus pro

XLIX, 32. p. 592. ubi v. Fabric. et Noris ad Cenotaph. Pis. II, 10. p. 209.

meliora] Amerb. *melior.*

*nam Dellius, exempli sui tenax, ut a Dolabella **** ad Caesarem*] Ed. pr. et Amerb. *nam de illius exemplis vitae naxuta Dolabella ad Caesarem.* Haec lectionis monstra Lipsius acutissime in ordinem coegit, litteris ac syllabis in iustum modum dispescendis ac coniungendis, quae emendandi ratio, de qua v. Prolegg. c. III. p. CI., ita certa est usque ad *tenax* vocem, ut nullus dubitationi locus relinquatur, quum sententia prodeat prorsus Velleiana. Quippe verba *exempli sui tenax* sic opponuntur praecedentibus *meliora et utiliora secutus: quod secus fuit in Dellio; nam is, inconstantiam suam secutus, ut a Dolabella* etc. v. ad II, 71, 2. Relicua Lipsius duplici via tentavit, coniiciens vel *ut a Dolabella ad Cassium,* vel, deletis verbis *ad Caesarem,* tanquam e vicinia huc illatis, *tenax fuit et illo bello.* Sed locum aliam medicinam poscere, quippe qui neque depravato aliquo, aut temere illato vocabulo laboret, sed lacuna affectus sit, Ruhnkenius sagaciter indagavit, sic Velleium scripsisse coniiciens: *nam Dellius exempli sui tenax, ut a Dolabella ad Cassium, ab Cassio ad Antonium, ita ab Antonio transiit ad Caesarem.* Quae emendatio quum nitatur loco Senecae Suasor. I. p. 7. *Bellissimam tamen rem Deillius dixit, quem Messala Corvinus desultorem bellorum civilium vocat, quia a Dolabella ad Cassium transiturus salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset; et a Cassio deinde transivit ad Antonium; novissime ab Antonio transfugit ad Caesarem;* non dubitari potest, quin Ruhnkenius et verissime hunc locum lacunosum iudicaverit, et *sensum* verborum, quae exciderunt, optime perspexerit. Sed *verba* ipsa quum nemo praestare

salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere. Dextrum navium Iulianarum cornu M. Lurio 2
commissum, laevum Arruntio, Agrippae omne classici certaminis arbitrium; Caesar ei parti destinatus, in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat. Classis Antoni regimen Publicolae Sosioque commissum. At in terra locatum exercitum Taurus Caesaris, Antoni

possit, cautius nobis visum est cum Krausio lacunae signa ponere, ita tamen, ut in universa loci sententia intelligenda a Ruhnkenio non discedendum putemus. Ed. Basil. coniecit *inde illius exemplo vir audax Dolabella, virque;* — Vascosanus *nam de illis exemplis vita ac natura Dol. ad Caes.;* — Schegkius *inde illius exemplo mature Dolabella ad Caesarem;* — Acidalius *secutus mature; inde illius exemplo Dolabella, virque;* — Heinsius, Lipsianam emendationem paullum immutans, *nam Dellius, exempli sui tenax, ut ante a Dolabella ad Cassium;* — Krausius, ut edidimus, sed addito verbo *accessere* post *Caesarem;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 11., lacunam nullam esse statuens: *nam Deillius exempli sui tenax usque a Dolabella ad Caesarem, virque* etc.

Dellius] Lipsius scripsit *Deillius*, quod sane congruit cum cod. scriptura *de illius*. Sed quum Horat. Carm. II, 3, 4. Plutarchus in Anton. c. LIX. p. 204. Vol. V. Reisk. Dio Cass. XLIX, 39. p. 597. L, 13. p. 614. L, 23. p. 619. et Ioseph. Antiq. Iud. XIV, 15. p. 729. constanter *Dellium* vocent, recte Ruhnkenius hanc nominis formam recepit.

salutavit] Cludius maluit *salutaverat*.

periculo] Amerb. *pericula*.

transmisit] Lipsius coniecit *transmisere;* v. ad II, 9, 6.

LXXXV, 2. *M. Lurio*] Ed. pr. et Amerb. *M. Lario*. Correxit Ursinus ad h. l. et de Famil. Rom. p. 161. ex vetere numismate. cf. Fabric. ad Dion. Cass. XLVIII, 30. p. 548.

Arruntio] Ed. pr. et Amerb. *Adruntio*. Correxit Ed. Basil. v. ad II, 77, 5.

Publicolae Sosioque] Ed. pr. et Amerb. *Pulico Laesosioque*. Correxit Ed. Basil. De *Publicola* v. Plutarch. in Anton. c. LXVI. p. 213. T. V. ed. R. Ἀντώνιος μὲν τὸ δεξιὸν κέρας ἔχων καὶ Ποπλικόλας. De *Sosio* cf. infra II, 86, 2. Plutarch.

3 regebat Canidius. Ubi initum certamen est, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera nihil praeter milites. Prima occupat fugam Cleopatra. Antonius fugientis reginae quam pugnantis militis sui comes esse maluit, et imperator, qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est. 4 Illis etiam detracto capite in longum fortissime pugnandi duravit constantia, et desperata victoria in mortem dimicabatur. Caesar, quos ferro poterat inter-

in Anton. c. XXXIV. p. 161. Tom. V. ed. R., ubi falso duplici σ scribitur: *Καὶ γὰρ Σόσσιος, Ἀντωνίου στρατηγὸς, ἐν Συρίᾳ πολλὰ διεπράττετο.* Sueton. August. c. XVII. Tacit. Historr. V, 9.

§. 4. *Illis etiam*] Amerb. *Illis enim*, quod Orellius falso probat.

detracto] Ed. pr. et Amerb. *detrectato.* Correxit Vascosanus vitium eo ortum, quod integrum vocabulum pro compendio maioris est habitum; v. Prolegg. c. III. p. C.

§. 5. *cessere victoriam*] Heinsius maluit *cessere victoria;* — Herelius p. 569. *cessere victori.* Sed nulla mutatione opus esse recte monuit Burmannus, coll. Iustin. XXXII, 4, 7. *Hosti victoriam cessere.* Quippe *cedere* hic est *concedere.*

ut ea precarentur] Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. No. 36. p. 288. coniecit *ut eam precarentur.*

§. 6. *functum officio, ut dubites, suo, an Cleopatrae*] Ed. pr. *functum officio. uidebit e suo, an Cleopatrae;* — Amerb. *functum uidebites ne an Cleopatrae.* — Orellius, Amerbachii negligentiae plus tribuens quam Rhenani et Burerii diligentiae, *officio* ex interpolatione Rhenani esse opinatur; quam dum removere vult, ipse textum interpolavit scribendo *functum vice.* Nam integram esse vulgatam argumento non eget, quum *officio*, proprio sensu ad *imperatoris* pertinens, per zeugma etiam cum verbis *fugacissimi militis* coniungatur; cf. II, 89, 4. *Principes viri triumphisque et amplissimis honoribus functi.* II, 100, 3. *Iulia nihil, quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit.* II, 112, 3; II, 120, 1; II, 128, 4. v. ad Sall. Iug. c. XIV, 4. p. 75. Zumpt.

imere, verbis mulcere cupiens, clamitansque et ostendens fugisse Antonium quaerebat, pro quo, et cum quo pugnarent. At illi cum diu pro absente dimicassent duce, aegre summissis armis cessere victoriam; citiusque vitam veniamque Caesar promisit, quam illis, ut ea precarentur, persuasum est; fuitque in confesso milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio, ut dubites, suo, an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit, qui

Gramm. Lat. c. 86, 17. et 775. p. 628. ed. VIII. — In sequentibus emendandis res optime cessit Burerio coniicienti *ut dubites suone, an Cleopatrae,* in qua emendatione nihil falsum est, praeter *ne* particulam, neque ad sensum necessariam, et litteris alienam. Ex *ut* ortum *ui*, quam corruptelam iam offendimus supra II, 51, 1.; quae syllaba quum sequenti vocabulo adhaeresceret, facillime id in *videbit* corruptum est, extremâ eius syllabâ avulsâ, cuius rei caussa fuit *s* finale simul vicem primae litterae sequentis vocabuli sustinens; v. ad II, 22, 2. Ita clarissime intelligitur, quomodo Rhenanus in obscuratis cod. Murb. verbis *videbit e suo,* Amerbachius autem *uidebites ne* legere potuerint. Sensus autem, qui tam exiguis ac lenissimis corruptae lectionis mutationibus prodit perquam commodus, hic est: coniicere possis Antonium, si viciscet, non ex *suo,* sed ex *Cleopatrae* arbitrio *victoria* usurum fuisse, quippe qui ita reginae obnoxius esset, ut illa ita volente adeo *fugam* capesseret. — Rhenanus coniecit *viderit e suo* etc.; — Heinsius *ut ne dubites, suone, an Cl.;* — Burmannus *unde liquet, suo, an Cl.;* — Grunerus *vidēbis, e suo, an Cl.;* — Ed. Bipont. *Viden', ut e suo, an Cl.;* — Ruhnkenius *Quis dubitet suo, an Cl.;* — Orellius *Dubitesne, an Cleopatrae;* — Bothius *Videlicet, suo an Cl.;* — Luxdorphius in Iahnii Novv. Annall. Phil. et Paedag. Suppl. I, 2. p. 171. *Vide deinde, suo an Cl.;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 40. p. 331 sqq. *Videlicet non ad Cleopatrae arbitrium vict. temp. fuerat.*

fuerit] Ed. pr. et Amerb. *fuerat.* Coniunctivum, quem flagitat constructio, restituit Vossius. Saepius plusquamperfecti indicativum et perfecti coniunctivum confundi propter terminationis

ad eius arbitrium direxit fugam. Idem locatus in terra fecit exercitus, cum se Canidius praecipiti fuga rapuisset ad Antonium.

1 LXXXVI. Quid ille dies terrarum orbi praestiterit, ex quo in quem statum pervenerit fortuna

similitudinem iam notavimus ad Sall. Iug. c. XXXI, 19. p. 189. v. Tacit. Agric. c. 4. et infra II, 94, 2. — Aldus Nepos maluit *fuit*.

ad eius arbitrium direxit fugam] Amerb. *ad eius fugam arbitrium direxit fugam*, quam scripturam negligentia et festinatione ortam esse et res ipsa aperte ostendit, et probatur Burerii cum Rhenano consensu; v. Froehlichium in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 40. p. 332. At Orellius inde effinxit *ad eius fugae arbitrium direxit suam;* — Laurentius in Locis Vell. p. 91. *ad eius fugam arbitrium direxit suum;* — Bothius *ad eius fugam direxit suam.* Quae coniecturae omnes eiusmodi sunt, ut iis evertatur duplex personarum et rerum oppositio, a Velleio pro more suo quaesita v. Prolegg. c. II. p. LII.; nam ut primum *Antonii arbitrium* opponitur *Cleopatrae arbitrio*, ita deinceps sibi respondent *victoria* et *fuga*, utraque alieno arbitrio temperata. v. supra.

LXXXVI, 1. *ex quo in quem*] Aldus Nepos coniecit *ex eoque in quem;* — Acidalius *exque eo in quem.* De duabus interrogationibus una enunciatione iunctis, quam structuram isti concoquere non potuerunt, v. annotat. nostram ad Sall. Cat. c. XLVII, 1. p. 212.

§. 2. *paucissimi eiecti*] Ed. pr. et Amerb. *paucissimi, et hi*, quod Halmius in Emendd. Vell. p. 15. ingeniosissime sanavit. Nam quum praedicatum desit vocis *paucissimi*, et quidem tale, quod *poenae* notionem habeat a supplicio diversae, utrumque abunde praestat repositum ab Halmio *eiecti*, quod compendio ecti scriptum abiit in *et hi*. De usu verbi *eiicere* pro *in exilium mittere*, vel *civitate expellere*, v. Bremium ad Nep. Lysand. c. I, 5. *Namque undique, qui Atheniensium rebus studuissent, eiectis, decem delegerat.* Cic. p. Rosc. Am. c. 2. *Hoc damnato et eiecto sperat.* Ed. Basil.

publica, quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat? Victoria vero fuit clementissima, nec 2
quisquam interemptus est, paucissimi eiecti, qui deprecari quidem pro se non sustinerent. Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumvira-

coniecit *nisi paucissimi, et ii;* — Ruhnkenius *paucissimis exceptis;* — Burgessius in Adnotatt. in Dawes. Misc. crit. p. 413. ed. Harles. *sed paucissimi, qui*; — Cludius *interemptus iussu; paucissimi perierunt, qui;* vel etiam: *interim iussus est; paucissimi perierunt, qui,* — Kreyssigius Praef. p. XLVIII. *eiecti paucissimi, et ii, qui;* — Orellius *pauci summoti, et ii, qui*; — Baiterus apud Orellium *pauci summoti, qui.*

qui deprecari quidem pro se non sustinerent.] Heinsius coniecit *qui ne deprecari quidem pro se sustinerent;* — Cludius *qui ne deprecari quidem poenam sustinerent;* — Orellius *qui deprecari vitam pro se non sustinerent.* Scilicet haeserunt in sensu verborum *quidem* et *deprecari,* quae sunt sanissima. *Quidem* enim eam vim habet, ut vocabulum, cui subiungitur, maiore vi efferat et insignem in sententia locum ei attribuat, quod hic in *deprecari* cadit; v. quae diximus ad Sall. Iug. c. LI, 5. p. 287. *Deprecari* autem significat in universum *precibus enixis et instantibus uti et contendere;* quod quamquam plerumque fit ad rem malam vel ingratam avertendam, tamen non opus est eius rei accusativum addi, ubi e sententiarum nexu patet, quid deprecando avertere velit; cf. Herzog. ad Caes. B. G. II, 31. et B. C. I, 5. Cic. Tusc. V, 19, 56. *C. Marius iratus, necessariis Catuli deprecantibus* (i. e. precibus pro eo intercedentibus), *respondit moriatur;* ubi Kuehnerus comparavit de Or. II, 49, 201. *Si intellexissent, omnia me semper pro amicorum periculis, nihil unquam pro me ipso deprecatum.* Quintil. X, I, 71. *His necesse est subire personas — irascentium, deprecantium, mitium, asperorum.*

triumviratus sui] Herelius p. 569. deleri vult *sui,* quia ingrate abundet, Krausio et Cludio probantibus. Sed v. ad I, 10, 5.

tus sui, aut in campis Philippiis, si sic licuisset, victoriae suae facturus fuerit modum. At Sosium L. Arrunti, prisca gravitate celeberrimi, fides, mox diu cum clementia luctatus sua Caesar servavit in-

Philippiis] Ed. Basil. scripsit *Philippicis;* — Aldus Nepos *Philippis.* Vulgata non est sollicitanda; nam graecum *Φιλίππειος*, plerumque *Philippeus* latine factum, recte etiam *Philippius* redditur; v. ad II, 69 2. Goerenz. ad Cic. de Legg. II, 3, 7. p. 114. ad Acadd. II, 31, 98. p. 181. *Campos Philippeos* dixit etiam. Manil 1, 906. *Cum ducibus iurata cruentis Arma Philippeos implerunt agmine campos.*

si sic licuisset] Ita Ed. pr. et Burer.; Amerb. *sic licuisset;* Burerius coniecit *sic* eiiciendum, assentientibus Ruhnkenio, Krausio, Orellio; in *sibi* mutari voluit Burmannus, in *id* Grunerus. Caussa, cur a scriptura Ed. pr. discedatur, plane nulla est; *sic* enim, quod sane abesse potest, inservit rerum condicioni, quae tum fuit, vividius declarandae; cf. Grysar. Art. lat. scrib. p. 537. coll. Ruhnken. ad Terent. Andr. I, 2, 4. *Mirabar hoc si sic abiret.*

fuerit modum] Ed. pr. Burer. et Amerb. *fuerit.* Excidisse h. l. vocabulum, quod ad *quem* pronomen pertineat, res est clarissima. Melius autem, et quovis nomine convenientius reperiri non potest, quam quod a Rhenano propositum praeeuntibus Vossio, Ruhnkenio, Krausio, aliis in textu expressimus; aliud enim, quam quod *moderationis* sensum habeat, vocabulum nexus prorsus respuit. Dictione simili, quamquam alia mente, Velleius supra usus est II, 40, 2. *Pompeium affirmabant libertati publicae statuturum arbitrio suo modum.* cf. Sall. Cat. c. XXIV, 3. *Ubi aetas tantummodo quaestui, neque luxuriae modum fecerat.* Burerius coniecit *fuerit triumphum;* — Ruhnkenius *fuerit finem;* — Orellius *finem victoriae suae facturus fuerit;* — Bothius *victoriae exitum facturus fuerit.*

At Sosium L. Arunti] Ed. pr. et Amerb. *ad solium alarunt in;* unde Puteanus pari acumine atque felicitate veram scripturam eruit. *At,* quo transitus paratur ad aliam personam priori aliqua ex parte oppositam (v. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 420.) cum *ad* confusum est etiam II, 39, 3. et II, 105, 3. cf. Drakenb. ad Liv. III, 17, 3. De *Sosio* ab Augusto servato Puteanus contulit Dion. Cass. LI, 2. p. 633. ed. Reim. *Τῶν συμ-*

columem. Non praetereatur Asini Pollionis factum et 3
dictum memorabile. Namque cum se post Brundisinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset unquam reginam, aut post enervatum amore eius An-

πραξάντων τι τῷ Ἀντωνίῳ πολλοὺς μὲν χρήμασιν ἐζημίωσε, πολλοὺς δὲ καὶ ἐφόνευσε, καί τινων καὶ ἐφείσατο. Καὶ ἐν μὲν τούτοις ὅ τε Σόσσιος (scrib. Σόσιος, ut diximus ad II, 85, 2.) ἐπιφανὴς ἐγένετο· πολλάκις τε γὰρ ἀντιπολεμήσας αὐτῷ, καὶ τότε φυγὼν καὶ καταχρυφθεὶς, χρόνῳ τε ὕστερον εὑρεθεὶς, ὅμως ἐσώθη. Quo loco quamquam *Arruntii* nulla mentio fit, tamen vix potest dubitari, quin eius *fides*, a Velleio celebrata, *occultando ac tuendo Sosio* constiterit. Eius autem nomen contineri monstroso vocabulo *alarunt in* tam apertum est, ut vel maxime hebes videat. Nam *al* ortum ex *L* maiusculo, praenominis nota; *in* autem, praesertim ablativo sequente, factum ex avulso *i*, quum ex Velleii more scriptum esset *Arunti*. De nomine duplici *r* scribendo v. ad II, 77, 3. — Aldus Nepos coniecit *At filium Messallae in;* — Delbenius apud Aldum *At Iulium Antonium in*, vel *At filium Antonii in.*

prisca] Orellius coniecit *viri prisca*, ratus *in* vestigium esse huius vocabuli. V. not. praeced.

celeberrimi, fides] Delbenius apud Aldum Nep. coniecit *creberri meinsistens*, vel *celeberrima fide.*

mox diu] Aldus Nepos coniecit *non diu;* — Heinsius *nec diu*, vel *mox diu luctatum clem. sua.* Neuter vidit Velleium hoc dicere: Sosium *primo* servatum esse *fide Arruntii, deinde*, e latebris suis protractum, *clementia Caesaris.*

cum clementia] Ed. pr. et Amerb. *clementia*, sine *cum*, quod debetur Lipsio, cuius emendationem his stabilivit Ruhnkenius: „cf. II, 63, 3. *Plancus diu quarum esset partium, secum luctatus.* II, 115, 2. *Cum difficultate locorum luctatus. Cum*, quod librarii per *c* scribere solent, facile excidere potuit ante vocem, ab hac litera incipientem. Sensus est: Caesar diu quid ageret dubitavit, hinc clementia ad veniam dandam, illinc ira ad ulciscendum stimulante. Seneca de Clem. II, 1. *Quae vox bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem in medium adduxit.*“ — Cludius coniecit *diu cum ira et clem.*

§. 3. *Namque*] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *nam*, Rhenani vel typographi negligentia.

toni animum partibus eius se miscuisset, rogante Caesare, ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum: Mea, inquit, in Antonium maiora merita sunt, illius in me beneficia notiora; itaque discrimini vestro me subtraham, et ero praeda victoris.

1 LXXXVII. Proximo deinde anno persecutus reginam Antoniumque Alexandream, ultimam bellis civilibus imposuit manum. Antonius se ipse non se-

miscuisset] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *immiscuisset*, ex Rhenani tacita mutatione.

discrimini] Ed. pr. et Amerb. *discrimine.* Correxit Acidalius. De *i* cum *e* confuso v. Prolegg c. III. p. LXXXVIII. Ablativum frustra tuetur Burmannus hoc exemplo Virg. Aen. VI, 465. *Teque aspectu ne subtrahe nostro.*

LXXXVII, 1. *Proximo deinde*] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. *deinde* deest, Rhenani vel typographi incuria.

Alexandream] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *Alexandriam*, ex Rhenani correctione haud necessaria; v. supra II, 42, 3. et cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. P. I. p. 70. Drakenborch. ad Liv. XXXI, 43, 5. Gruteri Inscriptt. p. 367, 3. et 525, 2.

multa desidiae crimina morte] Heinsius coniecit *multa temulentae desidiae crimina una morte;* — Burmannus *multa desidiae crimina forti morte.*

aspide, in morsu sane eius] Ita Burer., a quo non multum discrepat Amerb. *aspidem morsu sane eius:* Ed. pr. *aspide, morsu sane eius.* — *In,* quod Rhenanus tacite omisit, bene tuetur Handius de Particulis Lat. Vol. III. p. 263. §. 23., docens temporis aequalitatem duarum rerum eo designari. Sensus est enim: Cleopatra metus expers fuit *in ipso morsus momento,* vel *dum aspis mordet.* Particula *sane* autem non tam pertinet ad *morsu*, quam ad universam enunciationem, vel, si mavis, ad praedicatum *expers muliebris metus*, cui rei non obstare vocis locum ostendimus in Prolegg. c. II. p. LXXIII sqq. Vulgatam esse integram, ac non alia mutatione, quam commate post *eius* sublato indigere, iam Vossius vidit. Ursinus coniecit *aspide sinui, morsu eius, expers mul. met.;* — Acidalius *aspide,*

gniter interemit, adeo ut multa desidiae crimina morte redimeret. At Cleopatra frustratis custodibus illata aspide, in morsu sane eius expers muliebris metus, spiritum reddidit. Fuitque et fortuna et clementia 2 Caesaris dignum, quod nemo ex iis, qui contra eum arma tulerant, ab eo iussuve eius interemptus. D. Brutum Antoni interemit crudelitas. Sextum Pompeium, ab eo devictum, idem Antonius, cum dignitatis

morsu eius, sane expers etc., quod probavit Ruhnkenius et Orellius; — Heinsius *inlatae aspidis immorsu sanioso expertem mul. met.*, vel *inlata aspide dentis admorsu saniosi expertem* etc.; — Burmannus *aspide, morsu et sanie eius;* — Krausius *aspide, morsu, sane expers* etc.; — Bothius *in morsu sane eius* ut glossema delevit; — Pontanus Anall. I, 8. *aspide morsu sanieque eius;* — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 445. *aspide, sanie eius*, deletis verbis *in morsu;* — Laurentius in Locis Vell. p. 91. *aspide immorsa, sanie eius;* — Friebelius Gr. Satyrogr. Fr. p. 150. *aspide, morsu insano eius;* — Bergkius *illata aspidis morsu sanie eius.*

§. 2. *ex iis*] Ed. pr. et Amerb. *ex his.* Correxit Krausius; v. ad I, 2, 2.

contra eum] Herelius p. 569. *eum* deleri vult; Krausius, obsecutus, uncis inclusit.

iussuve eius] Haec verba Krausius delenda censuit, obsequente Cludio; — Orellius coniecit *concessuve eius.* Sententiarum oppositio in vulgata haec est, ut *ab eo* pertineat ad caedem *praesente et quasi inspectante Octaviano* factam, *iussuve eius* intelligendum sit de supplicio *de absentibus* sumpto.

interemptus] Heinsius coniecit *sit interemptus;* — Orellius *interemptus est.* V. ad II, 55, 1.

ab eo devictum] Burer. et Amerb. *ab eodem victum;* — Ed. pr. *ob eodem victum*, haud dubie lapsu typographi. Acidalius coniecit *ab eo devictum*, quod Ruhnkenius, Krausius, Orellius, alii recte receperunt, quum *devicto* per *Octavianum* Sexto Pompeio opponatur eius *caedes* per *Antonium* facta. Nam quod in vulgata lectione Pompeius ab Antonio victus dici-

3 quoque servandae dedisset fidem, etiam spiritu privavit. Brutus et Cassius ante, quam victorum experirentur animum, voluntaria morte obierunt. Antoni Cleopatraeque quis fuisset exitus narravimus. Canidius timidius decessit, quam professioni eius, qua semper usus erat, congruebat. Ultimus autem ex interfectoribus Caesaris Parmensis Cassius morte poenas dedit, ut dederat primus Trebonius.

1 LXXXVIII. Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imponit manum, M. Lepidus, iuvenis forma quam mente melior, Lepidi eius, qui

tur, id neque per se prorsus verum est, neque huic sententiarum nexui convenit, et a Velleii studio Octaviani est alienum. *Ab eo*, licet cum aliqua ambiguitate dictum sit, propter proxime praecedens *Antonii* nomen, tamen ad Octavianum necessario est referendum, quippe ad quem haec omnia spectent, ad fortunam eius et clementiam illustrandam.

servandae] Haec vox deest apud Amerb.

§. 3. *fuisset*] Krausius maluit *fuerit*, quod recepit Cludius. At bene Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 445. ad vulgatam tuendam comparavit Cic. Epp. ad Attic. I, 14. *Prima contio Pompeii qualis fuisset, scripsi ad te antea.* Quippe auctor respicit ad illud ipsum tempus, quo res facta est, non ad eventum rei, eo tempore, quo scripsit, iudicandum.

professioni eius] Cludius scripsit *professioni ei;* — Acidalius maluit *cum professione eius.*

primus Trebonius] Ed. pr. *Trebonius;* — Burer. et Amerb. *Tribonius*, sine voce *primus*, quam excidisse acute vidit Aldus Nepos. Nam quum *ut* particula ostendat, comparationem aliquam instituisse Velleium, quid aliud comparaverit quam caedium tempus atque ordinem? Nisi enim *ultimus* voci respondet in altera parte *primus*, tam inepta est nuda caesi Trebonii commemoratio, ut nihil ineptius esse possit, meritoque Ruhnkenius Aldi emendationem tam certam et perspicuam dicit, ut sine stupore vix dubitari posse videatur. Probavit eam etiam Weichertus in Com-

triumvir fuerat reipublicae constituendae, filius, Iunia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in urbem revertisset, Caesaris consilia inierat. Tunc urbis cu- 2
stodiis praepositus C. Maecenas, equestri, sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens, simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens, non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus; quippe vixit angusti clavi insigni contentus, nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit. Hic speculatus est 3

ment. de Cassio Parmensi poeta p. 250. ed. II. Bothius scripsit *ut coeperat Trebonius.*

LXXXVIII, 2. *equestri, sed splendido*] Ed. pr. et Amerb. *equestris et splendido*, quam scripturam, ortam littera *s* suo loco avulsa et alieno adhaerescente (v. Prolegg. c. III. p. CIII.), in ordinem coegit Vascosanus. Quum non omnes equites essent *splendidi* vel *illustres* (v. Lips. ad Tacit. Ann. XI, 4. Adami Antiqq. Rom. Vol. I. p. 33. ed. IV.), per se patet quanta additis verbis *sed splendido* accessio dignitatis contineatur. De isto *sed* particulae usu v. ad II, 4, 1. Aldus Nepos scripsit *equestri et splendido.*

providens] Amerb. *prudens.*

angusti clavi insigni] Ed. pr. et Amerb. *angusti clavi pene.* In isto vocabulo latere nomen, ex quo genitivi pendeant, recte sensit Ruhnkenius, quamquam ipse coniectura abstinuit. Nobis certum videtur Velleium scripsisse *insigni;* nam *in,* i. e. ī, absorptum fuit *i* praecedente; *si* abiit in *p*; ex *g* residuum est *c*; postremum *i* confusum, ut centies, cum *e.* Quae licet in singulis multum discrepent, tamen universa eam, opinor, speciem referunt, ut quomodo cod. Murbac. scriptura ex male exarata obscurataque voce *insigni* potuerit oriri, non difficile intelligatur. Multo maiorem, imo maximam emendatio nostra confirmationem habet a re ipsa et loquendi usu; nam angustum clavum ad *insignia* equitum pertinuisse in vulgus notum est; cf. Fussii Antiqq, Rom. §. 137. p. 122. ed. III. Adami Antiqq. Rom. Vol. I. p. 34.

per summam quietem ac dissimulationem praecipitis consilia iuvenis, et mira celeritate nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium. Et ille quidem male consultorum poenas exsolvit. Aeque-

ed. IV. — Ed. Basil. coniecit *angusto clavo pene;* — Lipsius *angusto clavo bene,* vel *plane;* — Rubenius de lato clavo: *angusticlavia paenula;* — Ferrarius de re vestiaria c. VIII. *angusti clavi honore;* — Grunerus *angusti clavi nomine;* — Ed. Bipont. *angusti clavi persona;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 172. *angusti clavi gestamine;* — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. No. 36. p. 288. *angusticlavio plene*; — Laurentius in Locis Vell. p. 93. *angusti clavi purpura;* — Silligius ad Catull. p. 325. *angusti clavi praemio;* — Bothius *angusti clavi pede;* — Heinsius primo *angusti clavi fine,* quod Orellius recepit; deinde vulgatam retinendam censuit, acriter pro genitivo ex *contentus* apto pugnans; — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 40. *penem* vestimenti genus esse dicens pariter in vulgata acquiescit.

nec minora] i. e. *et aeque magna,* sc. quam Agrippa. — Rhenanus coniecit *nec maiora consequi non potuit;* — Lipsius, hac coniectura probata, praeterea maluit *sed nunquam concupivit;* — Schefferus in Misc. Obss Vol. IX. p. 172. *nec munera haud consequi potuit.* Sed primum non viderunt negationem, quae est in *nec* particula, non pertinere ad verbum, sed ad nomen; tum utramque sententiam spectare ad comparationem Maecenatis cum Agrippa, ita ut supplendum sit *quam ille.*

§. 3. *novi ac resurrecturi*] Bothius verba *novi ac* ut glossema sequentis vocabuli delevit.

initium] Herelius p. 559. coniecit *incendium,* ut melius conveniret verbo *restinxit.* Sed verissime Krausius monuit Velleium in tropico verborum usu pro aetatis suae degenerato more discedere a priorum scriptorum accurato dicendi genere. *Restinguere* igitur, proprie de *igni* dictum, latiore sensu est *opprimere, prohibere, irritum reddere.* Audacius etiam Tacitus Hist. IV, 80. *Mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset.* Contrario modo Velleius supra II, 48, 1. dixit: *deinde belli civilis exarserunt initia.* Kreyssigius Praef. p. XLVIII. Herelianae coniecturae eo etiam praesidium quaerens, quod non

tur praedictae iam Antisti Servilia Lepidi uxor, quae vivo igni devorato praematuram mortem immortali nominis sui pensavit memoria.

LXXXIX. Caesar autem reversus in Italiam 1
atque urbem occursus quo favore omnium hominum,

dici possit *immane initium*, non reputavit *immane* h. l. non significare *ingens*, sed *nefandum, scelestum, horribile*, scilicet quia *Octaviani caedes* initium novi belli futurum esset.

Antisti Servilia] Ed. pr. et Amerb. *Antistiae Servilia.* Correxit Vossius, recte iudicans *Antisti* genitivum pendere ex supplenda voce *uxori*, quae facillime ex proximo *uxor* nominativo sumitur. — Rhenanus coniecit *Calpurniae Antisti et Servilia*; — Orellius *Antisti et Servilia.* Sed nihil latet in syllaba *ae*; librarius enim seductus adiectivo *praedictae* (v. Prolegg. c. III. p. CVI.) de femina putavit sermonem esse.

praematuram mortem] Burerius coniecit *praematura morte.* v. annotat. seq.

immortali — memoria] Ita Ed. pr. ex tacita, sed certissima Rhenani emendatione; Burer. et Amerb. *immortalem — memoriam*, quod ita studuit Burerius cum praecedentibus conciliare, ut ibi scriberet *praematura morte.* Sed ita constructioni quidem consultum est, non sensui. Nam quum *aliqua re pensetur* id, quod iam adest, ita quidem, ut accedat aliquid, quod non adfuit, per se patet *praematuram* Serviliae *mortem* pensatam fuisse *immortali memoria*, non contra. Ita infra II, 115, 5. *Imperatori nunquam adeo ulla oportuna visa est victoriae occasio, quam damno amissi pensaret militis.* cf. ad II, 12, 5.

LXXXIX, 1. *atque urbem*] Acidalius maluit *adque urbem.*

occursus quo favore] Ed. pr. et Amerb. perversa interpunctione *reversus in It. atq. urbem occursus quo favore*, Vascosanus coniecit *quo concursu, favore*; — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. p. 288. *Caesaris autem reversus* etc., ut *reversus* substantivum sit, pro *reditus*; — Lipsius vel *Caesaris autem reversi — occursus quo favore*, vel, quod plurimorum assensu probatum est, *quo occursu, quo favore*; — Gruterus *occursus* ut glossema censet delendum; — Vossius *adque urbem occursus*, ita ut *occursus* participium sit pro *occurrens* positum; — Heinsius *quo ad urbem oc-*

actatium, ordinum exceptus sit, quae magnificentia triumphorum eius, quae fuerit munerum, ne in operis quidem iusti materia, nedum huius tam recisi digne
2 exprimi potest. Nihil deinde optare a dis homines, nihil dii hominibus praestare possunt, nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus post reditum in urbem reipublicae populoque Romano
3 terrarumque orbi repraesentaverit. Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, so-

cursu, quo favore. Ad loci integritatem nihil requiritur, quam ut comma, quod in Ed. pr. est post *occursus,* collocetur post *urbem;* quippe coniungendum est *occursus quo favore,* sententiâ pariter bonâ, atque constructione facili et expedita; nam *occursus favor* est favor qui declaratur occursu, vel qui cernitur in occursu. De duplici genitivo v. ad II, 50, 4. *Exercitus ipsius* (sc. *Caesaris) adventus vigore ac fulgore occupatus se Caesari tradidit.* II, 21, 4. *Cuius (Pompei) interitus voluptas civium paene damno repensata est.* Sall. Iug. c. LXXV, 1. *Iugurtha Thalam pervenit, ubi filiorum eius multus pueritiae cultus erat.*

ne in operis quidem] Ed. pr. et Amerb. *nedum in operis siquidem.* Haec vitia, scribae negligentia orta, sustulit Ed. Basil.; *nedum* enim huc invasit ex sequentibus, *si* ante *quidem* natum ex proxima syllaba, ut recte iudicat Ruhnkenius. Idem ad sententiam apte comparavit II, 103, 4. *Laetitiam illius diei — vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere.* Rhenanus coniecit *vix in operis et quidem;* — Vossius *nedum in operis etsi quidem.*

materia] Cludius suspicatur fuisse *volumine.*

§. 2. *Nihil deinde*] Ruhnkenius coniecit *nihil denique.* ratus Velleium his quoque verbis describere honorificum Caesaris in urbem ingressum, et ista particula rem omnem comprehendere. Quod secus est. Nam quae sequuntur spectant ad describendam et praedicandam urbis Romae et totius imperii felicitatem, *quae inde ab Augusti reditu obtinuit;* quare *deinde* est *ex eo tempore,* sc. *quo in urbem est reversus,* vel simpliciter *postea,* ut

pitus ubique armorum furor, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas, imperium magistratuum ad pristinum redactum modum; tantummodo octo praetoribus allecti duo, prisca illa et antiqua reipublicae forma revocata. Rediit cultus agris, sa- 4
cris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio; leges emendatae utiliter, latae salubriter; senatus sine asperitate, nec sine severitate lectus. Principes viri triumphisque et amplissimis

recte cepit Handius de Particc. Lat. Vol. II. p. 244. §. 7. v. eund. ibid. p. 271.

nihil voto concipi, nihil felicitate consummari] Haec verba omnia Bothius ut glossema uncinis inclusit.

consummari] Cludius scripsit *consummari potest.* Quasi singularis non ex praegresso plurali suppleri possit! cf. annotat. nostr. ad Sall. Iug. c. XLIX, 2. p. 277. v. infra II, 114, 8.

populoque Romano] Bothius haec ut glossema eiecit.

§. 3. *Finita*] Amerb. *Finito,* ex falsa constructione. v. Prolegg. c. III. p. CVI.

bella civilia] Amerb. *bellaci Iulia.* v. Prolegg. c. III. p. CI.

redactum] Amerb. *redactus.*

allecti duo] Amerb. *adlectio duo;* v. Prolegg. c. III. p. XCV.

revocata] Acidalius coniecit *renovata,* quia eadem vox modo praecessit. Eandem ob caussam probarunt Ruhnkenius, Krausius, Cludius, alii. Quod quam inconsulto factum sit patebit ex Prolegg. c. II. p. LXIX.

§. 4. *Rediit*] Amerb. *redit.*

sine asperitate] Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 446. coniecit Velleium aequalitatis membrorum caussa scripsisse *sine asperitate purgatus,* ut huic participio in altera parte *lectus* responderet. Sed *senatum legere* h. l. non est *novos in senatum asciscere,* sed *senatum constituere et ordinare accurata senatorum censura instituta et indignis eo honore senatu motis.* Commentarii instar est Suetonii locus in Octav. c. XXXV. *Senatorum affluentem numerum, deformi et incondita turba, erant enim super mille et quidam indi-*

honoribus functi hortatu principis ad ornandamu rbem illecti sunt. Consulatus tantummodo usque ad undecimum, quem continuaret Caesar, cum saepe obnitens repugnasset, impetrari potuit. Nam dictaturam quam pertinaciter ei deferebat populus, tam constanter

gnissimi, et post necem Caesaris per gratiam et praemium allecti, — ad modum pristinum et splendorem redegit duabus lectionibus; prima ipsorum arbitratu, qua vir virum legit, secunda suo et Agrippae. — Quosdam ad excusandi se verecundiam compulit, servavitque etiam excusantibus insigne vestis. — Quo autem lecti probatique religiosius — senatoria munera fungerentur etc. Ex his abunde patet Velleii sententiam hanc esse: in senatu legendo, i. e. purgando ab indignis, *sine asperitate*, i. e. clementer *quidem* egit, *nec tamen sine severitate*, i. e. sed tamen in delectu accuratam dignitatis rationem habuit. Eandem rem explicatius etiam tradit Dio Cass. LII, 42. p. 693. *Τιμητεύσας σὺν τῷ Ἀγρίππᾳ ἄλλα τέ τινα διώρθωσε, καὶ τὴν βουλὴν ἐξήιασε. Πολλοὶ μὲν γὰρ ἱππεῖς πολλοὶ δὲ καὶ πεζοὶ παρὰ τὴν ἀξίαν ἐκ τῶν ἐμφυλίων πολέμων ἐβούλευον. Τούτους οὖν ἐκκρῖναι* (i. e. *legere*) *βουληθεὶς, αὐτὸς μὲν οὐδένα αὐτῶν ἀπήλειψε, προτρεψάμενος δὲ σφᾶς ἐκ τοῦ συνειδότος τοῦ τε γένους καὶ τοῦ βίου δικασιὰς ἑαυτοῖς γενέσθαι, τὸ μὲν πρῶτον πεντήκοντά που ἔπεισεν ἐθελοντὰς ἐκστῆναι τοῦ συνεδρίου, ἔπειτα δὲ καὶ ἄλλους ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα μιμήσασθαι σφᾶς ἠνάγκασε, κ. τ. λ.*

hortatu] Amerb. *adhortatu.*

ornandam] Halmius in Emendd. Vell. p. 15. coniecit *ordinandam.* Obstat Sueton. in Octav. c. XXIX. *Principes viros saepe hortatus est, ut, pro facultate quisque, monumentis vel novis vel refectis et excultis urbem adornarent.* Tacit. Ann. III, 72. cf. quae nos diximus in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 15. p. 129., et Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 72. p. 600.

§. 5. *quem continuaret*] Ed. Basil. coniecit *ut continuaret;* — Krausius *ut tantummodo — undecimum continuaret;* — Orellius *quem tertio continuaret.* Nulla mutatione opus est. Velleius non satis accurate quidem *undecim* consulatus Augustum continuasse dicit, quum a tertio tantum usque ad undecimum continuaverit; sed eum non nisi brevitatis caussa duos

repulit. Bella sub imperatore gesta, pacatusque victo- 6
riis terrarum orbis, et tot extra Italiam domique opera omne aevi sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigant. Nos memores professionis universam imaginem principatus eius oculis animisque subiecimus.

priores annos ceteris annumerasse, tam in aperto est, ut neque vituperandus in re levissima, neque emendandus videatur. Froehlichius tamen in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 69. p. 577. coniecit *consulatus tantummodo novem a tertio usque ad undec. ut continuaret Caes. — impetrari potuit.*

impetrari] Ed. pr. et Amerb. *impetrare.* Infinitivum passivi, quem constructio postulat, restituit Ed. Basil. Subiectum est enim *consulatus*, qui dicitur *impetrari potuisse ut eum (quem) Caesar continuaret tantummodo usque ad undecimum*, i. e. tantummodo impetrari potuit, ut *Caesar consulatum* usque ad undecimum *continuaret.* Hanc structurae rationem, quae attractione nititur, (v. Kruegerum de Attract. Ling. Lat. §. 58 sqq. p. 133 sqq.) bene vindicavit Laurentius in Locis Vell. p. 93.

§. 6. *sub imperatore*] Orellius coniecit *sub imperatore eo*, sine ulla necessitate. *Dictaturae*, quam respuit Augustus, simpliciter opponitur dignitas *imperatoris*, quam non ut potestatem, sed ut honoris titulum accepit; cf. Dio Cass. LII, 41. p. 692.

gesta] Heinsius maluit *congesta.*

pacatusque] Lipsius coniecit *peragratusque.*

fatigant] Acidalius coniecit *fatigent*, quod Lipsius, Ruhnkenius, Krausius, Orellio vulgato praetulerunt. Immerito, opinor. Nam indicativo sententiam aliquanto graviorem fieri, neminem fugere potest, qui modorum discrimen cognitum habet. — Aldus Nepos scripsit *fatigans;* — Vossius *fatigarent.*

subiecimus] Acidalius coniecit *subiicicmus.* Vulgatam recte defendit Krausius, monens perfectum inde esse repetendum, quod auctor, respiciens ad eos, qui opus suum aliquando lecturi sint, id, quod deinceps narraturus est, tanquam absolutum iam et ante oculos positum cogitet. Ad eundem modum Polybius III, 21. *Ἃς (συνθήκας) καθόσον ἦν δυνατὸν, ἀκριβέστατα διερμηνεύσαντες ἡμεῖς ὑπογεγράφαμεν*, loquens de foedere Romanorum primo cum Carthaginensibus, quod nondum attulit, sed statim subiicit. *Subiecimus* igitur explicatius est *infra subiecimus*, quemadmodum

1 XC. Sepultis, ut praediximus, bellis civilibus coalescentibusque reipublicae membris, ut concordia invaluere, quae tam longa armorum series lacerave-

Sallustius dixit Cat. c. XXXIV, 3. *Earum (litterarum) exemplum infra scriptum est.*

XC, 1. *ut concordia invaluere*] Ed. pr. et Amerb. *et coram aliero.* Locum turpiter corruptum ingeniosissima ac certissima coniectura persanavit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 101. p. 200 sqq. Nam *et* confusum cum *ut*, quod fit saepissime; v. I, 9, 6.; II, 7, 7.; II, 25, 3; II, 29, 5.; II, 45, 3.; II, 105, 1. coll. Drakenborch. ad Liv. XXI, 28, 8. *Cora* scribendi compendium est vocis *concordia*, cuius generis plura attulimus ad II, 82, 1.; *m* littera, quae temere praecedenti vocabulo adhaesit, orta ex *ĩū*, i. e. *inv.*; qua syllaba cum truncata voce *aliero* rursus coniuncta, paene sua sponte prodit *invaluere.* Iam haec tria verba ut non multum formâ recedunt a monstrosis illis, quae codex Murb. habet, ita sententiam habent et per se egregiam, et universo loci nexui longe aptissimam. Nam quum Velleius dicturus sit de bellis *externis*, post finitas contentiones civiles inceptis, antea significat, qua caussa effectum sit, ut illa bella incipi possent. Caussa autem duplex fuit; primum reipublicae membra *coaluerant*, et *rursus unum quasi corpus efficiebant*; tum hoc novum reipublicae corpus etiam *vires*, longa bellorum serie fractas, *receperat* et *concordia invaluerat.* Quae altera ratio quum *consectaria* sit ex priore, tantum abest, ut tautologiam efficiat, ut sententiam multo reddat graviorem et perspicuitate insigniorem. Denique *bellis civilibus* nihil aptius opponi, quam *concordiam* vix demonstratione eget; cf. tamen supra II, 62, 3. *Brutus et Cassius testati edictis, libenter se vel in perpetuo exilio victuros, dum respublica constaret concordia, nec ullam belli civilis praebituros materiam.* v. Beierum ad Cic. de Off. II, 22, 78. p. 152. Liv. XXIV, 22, 17. — Burerius coniecit *et coram altero;* — Lipsius *et curante eo;* — Vossius *eo curante serio;* — Heinsius *et eo cura maiore, quia;* — Grunerus *in corpus antiquum;* — Ed. Bipont. *egit curam externorum;* — Orellius *sed curâ mali, ferro;* — Bothius *accuravit aliena;* — Fiedlerus Praef. p. VIII. *et extera coiere;* — Kreyssigius Praef. p. XLIX. *habita est cura alienorum;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 172. *et eorum altore;* — Warburtonus in Bibl. Brit. Vol. VII. p. 292.

rat, Delmatia annos viginti et ducentos rebellis, ad certam confessionem pacata est imperi. Alpes, feris multisque nationibus celebres, perdomitae. Hispaniae

et corpore iam alto; — Censor in Bibl. Germ. univers. Vol. XLVIII. p. 556. *sub capite uno;* — Nodellius in Libello Obss. critt. c. 7. p. 79. *et coierunt alia;* — Witthofius in Obss. critt. ad Horat. Fasc. III. *et eorum ulcere;* — Herelius p. 570. *iunctura meliore*, quod probavit Morgensternius in Probabb. critt.; — Rosenheynius in Lectt. Vell. p. 17. *et curatis aliis omnibus;* — Susius in Gurlitti Animadverss. ad auct. vett. Spec. III. p. 5. *et causa mali erosa, quae eam longa armorum serie laceraverat;* — Bardilius in Friedem. et Seebod. Misc. critt. Vol. I, 2. p. 385. *et conglutinatis*; — Bergkius in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1835. No. 113. p. 911. *et coaluere;* — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 41. *et convaluere;* — Laurentius in Locis Vell. p. 94. *cura meliore;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 72. p. 602. *altero cum altero;* — Ed. Basil. verba corrupta eiicere maluit, quam emendare, eumque, praeter alios, sequuntur Krausius et Halmius in Emendd. Vell. p. 17.

Delmatia] Ed. pr. et Amerb. *Dalmatia.* Formam Velleio usitatam restituit Orellius; v. ad II, 39, 3.

annos viginti et ducentos] Ed. pr. et Amerb. *XX. et CC.* Lipsius coniecit *XX et CC annos;* — Cludius *XX et CC annis.* Sed probabilior est Orellii sententia, *annos* excidisse ante *viginti;* nam *a*, notam vocis *annos*, absorpsit praecedentis vocabuli ultima littera; v. Prolegg. c. III. p. CVIII sq.

pacata] Heinsius coniecit *adacta*, quia mox sequitur *pacatae;* v. Prolegg. c. II. p. LXVIII sq. — Bothius *parata.* Vulgatae sensus est: Delmatia ita *pacata*, i. e. *domita* est, ut aperte confiteretur Romano imperio se parere. cf. supra II, 39, 3. *Ti. Caesar certam Hispanis parendi confessionem extorsit.*

multisque] Heinsius coniecit *incultisque;* — Ed. Bipont. *inultisque*; sine idonea caussa, ut verissime iudicavit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 205. Nam ut *multus* cum copula alii adiectivo praemittitur (de quo usu v. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. CII, 10. p. 552. et infra II, 116, 1.), ita eadem ratio manet ubi postponitur, licet id rarius fiat; utroque enim loco copula valet *et quidem;* v. ad II, 26, 1. Hoc autem loco non sine caussa additum esse *multisque* intel-

nunc ipsius praesentia, nunc Agrippae, quem usque in tertium consulatum, et mox collegium tribuniciae potestatis amicitia principis evexerat, multo varioque
2 Marte pacatae. In quas provincias cum initio Scipione et Sempronio Longo consulibus, primo anno secundi belli Punici, abhinc annos ducentos quinquaginta, Romani exercitus missi essent duce Cn. Scipione, Africani patruo, per annos ducentos in iis multo mutuoque ita certatum est sanguine, ut amissis populi

ligitur ex Plin. H. N. III, 20., ubi narratur plus quadraginta gentium devictarum nomina in Augusti tropaeo memorata fuisse.

perdomitae] Amerb. *per do.*

praesentia] Burmannus coniecit *praesentis.*

§. 2. *secundi belli Punici*] Ed. pr. et Amerb. *secundi Punici.* Sed nunquam ab ullo scriptore *bellum* omittitur, ut iam Ruhnkenius monuit. Quare Heinsius recte *belli* in textum intulit.

abhinc annos] Amerb. *abhinc anno.*

missi essent] Amerb. *misissent.* v. ad II, 11, 2. et cf. Kreyssigium ad Sall. Fragm. Historr. lib. III. p. 81.

in iis] Ed. pr. *in his;* Amerb. *in hiis.* Correxit Orellius. v. ad I, 2, 1.

amissis populi Romani imperatoribus] Ed. pr. et Amerb. *amissis Praetor imperatoribus.* Verissime Ed. Basil. *praetor* mutavit in *populi Romani,* corruptelâ ortâ ex confusione notarum *PR.* et *P. R.,* de qua v. supra ad II, 61, 3. — Vossius coniecit *amissis praetoriis et imperatoriis exercitibus;* — Heinsius *amissis populi Rom. tot imperatoribus;* — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 41. *amissis praeterea imperatoribus.*

nonnunquam etiam] Ed. pr. et Amerb. *etiam nonnunquam.* Vitiose haec transposita esse scribae negligentia recte vidit Ed. Basil. Nam quoniam ita sibi respondent *saepe* et *nonnunquam* voces, ut omnis sententiae vis iis contineatur, utique necesse est in altero membro *nonnunquam* primum locum obtinere. Non minus autem necessarium est *etiam* collocari ante *periculum,* quum id ipsum ut res insolens et vix credibilis efferatur, cui rei

Romani imperatoribus exercitibusque saepe contumelia, nonnunquam etiam periculum Romano inferretur imperio. Illae enim provinciae Scipiones consumpserunt; 3 illae contumelioso decem annorum bello sub duce Viriatho maiores nostros exercuerunt; illae terrore Numantini belli populum Romanum concusserunt; in illis turpe Q. Pompei foedus turpiusque Mancini senatus cum ignominia dediti imperatoris rescidit; illa tot consularis, tot praetorios absumpsit duces, patrumque

significandae inservit *etiam* particula; cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 560. §. 2. De crebris verborum traiectionibus in cod. Murb. v. Prolegg. c. III. p. CXIV sq. Ruhnkenius coniecit *etiam* delendum esse, tanquam natum ex geminata praecedentis vocabuli extrema parte *elia;* — Laurentius in Locis Vell. p. 95. scripsit *et iam nonnunquam.*

§. 3. *decem annorum*] Ed. pr. et Amerb. *XX. annorum,* qui numerus omnem modum excedit. Nam licet auctores discrepent in tempore huius belli definiendo (*undecim* enim annos durasse tradit Diodor. Sic. in Excerpt. Peiresc. Tom. II. p. 597., *quattuordecim* Liv. Epit. lib. LIV. Flor. II, 17, 15. Oros. V, 4., *octo* Appian. Hispan. c. LXXV. p. 491. T. I. Schw., *decem* Iustinus XLIV, 2.,) tamen Velleius nimis ab his omnibus recedit. Quare verum vidisse putamus Lipsium, qui alteram denarii numeri notam delendam censuit, utpote perversa geminatione ortam. Ita Velleius cum Iustino consentit in numero rotundo quidem, sed haud multum veram rationem excedente; nam Viriathi bellum, coeptum anno a. Chr. n. 149, finitum est eius caede a. 140. cf. Zumptii Annall. vett. regn. p. 84. ed. I. — Vossius maluit *XV annorum.*

dediti imperatoris rescidit] Amerb. *dedit imperatoris rescindit.*

illa — absumpsit — extulit] Cludius scripsit *illae — absumpserunt — extulerunt.* Sed quamquam transitus ex plurali in singularem valde offendit, praesertim in anaphora, tamen res talis est, ut nulla corruptelae suspicio oriri possit. Vulgatam autem quum tuemur, non sensemus cum Krausio Velleium variandae orationis caussa ab inchoata constructione discessisse, quae res consilium

aetate in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium diiudicari non potuerit, Hispanis Romanisne in armis plus esset roboris, et uter populus
4 alteri pariturus foret. Has igitur provincias tam diffusas, tam frequentis, tam feras ad eam pacem abhinc annos ferme quinquaginta perduxit Caesar Augustus, ut, quae maximis bellis nunquam vacaverant, eae sub C. Antistio ac deinde P. Silio legato ceterisque postea etiam latrociniis vacarent.

proderet, sed potius incuria quadam in aliam cogitandi rationem esse delapsum, ita ut, quum initio subiectum orationis fecisset *illae provinciae*, quinto loco tacite ac nihil quasi sentiens *Hispania* substitueret, quod nomen grammatica ratione diversum, re idem est. Cuius facti caussam si quaeris, haud dubie in eo est posita, quod auctor iam quarto loco in aliam orationis formam transiit *(in illis — senatus — rescidit)*, quo facile potuit fieri, ut in proximo membro prioris subiecti numerus pluralis ex mente ei elaberetur. Re vera autem elapsum esse, neque scribarum culpa singularem esse invectum clarissime ex eo patet, quod Velleius, sero animadvertens ab instituta orationis forma se deflexisse, initio proximae periodi per *igitur* particulam *provinciarum* vocabulum, incuria dimissum, rursus repetit, de quo usu *igitur* particulae cf. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XIX, 7. p. 124. et Handium de Particc. Latt. Vol. III. p. 193 sq. Bothius scripsit *illa Ilium tot consulares* etc.

armis extulit] Bergkius coniecit *auctibus extulit*. Sed *armis* praegnanti sensu est *armorum felicitate*. De repetitione eiusdem vocabuli v. Prolegg. c. III. p. LXVII sqq.

quinquennium] Lipsius suspicatur *octennium*. Sed Velleius non loquitur de universo belli tempore, sed tantummodo de annis periculosioribus.

potuerit] Burer. et Amerb. *poterit;* Ed. pr. *potuerit*, ex tacita Rhenani emendatione.

Hispanis Romanisne] Vascosanus scripsit *Hispanisne an Romanis*, ignorans interrogationis duplicis eam formam, qua secundo tantum membro *ne* additur. Ruhnkenius comparavit supra II, 40, 1. Nep. Datam. c. IX, 2. Liv. I, 46, 4.

XCI. Dum pacatur Occidens, ab Oriente ac 1
rege Parthorum signa Romana, quae Crasso oppresso Orodes, quae Antonio pulso filius eius Phrahates ceperant, Augusto remissa sunt; quod cognomen illi iure Planci sententia consensus universi senatus populique Romani indidit. Erant tamen, qui hunc feli- 2
cissimum statum odissent; quippe L. Murena et Fannius Caepio, diversis moribus, (nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Caepio et ante hoc erat

§. 4. *eae*] Amerb. *hae*.

Antistio] Ed. pr. Amerb. et Burer. *Aristio*. Verum nomen Ed. Basil. reposuit. Res certa est ex Floro IV, 12, 51. et Dione Cass. LIII, 25. p. 720.

XCI, 1. *oppresso*] Ed. pr. et Amerb. *presso*, duabus litteris prioribus proxima praegressa et sequente haustis; v. Prolegg. c. III. p. CVIII. Correxit Ed. Basil.

Phrahates] Amerbach. *Prahates*. — Krausius scripsit *Phraates*.

illi iure] Ed. pr. et Amerb. *illi viro*. Sed quis credat Velleium tam ieiuno vocabulo, quo etiam inimicus significari potest, usum esse de Augusto, quem tanta sive veneratione sive adulatione prosequitur? Non dubitamus igitur, quin Orellius vere correxerit *illi iure*, quae emendatio non solum est facillima, nam *ui* et *iu* syllabae in codd. vix discernuntur, (v. ad II, 46, 1; II, 78, 3; II, 89, 2; II, 100, 3; II, 112, 4.) sed etiam sensu aptissima, siquidem vocabulo *iure* continetur honorificum de Augusto iudicium. Popma coniecit *illi primo*, vel *illi ultro*; — Heinsius *illi e vero*; — Burmannus *illi vivo*; — Ruhnkenius *illi vere*; — Laurentius in Locis Vell. p. 96. *illius virtuti*; — Krausius *viro* ex margine censet irrepsisse; — Kreyssigius Praef. p. L. vulgatam defendit.

consensus] Aldus Nepos scripsit *consensu*, probante Lipsio. Sed *sententia* voce, quam isti pro nominativo habuerunt, sexto casu posita, sensus est *Planco censente*.

§. 2. *ante hoc*] Ed. pr. et Amerb. *hoc ante*, ad quem verborum ordinem defendendum Ruhnkenius vulgaria affert ac notissima de praepositionum anastrophe, quae alienissima sunt ab

pessimus,) cum inissent occidendi Caesaris consilia, oppressi auctoritate publica, quod vi facere voluerant,
3 iure passi sunt. Neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori quam senatori propior, collecto in aedilitate favore populi, quem exstinguendis privata familia incendiis in dies auxerat, in tantum quidem, ut ei praeturam continuaret, mox etiam consulatum petere ausus, cum esset omni flagitiorum scelerumque

hoc loco. Nam sententiae vis nititur arguta oppositione verborum *sine hoc* et *ante hoc*, quae res nullo pacto patitur praeposisitionem altero loco postponi. Cludius coniecit *absque hoc ante pessimus;* — Anonymus apud Orellium *et tunc et ante.*

§. 3. *ut ei praeturam*] Acidalius maluit *ut et praeturam.* Falso. *Ei* intelligendum de *aedilitate; continuare* autem est *continuo iungere*, ut Cap. 92, 4. dicitur *Egnatium sperantem ut praeturam aedilitati, ita consulatum praeturae se iuncturum, profiteri vetuit.*

omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus] Heinsius coniecit *omni fl. scel. ceu sentina m.;* — Burmannus *omnium fl. scel. consc. m.;* — Ruhnkenius *omnium fl. scel. sentina emersus;* — Cludius *omni fl. scel. conscientia morsus;* — Warburtonus in Bibl. Brit. Vol. VII. p. 293. *onere flag. sc. consc. mersus.* Vulgatam optime ab his mutationibus vindicavit Krausius. Nam quum *mergi aliqua re* sit *eâ plane tegi atque obrui*, Velleius paullo audaciore modo dixit *conscientia mersus* pro *oppressus*, quemadmodum Cicero locutus est in Pison. c. 17, 39. *Nihil mea refert, utrum tu conscientia oppressus scelerum tuorum nihil unquam ausus sis scribere ad eum ordinem.* Similiter apud Livium est VI, 17, 2. *Mersam et obrutam foenore partem civitatis in libertatem extrahere*, ubi Drakenborch. comparavit II, 29, 8. — Pro *omni* sane usitatius erat *omnium;* sed interdum adiectivum, ad regens substantivum referendum, ei additur, quod ex illo pendet, quam consuetudinem, aliqua ex parte eius similem, quam illustravimus ad II, 33, 3., bene explicuit Walchius ad Taciti Agricol. c. 4. p. 138. *Per omnem honestarum artium cultum puerilitiam adolescentiamque transegit.* cf. infra II,

conscientia mersus, nec melior illi res familiaris quam mens foret, aggregatis simillimis sibi interimere Caesarem statuit, ut quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. Quippe ita se mores habent, 4 ut publica quisque ruina malit occidere quam sua proteri, et idem passurus minus conspici. Neque hic prioribus in occultando felicior fuit, abditusque carcere cum consciis facinoris mortem dignissimam vita sua obiit.

92, 5. *Quod factum cuilibet veterum consulum gloriae comparandum reor.* II, 80, 3. II, 120, 1. Liv. II, 51, 7. *Hesterna felicitate pugnae ferox.* Cic. de N. D. II, 39, 98. *Adde huc fontium gelidas perennitates.* Id. Epp. ad Famm. XV, 2, 6. *Ad se indicia manifestarum insidiarum esse delata.* Liv. I, 1, 4. *Ad maiora initia rerum ducentibus fatis.* Tacit. Ann. IV, 32. *Nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere.* Plura de hoc usu v. apud Reisigium in Gramm. Lat. §. 348. p. 632 sq. et ibi apud Haasium in not. 522. Praeterea de epithetis translatis luculenter egit C. G. Iacobus in Quaestt. Epicis II, 1. §. 1. p. 112—119. Totius loci igitur sensus hic est: Consulatum petere ausus, quamvis omnium flagitiorum sibi esset conscius; quae res summam hominis impudentiam declaravit.

§. 4. *ut publica*] Ed. pr. et Amerb. *publica*, sine *ut* particula, quam excidisse vidit Burerius; quippe absorpta est praecedentibus litteris *nt*. Similes locos comparavit Ruhnkenius has: infra II, 118, 4. *Quippe ita se res habet, ut plerumque* etc. Cic. de Orat. III, 23, 89. *Res quidem se mea sententia sic habet, ut* etc. — Praeterea idem coniecit omisso *ut* posse etiam scribi *mavult* pro *malit*.

et idem] Amerb. *idem*.

in occultando] Herelius p. 570. coniecit *in occ. scelere*.

abditusque carcere] Ed. pr. et Amerb. *abditusque carceri*. Et fortasse ferri possit ablativus in *i* terminatus, secundum analogiam eorum vocabulorum, quae collegit Conr. Leop. Schneiderus in Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 232. e.; sed in re incerta tutius videtur vulgarem formam reponere, praesertim quum

1 XCII. Praeclarum excellentis viri factum C. Senti Saturnini circa ea tempora consulis ne fraude-
2 tur memoria. Aberat in ordinandis Asiae Orientisque rebus Caesar, circumferens terrarum orbi praesentia sua pacis suae bona. Tum Sentius, forte et solus et absente Caesare consul, cum alia prisca severitate summaque constantia vetere consulum more ac severitate gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset avaritiam, regessisset in aerarium pecunias publicas, tum comitiis habendis praecipuum egit con-

e tam saepe a librario cum *i* confusum sit; v. Prolegg. c. III. p. LXXXIX. Acidalius coniecit *addictusque carceri.*

XCII, 2. *in ordinandis*] Heinsius deleri voluit *in* particulam.

praesentia sua pacis suae bona] Ruhnkenius *sua* delevit, coniungens *praesentia bona*, idque persuasit Krausio, Cludio et Kreyssigio. Sed vulgata sana est et Velleii ingenio dignissima, quippe quae cum aliqua argutia insignem Augusti sive laudem sive adulationem contineat. Sensus enim hic est: Caesar pacis *a se stabilitae* bona, *personae ipsius quasi adhaerentia*, praesentiâ suâ circumferens; v. Prolegg. c. II. p. LII. — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 150. coniecit *pr. sua pacis suavia bona.*

alia prisca severitate] Burmannus coniecit *alias prisca de veritate.*

vetere consulum more ac severitate] Ruhnkenius scripsit *veterum consulum more*, deletis verbis *ac severitate;* — Orellius *vetere cons. m. ac gravitate;* — Laurentius in Locis Vell. p. 97. *vetere cons. m. ac sanctitate;* — Krausius, Censor in Ephemm. litt. Gotting. a. 1779. Additam. p. 120., Cludius et Kreyssigius quinque illa verba tanquam glossema censent delenda. Sed omnes, qui in hoc loco aliquid mutare studuerunt, quovis emendandi vel eiiciendi conatu abstinuissent, si reputassent, Velleium, dum rem nimis ornare atque explicare studet, more familiaris sermonis, quem non ubique exuit, in tautologiam incidisse, (v. Prolegg. c. II. p. LVIII.,) quae tamen eo

sulem. Nam et quaesturam petentis, quos indignos 3
iudicavit, profiteri vetuit, et, cum id facturos se
perseverarent, consularem, si in campum descendis-
sent, vindictam minatus est, et Egnatium, florentem 4
favore publico, sperantemque ut praeturam aedilitati,
ita consulatum praeturae se iuncturum, profiteri vetuit,
et cum id non obtinuisset, iuravit, etiamsi factus esset
consul suffragiis populi, tamen se eum non renunciatu-
rum. Quod ego factum cuilibet veterum consulum
gloriae comparandum reor, nisi quod naturaliter audita

aliquantum minuitur, quod diversa est ablativorum ratio; nam *prisca severitate s. c.* sunt abll. instrumenti, *vetere more ac sev.* vero abll. modi, quippe quorum sensus sit *secundum veterem morem.*

consulem] Bothius hanc vocem delevit. cf. II, 124, 2. *Luctatio fuit, ut potius aequalem civem, quam eminentem liceret agere principem.* II, 109, 2. *Ex male dissimulato agebat aemulum.*

§. 3. *facturos se*] Haec Burmannus de glossa suspecta habet.

§. 4. *et Egnatium*] Herelius p. 570. coniecit *at Egnatium*, non animadvertens per quater repetitum *et* procedere orationem et a levioribus ad graviora assurgere, hoc nexu: *et — vetuit, et — minatus est, et — vetuit, et — iuravit.* V. supra ad II, 69, 5. Eodem modo idem criticus corrupit locum II, 116, 4.

iuncturum, profiteri vetuit] Amerb. *iuncturum, vetuit.* Quem negligentiae lapsum Orellius falso pro vera lectione arripuit, Rhenanum, Burerii tacito testimonio defensum, interpolationis arguens. *Profiteri* neque abfuit in cod. Murb., neque potuit in orationis structura abesse, quum plurima interiecta verba prorsus impediant, quominus, id quod Orellius fieri posse putat, cogitatione superius illud *profiteri* huc trahatur atque suppleatur.

§. 5. *cuilibet*] Herelius p. 570. coniecit *cuiuslibet*, sine caussa; cf. ad II, 91, 3. *Omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus.*

visis laudamus libentius, et praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur, et his nos obrui, illis instrui credimus.

1 XCIII. Ante triennium fere, quam Egnatianum scelus erumperet, circa Murenae Caepionisque coniurationis tempus, abhinc annos quinquaginta, M. Mar-
2 cellus, sororis Augusti Octaviae filius, quem homines ita, si quid accidisset Caesari, successorem potentiae eius arbitrabantur futurum, ut tamen id per M. Agrippam securo ei posse contingere non existimarent, magnificentissimo munere aedilitatis edito, decessit admodum iuvenis, sane, ut aiunt, ingenua-

et praesentia] Bothius delevit *et*.

et his] Cludius praestare opinatur *nam* his. — Bothius scripsit *et illis nos obrui, his instrui*. Quid Latinum sit, discat et Zumptii Gramm. §. 700. p. 575. ed. VIII. coll. Grysarii Art. Lat. scrib. p. 82., Kuehnero ad Cic. Tusc. I, 49, 117. p. 164. ed. II., Herzog. ad Caes. B. G. III, 11. et ad B. C. II, 31. p. 294.

XCIII, 2. *securo*] Ed. pr. et Amerb. *securos*. Correxit Ed. Basil. — Rhenanus coniecerat *secure*, vel *securius*.

sane] Cludius, non assecutus *ingenuarum virtutum* esse genitivos qualitatis ex vocabulo *iuvenis* pendentes, ut structuram expediret pro *sane* coniecit *summa*.

ut aiunt, ingenuarum] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *ingenuarum, ut aiunt*, haud dubie errore Rhenani, in describendo commisso.

laetusque] Acidalius refert esse, qui coniecerit *lectusque*.

XCIV, 1. *Ti. Claudius*] Ed. pr. et Amerb. *T. Claudius*. Correxit Ed. Basil.

quo trimo] Ed. pr. et Amerb. *quo primo*. Verum ingeniosa eaque simplicissima coniectura restituit Aldus Nepos; nam quum Tiberius, ut legimus supra II, 75, 3., matre fugiente *bimus* esset, eadem post annum praeterlapsum Octaviano nubente, *trimus* fuit. — Ursinus coniecit *quo puero;* — Ed. Basil. *quo prius nato;* — Vossius *quo bimo*.

rum virtutum, laetusque animi et ingeni, fortunaeque, in quam alebatur, capax. Post cuius obitum 3
Agrippa, qui sub specie ministeriorum principalium profectus in Asiam, ut fama loquitur, ob tacitas cum Marcello offensiones praesenti se subduxerat tempori, reversus inde filiam Caesaris Iuliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit uxorem, feminam neque sibi neque reipublicae felicis uteri.

XCIV. Hoc tractu temporum Ti. Claudius Nero, 1
quo trimo, ut praediximus, Livia, Drusi Claudiani filia, despondente Ti. Nerone, cui ante nupta fuerat, Caesari nupserat, innutritus coelestium praeceptorum disci- 2

Drusi Claudiani filia, despondente ei Nerone, cui ante nupta fuerat] Haec omnia, Ruhnkenius, tanquam petita ex II, 75, 3. et II, 79, 2., spuria iudicavit, eumque cupide secuti sunt Krausius, Cludius et Kreyssigius Praef. p. L. Sed fictis potius, quam veris caussis istam opinionem niti recte monuit Klotzius in Novv. Annall. Philol. et Paed. Vol. XVII. fasc. 6. p. 202., et post eum Froehlichius in Diurn. doctt. Monacc. a. 1837. No. 67. p. 562., cui assentimur, Velleium h. l., ubi primum de Tiberio dicere instituit, minime inepte eius generis mentionem, iam supra obiter factam, accuratius repetiisse, praesertim quum ab earundem rerum aut sententiarum repetitione non abhorreat, ut ostendimus in Prolegg. c. II. p. LXX sqq. Quamquam autem facile concedimus, si auctor illa verba, quae VV. DD. eiicienda duxerunt, omisisset, non multum ea desiderari, tamen in eiusmodi rebus probe tenendum est, non omnia, quae abesse *possunt*, etiam abesse *debere*, aut revera abfuisse. Nisi igitur certissima externa atque interna indicia glossematis aut interpolationis deprehenduntur, id, quod codicum auctoritate traditum et munitum est, non temere est eiiciendum.

despondente Ti. Nerone] Ed. pr. *respondente Nerone*; Burerius hoc annotavit: exemplum vetus videtur habere *respondente ei Nerone*; A]merb. *respondente Ti. Nerone*, ita tamen, ut *Ti.* superscriptum sit. — Pro *respondente* Ed. Basil.

plinis, iuvenis genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis maximoque ingenio instructissimus, qui
3 protinus, quantus est, sperari potuerat, visuque praetulerat principem, quaestor undevicesimum annum agens capessere coepit rempublicam maximamque difficultatem annonae ac rei frumentariae inopiam ita Ostiae atque

recte scripsit *despondente*, ut supra fuit II, 79, 2. *Ei* autem, quod ibi recte habuit, Caesaris nomine praegresso, hic nullo modo ferri potest, nec dubium est, quin corruptum sit ex *Ti.* i. e. Tiberio. Quare Amerbachio duce veram scripturam reposuimus. — Vossius scripsit *despondente ei Nerone;* — Heinsius *despondente eam Nerone.*

§. 2. *forma, celsitudine*] Bothius scripsit *forma ac celsitudine.*

qui protinus] Heinsius maluit *ut protinus — potuerit.*

quantus est] Halmius in Emendd. Vell. p. 17. coniecit *quantus esset*; coll. infra §. 3. *Ut per id, quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret;* et II, 112, 7. *Qui etiam ante biennium qualis esset aparere coeperat.* Potuisse ita scribere Velleium in aperto est; sed non minus probus, imo haud paullo gravior est praesentis indicativus, quippe quo Tiberii magnitudo non ex cogitatione aliqua praeteriti temporis, ducitur sed ad praesentem veritatem refertur; cf. quae de hoc indicativi usu disputavimus ad Sall. Iug. c. IV, 4. p. 21. Zumpt. Gramm. Lat. c. 78, 8. not. 1. §. 553. p. 478. ed. VIII. Billrothii Gramm. Lat. §. 306. not. 3. p. 354.

visuque praetulerat] Ed. pr. et Amerb. *visusque praetulerit.* Correxit Ursinus. Ablativus *visu* firmatur ex Velleio ipso II, 118, 2. *Ardorem animi vultu oculisque praeferens.* Martial. V, 61. *Procuratorem vultu qui praeferat ipso. Visus* saepe in universum dicitur pro *specie;* cf. Cic. de N. D. I, 5, 12. *Multa esse probabilia, quae — visum haberent quendam insignem et illustrem.* Plin. Hist. Nat. XIII, 12. *Charta indecoro visu pertranslucida.* ibid. XXII, 6. *Visuque ipso animos invitaverat.* Sed interdum ponitur pro toto corporis habitu et specie, ut apud Liv. VIII, 9, 10. *Conspectus ab utraque acie aliquanto angustior humano visu.* Krausius. — Bur

in urbe mandato vitrici moderatus est, ut per id, quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret. Nec 4
multo post missus ab eodem vitrico cum exercitu ad visendas ordinandasque, quae sub Oriente sunt, provincias, praecipuis omnium virtutum experimentis in eo tractatu editis, cum legionibus ingressus Arme-

mannus coniecit *initiisque praetulerat;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 73. p. 605. *sperari potuerit visuque praetulerit.* Plusquamperfectum dictum est respectu eventus, i. e. serioris temporis, ex quo iudicium ad prius illud respicit; v. ad Sall. Iug. c. LVII, 6. p. 314. cf. infra II, 103, 1. *Fortuna, quae subduxerat spem magni nominis, iam tum reipublicae sua praesidia reddiderat.* Praeterea eandem ob caussam, propter quam auctor *est* posuit, etiam indicativo plusquamperfecti, non coniunctivo perfecti usus est.

§. 3. *capessere*] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *capescere.*

ac rei frumentariae inopiam] Bothius haec ut glossema uncinis inclusit.

Ostiae atque] Ed. pr. et Amerb. *ostia eratque.* Correxit Rhenanus. v. Prolegg. c. III. p. CIV.

mandato] Amerb. *mandatum,* unde Orellius fecit *mandatu.*

vitrici] Ed. pr. et Amerb. *victrici,* et paullo post *victrico.* Correxit Aldus Nepos.

§. 4. *vitrico*] Bothius hanc vocem tanquam spuriam eiici vult.

ordinandasque, quae] Amerb. *ordinandas quae.*

omnium] Amerb. *omnibus.* v. Prolegg. c. III. p. CVI.

tractatu] Ed. Basil. scripsit *tractu,* quod ad unum omnes editores receperunt, non videntes ineptum vocabulum in aptissimi locum se substituere. Nam *in eo tractatu* est *in eius rei tractatione,* i. e. *in ea re tractanda,* vel *in eo negotio gerendo,* qui sensus nititur attractione pronominis demonstrativi, de qua structura egimus ad Sall. Iug. c. LIV, 6. p. 300 sq. *Tractatus* autem pro *tractatio* post Augusti tempora frequenter dici coeptum; cf. Bonnellii Lex. Quintil. h. v. p. 901.

niam, redacta ea in potestatem populi Romani regnum eius Artavasdi dedit. Quin rex quoque Parthorum tanti nominis fama territus liberos suos ad Caesarem misit obsides.

1 XCV. Reversum inde Neronem Caesar haud mediocris belli mole experiri statuit, adiutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem intra Caesa-
2 ris penatis enixa erat Livia. Quippe uterque divisis partibus Rhaetos Vindelicosque aggressi, multis urbium et castellorum oppugnationibus nec non directa

Artavasdi] Ita Ed. pr.; Burer. et Amerb. *Artauzdi.* — Lipsius, hunc locum lacunosum putans, quia plurimi scriptores Armeniae regnum *Tigrani* per Tiberium traditum narrant, sic a Velleio scriptum coniecit: *regnum eius Artavasdi ereptum Tigrani dedit.* Sed rei per se incertae repugnat Tacitus Annall. II, 3. *Artavasden, regem Armeniorum, Antonius interfecerat. Eius filius Artaxias memoria patris nobis offensus. — Occiso Artaxia per dolum propinquorum datus a Caesare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis eius. Dein iussu Augusti impositus Artavasdes. — Tum C. Caesar componendae Armeniae deligitur.* Quae Taciti verba quum neque cum Augusti ipsius narratione congruant in Monum. Ancyr. prodita (v. Taciti Opp. ed. Oberlin. Tom. II. p. 847 sq.), neque cum Dione Cass. LIV, 9. p. 738., probabilius videtur nihil excidisse, sed Velleium non satis accurate has Orientis res tradidisse, Artavasde, qui Tigrani successit, cum Tigrane ipso confuso. Herelius p. 571. coniecit *regnum Tigrani, mox Artavasdi dedit.*

Quin rex] Ed. pr. et Amerb. *cuius rex.* Quid praestet Ruhnkenii emendatione, a nobis recepta, equidem non reperio; cf. I, 9, 2. Lipsius coniecit *cum rex;* — Grunerus *cui rex;* — Bothius *vicinus rex;* — Heinsius *cuius* coniungendum censet cum *tanti nominis.*

XCV, 1. *belli mole*] Ed. pr. *belli molem;* Amerb. *belli morem.* Correxit Heinsius. — Ut vulgatam tueretur Popma

quoque acie feliciter functi, gentis locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentis, feritate trucis, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine perdomuerunt. Ante 3 quae tempora censura Planci et Pauli, acta inter discordiam, neque ipsis honori, neque reipublicae usui fuerat, cum alteri vis censoria, alteri vita deesset, Paulus vix posset implere censorem, Plancus timere deberet, nec quicquam obiicere posset adulescentibus, aut obiicientis audire, quod non agnosceret senex.

coniecit *reverso inde Nerone,* vel *per reversum inde Neronem.* Lineolam falso vocabulis impositam plures eiusmodi corruptelas genuisse ostendimus in Prolegg. c. III. p. XCIII sq. Bothius lectionem Ed. pr. repetiit.

§. 2. *Rhaetos*] Ed. pr. *Rhetos;* Amerb. *Raetos.* Verior scriptura et *h* et *ae* habet. v. Sickleri Geogr. antiq. p. 104. ed. I.

et castellorum] Amerb. *castellorum,* omissa per negligentiam copula. Inde Orellius coniecit *castellorumque,* probante Kreyssigio Praef. p. LI.

oppugnationibus] Bergkius maluit *expugnationibus.* Sed *oppugnationibus feliciter fungi* nihil aliud est, quam *expugnare.*

directa] Amerb. *derecta.*

perdomuerunt] Amerb. *perdomuere.*

§. 3. *ipsis*] Ed. pr. et Amerb. *ipsi.* Correxit Ed. Basil.

fuerat] Ed. pr. et Amerb. *foret,* quod corruptum esse ex *fuerat* recte vidit Orellius. — Ed. Basil. scripsit *fuit;* — Burmannus tentavit *ut neque ipsis — foret,* vel *fuerit.*

censoria] Ed. pr. et Amerb. *censori.* Perbene Burmannus restituit *censoria;* nam ultimam huius vocis litteram primâ sequentis vocabuli fuisse absorptam in oculos incurrit; v. Prolegg. c. III. p. CVIII. Ed. Basil. coniecit *censoris,* quod plerique receperunt; — Bothius *censori* retinuit!

nec quicquam] Ita Amerb. recte; Ed. pr. *ne quicquam,* quod iam dudum Ed. Basil. correxit.

aut obiicientis audire] Haec verba Ruhnkenius, Krau-

1 XCVI. Mors deinde Agrippae, qui novitatem suam multis rebus nobilitaverat atque in hoc perduxerat, ut et Neronis esset socer, cuiusque liberos, nepotes suos divus Augustus praepositis Gai ac Luci

sius et Cludius pro glossemate habuerunt, mirabili errore ea intelligentes de adolescentibus, qui Planco peccata obiicerent, et vitia ab illo ipsis obiecta in eum retorquerent. Sensus vulgatae, ab Orellio recte perspectus, hic est: quum Plancus neque *ipse* posset quicquam *obiicere adulescentibus*, neque *audire* quicquam, quod *alii* (sc. viri boni et honesti) *iis obiicerent*, quin senex *agnosceret*, i. e. fateretur suum id crimen esse et a se perpetratum. Patet igitur viris doctis fraudi fuisse, quod personarum oppositio *ipse* pronomine non significata est; sed eo non opus esse iam monuimus supra ad II, 62, 5.

quod non agnosceret senex] Heinsius coniecit *quod non agnosceret se senex*, vel *in se senex*. V. annotat. praeced.

XCVI, 1. *ut et Neronis*] Bothius scripsit *u t i Neronis*.

Gai ac Luci] Ita Ed. pr. et Amerb. — Ed. Basil. *Caii ac Lucii*.

nominibus] Ursinus maluit *praenominibus*.

filia eius Iulia] Ed. pr. et Amerb. *filia Iulia eius*. Legitimum verborum ordinem, qui etiam habetur infra II, 100, 3., restituit Ed. Basil. v. Prolegg. c. III. p. CXV. — Bothius delevit nomen *Iulia*.

§. 2. *ab Agrippa Marcoque Vinicio, avo tuo, consulari*] Ed. pr. et Amerb. *Agrippa Marcoque Vinicio, avo tuo COSS.*, quod haud uno nomine est falsissimum. Nunquam enim Agrippa consulatum simul cum M. Vinicio gessit, quippe qui non saepius quam ter consul fuerit, et tertium quidem a. u. c. 726, a. Chr. 27. v. supra II, 90, 1. coll. Fastis coss. capitt. p. 49. ed. Laur.; Vinicius autem consul suffectus fuit anno u. c. 734, a. Chr. n. 19. Lipsius, qui primus haec vidit, locum emendavit sic: *ab Agrippa, Marco Vinicio, avo tuo, consule*. Sed huic emendationi, a Ruhnkenio, Krausio, Cludio et Orellio probatae, tempora repugnant, quum eo anno, quo Vinicius consul fuit, neque bellum esset in Pannonia, et Agrippa in aliis terris versaretur; v. Frandsenii vitam Agrippae p. 74. et 134 sqq. Quam nos exhibuimus certissimam, ut putamus, loci correctionem, nititur testimonio Dionis Cassii LIV, 28. p. 758. *Κἂν τούτῳ τὸν Ἀγρίπ-*

nominibus adoptaverat, admovit propius Neronem Caesari; quippe filia eius Iulia, quae fuerat Agrippae nupta, Neroni nupsit. Subinde bellum Pannonicum, 2 quod inchoatum ab Agrippa Marcoque Vinicio, avo

παν ἐκ τῆς Συρίας ἐλθόντα — ἐς τὴν Παννονίαν πολεμησείουσαν ἐξέπεμψε. Καὶ ὃς τὴν μὲν στρατείαν, καίτοι τοῦ χειμῶνος, ἐν ᾧ Μάρκος τε Οὐαλέριος καὶ Πούπλιος Σουλπίκιος ὑπάτευον, ἐνεστηκότος, ἐποιήσατο. Ἐκπλαγέντων δὲ τῶν Παννονίων πρὸς τὴν ἔφοδον αὐτοῦ, καὶ μηδὲν ἔτι νεωτερισάντων, ἐπανῆλθε, καὶ ἐν Καμπανίᾳ γενόμενος ἐνόσησε, κ. τ. λ. Ibid. c. 31. p. 761. *Ὡς γοῦν ὁ Ἀγρίππας — ἐτεθνήκει, — τὸν Τιβέριον καὶ ἄκων προσείλετο, — καὶ τήν τε Ἰουλίαν οἱ ἐγγύησε, καὶ ἐπὶ τοὺς Παννονίους αὐτὸν ἐξέπεμψε. Τέως μὲν γὰρ τὸν Ἀγρίππαν φοβηθέντες ἡσύχασαν, τότε δὲ τελευτήσαντος αὐτοῦ ἐπανέστησαν, κ. τ. λ.* Ex his Dionis verbis quum clarissime pateat bellum Pannonicum inceptum fuisse anno u. c. 741, a. Chr. n. 12, sequitur *non inchoatum esse Vinicio consule;* neque id dixit Velleius, quippe quod dicere non potuit, sed librarii culpâ eius verba ad pravitatem detorta sunt. Vitii fons fuit compendium scribendi *COS.*, quod *consularem* designat, v. ad II, 12, 2. Eius rei ignarus scriba, duorum virorum nomibus coniunctis ad eam opinionem seductus est, vulgato modo annum notari consulibus nominatis; quare, ut omnia recte haberent, non solum *COS.* mutavit in *COSS.*, sed etiam *ab* praepositionem, a temporis notatione alienam, omisit. Qua restituta, ut postulat constans latinitatis usus (v. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XXI, 3. p. 134.,) iam res de Agrippa clara est et cum historiae fide congrua. Quod vero ad Vinicium attinet, cuius nulla mentio est apud Dionem, non dubium est, quin *legatus* fuerit Agrippae in bello Pannonico, quam rem Velleius, ut Vinicio consuli, cui librum suum dedicavit, blandiretur, paullo magnificentius effert, eum, qui *sub* Agrippa militaret, dicens *cum* Agrippa bellum illud inchoasse, neque oblitus addere eundem *consularem* fuisse. Eandem fere huius loci explicationem, quatenus rerum cognitione nititur, iniit Frandsenius l. l. p. 135, sed graviter in eo erravit, quod hanc sententiam in vulgata quaerens censet neque *ab* praepositionem necessariam esse, et *consulem* idem significare atque *consularem*. — Sauppius in Mus. Helvet. a. 1837. Vol. I, 2. p. 154 coniecit *ab Agrippa Marcoque Vinicio, avo tuo, viro*

tuo, consulari, magnum atroxque et perquam vicinum
3 imminebat Italiae, per Neronem gestum est. Gentis Pannoniorum Delmatarumque nationes situmque regionum ac fluminum numerumque et modum virium excelsissimasque et multiplicis eo bello victorias tanti imperatoris alio loco explicabimus; hoc opus servet formam suam. Huius victoriae compos Nero ovans triumphavit.

1 XCVII. Sed dum in hac parte imperi omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidiore, et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo, amissaque legionis quin-

clarissimo; — Bothius *Agrippae, M. Vinicio, avo tuo, Cos.*

§. 3. *gentis*] Ed. pr. et Amerb. *gentes.* Laurentius in Locis Vell. p. 98. *gentis,* quod ob aequabilem scribendi rationem pro accusativo reponas, genitivum esse vult, nobis non repugnantibus. Nam quum *gens* et *natio* ita differant, ut *gens* in universum omnes complectatur, qui sunt eiusdem stirpis atque originis, *natio* autem singulas gentis partes, locis aut regionibus discretas, significet, (v. Doederlini Synonym. Lat. Vol. V. p. 96.,) non intelligitur quomodo *Pannoniorum* plures *gentes, Delmatarum* plures *nationes* dici possint. Praeterea cum ipsa verborum collocatio aliquid habet insolens atque perversum, tum sequentia ita sunt comparata, ut pateat omnes accusativos ad *unam* rem illustrandam pertinere. Quare *Pannonii Delmataeque* propter locorum vicinitatem in unam *gentem* comprehensi videntur, sed variis *nationibus* compositam; cf. II, 98, 1. *Atrox in Thracia bellum ortum omnibus eius gentis nationibus in arma accensis.*

excelsissimasque] Ed. Basil. scripsit *excellentissimasque.* V. ad II, 35, 1.

XCVII, 1. *M. Lollio*] Ed. pr. et Amerb. *M. Lolio.* Du-

tae aquila vocavit ab urbe in Gallias Caesarem. Cura 2
deinde atque onus Germanici belli delegata Druso
Claudio, fratri Neronis, adulescenti tot tantarumque
virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit vel
industria perficit. Cuius ingenium utrum bellicis
magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in in-
certo est; morum certe dulcedo ac suavitas et adver- 3
sus amicos acqua ac par sui aestimatio inimitabilis
fuisse dicitur; nam pulchritudo corporis proxima fra-
ternae fuit. Sed illum magna ex parte domitorem
Germaniae, plurimo eius gentis variis in locis profuso
sanguine, fatorum iniquitas consulem, agentem annum
tricesimum, rapuit. Moles deinde eius belli translata 4

plici *l* recte scribitur infra II, 102, 1. v. Oudendorp. ad Sueton. Aug. c. XXIII. et Lips. ad Tacit. Annall. III, 48. KRAUSIUS.

§. 2. *perficit*] Ed. pr. et Amerb. *percipit*, quod Lipsius certissima coniectura mutavit in *perficit*. Nam apertum est Velleium *naturae* egregiam indolem opponere eiusdem *perfectioni* institutione et industria paratae, quae utraque in Druso fuit eximia. Eadem sententia utitur Quintil. XII, 2, 1. *Virtus, etiamsi quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est.* Neque multum diversus est locus Ciceronis, a Krausio allatus, p. Arch. poet. c. VII. *Quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solet existere.* cf. etiam eund. de Orat. I, 9, 38. *Gracchi filii diserti et omnibus vel naturae vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati, — eloquentia rempublicam dissipaverunt.* Vulgatam defendunt Wopkens. in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 69. et Oudendorp. ad Appulei. Vol. II. p. 200., non multum dissentiente Haasio in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 446.

§. 3. *par sui*] Heinsius coniecit *par sibi*. Non vidit *sui* pendere ex voce *aestimatio*.

in Neronem est, quod is sua et virtute et fortuna administravit, peragratusque victor omnis partis Germaniae sine ullo detrimento commissi exercitus, quod praecipue huic duci semper curae fuit, sic perdomuit eam, ut in formam paene stipendiariae redigeret provinciae. Tum alter triumphus cum altero consulatu ei oblatus est.

1 XCVIII. Dum ea, quae praediximus, in Pannonia Germaniaque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accen-

§. 4. *peragratusque*] Ruhnkenius coniecit *pervagatusque*, quod sane magnam veri speciem habet, quum *peragrari* deponens nusquam alias legatur. Sed istam caussam non sufficere ad scripturam mutandam nobis persuasum est cum Doederlino Synonym. Lat. Vol. I. p. 91., qui scite monuit neque in ipsa verbi potestate esse aliquid, quod a sensu huius loci abhorreat, neque deponentis formam idonea analogia destitui, quippe quae, si radicem spectes, cognata sit cum *peregrinari* verbo, et sensus ratione habita comparari possit cum geminis verbis *palare* et *palari*, *vagare* et *vagari*. Omnino si reputaveris plura esse eius generis, quae praeter activi formam etiam deponentis habeant, velut *punio et punior*, de quo v. Zumptii Gramm. Lat. c. 53. §. 206. p. 205. ed. VIII., *munero* et *muneror*, *fabrico* et *fabricor*, de quibus cf. Ruddimann. Institt. Gramm. Vol. I. p. 276., profecto non est, quod dubites *peragror*, aut certe *peragratus*, recte et ex analogia dici potuisse. cf. Reisigii Gramm. Lat. §. 151. p. 245. ibique Haasium, not. 285.

XCVIII, 1. *praediximus*] Amerb. *diximus*.

§. 2. *cum iis*] Ed. pr. *cum his;* Amerb. *cum hiis*. Correxit Orellius; v. ad I, 2, 2.

excidio] Cludius coniecit *exitio*.

pacis] Herelius p. 571. hanc vocem delendam censet, quia statim sequitur *pacem*. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

eiusque patratione] Krausius coniecit *eiusque belli patratione*, quod receperunt Cludius et Kreyssigius, quem v. in

sis, Luci Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus, virtus compressit, (quippe legatus Caesaris 2
triennio cum iis bellavit, gentisque ferocissimas plurimo cum earum excidio nunc acie, nunc expugnationibus in pristinum pacis redegit modum,) eiusque patratione Asiae securitatem, Macedoniae pacem reddidit. De quo viro hoc omnibus sentiendum ac prae- 3
dicandum est, esse mores eius vigore ac lenitate

Praef. p. LI.; — Ruhnkenius *eiusque* refert ad *pacis;* — Bothius coniecit *eiusque rei patratione.* Falso. Verba cohaerent cum superioribus *bellum ortum — compressit;* quae ratio per se clara, sed interpunctione obscurata, quo magis perspicua foret, puncto post *compressit* in comma mutato parenthesis signa interiectae enunciationi apposuimus. De usu *quippe* particulae in inferenda parenthesi v. ad II, 15, 1.

Asiae] Halmius in Emendd. Vell. p. 18. coniecit *Thraciae.* Vulgatam recte intellexit Krausius haec annotans: „Metuendum sane erat, ne Thraces *e Chersonneso* in Asiam transirent eamque infestarent." cf. Dion. Cass. LIV, 34. p. 764. *Ὁμολόγαισος Θρᾷξ — τόν τε Ῥασκύποριν, τὸν τοῦ Κότυος υἱόν, νικήσας ἀπέκτεινε, καὶ τὸν θεῖον αὐτοῦ τὸν Ῥυμητάλκην μετὰ ταῦτα — φυγεῖν ἐποίησε· καὶ αὐτὸν διώκων ἔς τε τὴν Χερρόννησον ἐνέβαλε, καὶ δεινῶς αὐτὴν ἐλυμήνατο.*

§. 3. *vigore*] Puteanus coniecit *rigore,* quod multorum olim plausum tulit. At recte vidit Burmannus vulgatam sanissimam esse, tum ob verba §. 1. *quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus,* tum ob sequentia, *qui aut otium validius diligat* etc.; quippe *otio* opponitur *vigor,* i. e. agendi industria et vis, non *rigor* morumque severitas. Idem Burmannus recte observavit erroris fontem hunc esse, quod VV. DD. *lenitatem* pro *mansuetudine* acceperint, cum h. l. significet vitae genus quietum et tranquillum, vel ut Krausius dicit, remissiorem vivendi rationem et molliorem. Ita apud Ter. Heaut. Prol. 45. *lenis* opponitur *laborioso.* cf. Horat. Epp. I, 18, 97. *Leniter traducere vitam,*

mixtissimos, et vix quenquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis quae agenda sunt curet sine ulla ostentatione agendi.

1 XCIX. Brevi interiecto spatio Ti. Nero, duobus consulatibus totidemque triumphis actis, tribuniciae potestatis consortione aequatus Augusto, civium post unum, et hoc, quia volebat, eminentissimus, ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus et 2 vere alterum reipublicae lumen et caput, mira qua-

mixtissimos] Heinsius, insolito hoc superlativo offensus, coniecit *mixtis iustissimos;* — Ruhnkenius *temperatissimos.* Verum nihil in caussa est, cur dubitemus, quin Velleius ad *ἀναλογίαν* vocis *temperatissimus,* etsi minus usitate, illum superlativum formarit. Orellius. Ruhnkenii coniectura eo minus est probabilis, quod librarios in tanta sensus perspicuitate formae raritatem parum respexisse credibile est; quin *temperatissimus* vocabulum tale est, in quo librarius facilius haerere posset, quam in *mixtissimus.*

XCIX, 1. *Ti. Nero*] Amerb. *T. Nero.*

civium post unum] Cludius haec et quae sequuntur non intelligens coniecit *civium postremum* etc. *Post* particula, quam temporis potestate accepit, ordinis vel gradus vim habet, hoc sensu: uni Augusto cedens, et hoc, quia sic *volebat,* (nam in consortionem tribuniciae potestatis acceptus *illi par esse potuisset)* ceterorum civium omnium erat eminentissimus.

§. 2. *et incredibili*] Bothius haec verba tanquam interpretationem vocis *inenarrabili* uncinis inclusit.

atque inenarrabili] Ruhnkenius coniecit *ac paene inenarrabili.*

cuius causae mox detectae sunt] Haec verba Krausius, mirifice difficultates videns, quae nullae sunt, auctore Censore in Ephemm. Litt. Gotting. a. 1779. Additam. p. 120., tanquam e margine in textum illata, eiicienda censuit, Cludio obsequente. Sed si quid est in tota periodo insolens, eo cernitur, quod Velleius, quum pro more suo rem quam maxime perspicue declarare

dam et incredibili atque inenarrabili pietate, cuius causae mox detectae sunt, cum C. Caesar sumpsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset viribus, ne fulgor suus orientium iuvenum obstaret initiis, dissimulata causa consili sui, commeatum ab socero atque eodem vitrico acquiescendi a continuatione laborum petiit. Quis fuerit eo tempore civitatis 3 habitus, qui singulorum animi, quae digredientium a tanto viro omnium lacrimae, quam paene ei patria manum iniecerit, iusto servemus operi. Illud etiam 4

vellet, (v. Prolegg. c. II. p. LV sqq.) in tautologiam incidit, atque idem, verbis mutatis, bis vel potius ter dixit. Sensus enim hic est: Tiberius *mira quadam et incredibili* atque inenarrabili pietate *(quae primo omnes latuit, sed qualis esset mox apparuit)* scilicet cum C. Caesar — ne fulgor suus orientium iuvenum obstaret initiis, *dissimulata causa consili*, commeatum — petiit. Parenthesis signo Burmannus inclusit verba *cuius causae — obstaret initiis*, quod, quum haec arctissime cum praecedentibus cohaereant, minime est necessarium, quamquam enunciationum ratio eo non turbatur. Pessime vero Ruhnkenius parenthesin sic constituit *(cuius causae — maturus esset)*.

viribus] Ed. pr. et Amerb. *viris*. Verissime Ed. Bipont. correxit *viribus;* nam agitur tantummodo de *aetate* Caesarum, quam paene adultam fuisse Velleius hic tradit. De structura cf. Tacit. Ann. I, 4, 2. *Ti. Neronem maturum annis*. Vell. II, 110, 2. *Adulta viribus Delmatia*. — Heinsius coniecit *curis*, quod litterarum elementis quidem proxime accedit ad scripturam codicis Murb., sed re ipsa alienum est; nam cum Caius Caesar, qui anno post, i. e. 748 u. c., 5 a. Chr. n, togam virilem sumpsit, tum quindecim annos esset natus, Lucius autem *duodecimum* ageret annum, parum credibile est hunc adhuc puerum *maturum curis* a Velleio dici; at qui haud multum a pubertate abesset, rectissime dici potuit *viribus maturus*. — Vascosanus coniecit *maturus esset, veritus;* — Bothius *mat. esset, verens;* — Laurentius in Locis Vell. p. 100. *maturus esset vir; is* etc.

in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum, ut omnes, qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti provincias, visendi eius gratia ad eum convenientes, semper privato, si illa

§. 4. *ita septem*] Laurentius in Locis Vell. p. 101. coniecit *ita septem eum.*

moratum] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *moratum est*, ex tacita Rhenani mutatione. — Vascosanus scripsit *moratum esse.*

profecti] Halmius in Emendd. Vell. p. 9. coniecit *sunt profecti*, quod quamquam subintelligendum est, tamen eo addito non opus est. Krausius suppleri vult *essent;* — Aldus Nepos ad structuram expediendam delendum censuit *qui* post *omnes.*

ad eum convenientes] Ed. pr. et Amerb. *ad quem convenientes.* Relativum ita turbat constructionem, ut nullo modo expediri possit. Quo in demonstrativum mutato quum omnis tollatur difficultas loci plurimis coniecturis tentati, non dubitavimus ex Vossii et Salmasii coniectura id in contextum recipere. *Ad eum convenientes*, quod Krausius mirifice negat latinum esse, significat *undique ad eum venientes*, sive *ex omnibus locis eum unum petentes;* cf. Sueton. Tiber. c. XII. *Vitans praeternavigantium officia, quibus frequentabatur assidue, nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin deverteret Rhodum.* — Rhenanus coniecit *atque conveniendi;* — Aldus Nepos *ut omnes proconsules legatique — ad eum convenientes semper privatum;* — Acidalius *ut omnes proconsules legatique, qui — ad eum convenere;* — Popma *ad diem convenientes;* — Heinsius *undecunque*, vel *undique convenientes;* — Ruhnkenius *ad eum venissent;* — Vascosanus *visendi eius gratia convenissent;* — Ed. Bipont. *undique venientes;* — Krausius *ad eum venientes;* — Susius in Gurlitti Animadverss. ad auct. vett. Spec. III. *visendi eius gratia ambages non vitantes;* — Orellius *visendi eius gratia adpulissent, eum convenientes;* — Halmius in Emendd. Vell. p. 9. *vis. eius gr. Rhodum adierint, atque eum convenientes;* — Laurentius in Locis Vell. p. 101. *vis. eius gr. deverterint, abditum convenientes.*

maiestas privata unquam fuit, fascis suos summiserint, fassique sint otium eius honoratius imperio suo.

C. Sensit terrarum orbis digressum a custodia 1
Neronem urbis; nam et Parthus, desciscens a socic-

semper privato, si illa maiestas privata unquam fuit] Ed. pr. et Amerb. *semper privatos illa maiestas privata nunquam fuit.* Aldi Nepotis, qui prius tentaverat *semper privatum, etsi illa maiestas privata nunquam fuit,* alteram coniecturam *semper privatum, si illa maiestas privata unquam fuit,* perfecit Lipsius scribendo *semper privato, si illa m. pr. unquam fuit.* Dativum enim non monstrat tantum ipsum vocabulum corruptum, sed postulat etiam dicendi ratio; nam quae in honorifica alicuius salutatione fiunt, ut h. l. *fascium summissio,* ea *illi* fieri dicuntur; cf. Sallust. Fragm. Histor. V, 9. Gerl. (p. 997. ed. Cort.) *Quibus de causis Sullam dictatorem uni sibi descendere equo, assurgere sella, caput aperire solitum.* Cic. Brut. c. 6, 22. *Cum tibi aetas nostra iam cederet fascesque summitteret.* Corruptela loci orta ex perversa structura, librario in eruenda difficili scriptura singulas modo voces componente, enunciationis sensum non respiciente; v. Prolegg. c. III. p. CIII. Rhenanus coniecit *semper privatus ille, maiestas privata nunquam fuit;* — Ursinus *semper privatus, illa* etc. Verbis per *si* particulam interiectis auctor priorem sententiam corrigit, ut recte vidit Krausius; cf. Cic. de Orat. II, 80, 326. *Narrare vero rem quod breviter iubent, si brevitas appellanda est, quum verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio.*

C, 1. *a custodia Neronem urbis*] Herelius p. 571. *urbis* delendum censet; — Kreyssigius Praef. p. LI. verba sic transponi vult *a custodia urbis Neronem.* Utrumque falso. In coniungendis enim vocibus *orbis* et *urbis* Velleius acumen quoddam quaerit, pariter ut supra II, 44, 1. *Inita potentiae societas, quae urbi orbique terrarum — exitiabilis fuit.* Verborum autem ordinem interposito inter ea quae arcte cohaerent accusativo neque vitiosum esse, neque sine exemplo, recte iudicavit Klotzius in Novv. Ann. Philol. et Paedag. a. 1836. XVII, 6. p. 204. coll. Cic. p. Mil. c. 7, 18. *Cum ornatissimum equitem Romanum P. Clodius M. Papirium occidisset.* in Verr. V, 28, 72. *Involutis e carcere capitibus ad palum atque*

tate Romana adiecit Armeniae manum, et Germania
2 aversis domitoris sui oculis rebellavit. At in urbe eo ipso anno, quo magnificentissimis gladiatorii muneris naumachiaeque spectaculis divus Augustus abhinc annos triginta, se et Gallo Caninio consulibus, dedicato Martis templo animos oculosque populi Romani repleverat, foeda dictu memoriaque horrenda in
3 ipsius domo tempestas erupit. Quippe filia eius Iulia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil, quod

ad necem rapiebantur. Brut. c. 89, 304. *Exercebatur una lege iudicium Varia.* His Klotzii exemplis adde Cic. de Orat. II, 33, 142. *Video enim in Catonis et Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de iure viro aut mulieri responderint.* Hirt. de B. G. VIII, 26, 1. *Caninius quum magnam multitudinem convenisse hostium videret.* Vell. II, 14, 3. *Hunc finem clarissimus iuvenis vitae habuit.* II, 29, 1. *Sub adventum in Italiam L. Sullae.* II, 57, 1. *Laudandum experientia consilium est Pansae.* Plura v. in Prolegg. c. II. p. LXXIII sqq.

manum] Burmannus coniecit *animum*, quod idonea caussa caret, si structuram spectas, et re falsissimum est, quia historiae fidei repugnat; cf. Dio Cass. LV, 11. p. 783. Vulgatam defendunt etiam Wopkens. in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 70. et Oudendorp. ad Apulei. Metam. IV. p. 295.

§. 2. *magnificentissimis*] Ed. pr. et Amerb. *magnificentissimi*, quod per grammaticam rationem ferri potest, si statuas Velleium dicere gladiatorium quidem munus fuisse magnificentissimum, naumachiam non item. Sed quum non credibile sit auctorem splendorem detrahere ac denegare alteri spectaculorum generi, quod Augustus ipse tanti putavit, ut in Monumento Ancyr. non solum memoraret, sed describeret, (v. Tacit. ed. Oberl. Tom. II. P. II. p. 846.) verissimam iudicamus Cuperi emendationem, qui de Elephant. II, 9. p. 209. coniecit *magnificentissimis;* cf. supra II, 56, 1. *Caesar magnificentissimis gladiatorii muneris, naumachiae et equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis — replevit urbem.* Corruptelae caussa fuit falsa verborum constructio; v. Prolegg. c. III. p. CVI.

facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit, magnitudinemque fortunae suae peccandi licentia metiebatur, quicquid liberet pro licito vindicans. Tum Iulus Antonius, singulare exemplum 4
clementiae Caesaris, violator eius domus, ipse sceleris a se commissi ultor fuit; quem, victo eius patre, non tantum incolumitate donaverat, sed sacerdotio, praetura, consulatu, provinciis honoratum, etiam matrimonio sororis suae filiae in arctissimam affinitatem re-

se et Gallo] Cludius coniecit *ipso et Gallo.* v. Reisigii Gramm. Lat. §. 220. p. 380 sqq.

foeda dictu] Amerb. *foeda in dictu.*

§. 3. *luxuria, libidine*] Cludius coniecit *lux. libidinequ e;* Orellius *luxuria ac libidine.* V. ad II, 20, 5.

infectum] Herelius p. 572. coniecit *intactum*, non assecutus vim zeugmatis, de quo v. ad II, 85, 6.

vindicans] Amerb. superscripsit *iudicans*, quemadmodum etiam legi posse Rhenanus in margine annotavit, scilicet quia uī, i. e. *uin*, et *iu* syllabae saepissime in libris manu scriptis vix discerni possunt; v. ad II, 91, 1. Heinsius coniecit *venditans.* Vulgatam recte tuetur Krausius, coll. II, 34, 2; II, 105, 1; II, 112, 5; nam *vindicare* etiam sine dativo est *sibi sumere* vel *arrogare.*

§. 4. *Iulus Antonius*] Ed. pr. et Amerb. *Iulius Antonius.* Sed quum *Iulus* nominetur in Fastt. coss. capitt. a. u. 743. p. 50. ed. Laur., apud Horat. Od. IV, 2, 2., Tacit. Ann. I, 10. et III, 18., Schegkio auctore Orellius recte hanc nominis formam recepit. Cf. etiam Casaubon. ad Sueton. Claud. c. 2., Reimarum ad Dion. Cass. LIV, 44. Spanhem. de Usu et Praest. Numism. X. p. 55. et Weichertum in Excursu V. ad Comment. de Cassio Parmensi poeta, p. 334. ed. II.

eius domus] Heinsius coniecit *Augustae domus*, non concoquens duos genitivos diversae structurae; v. supra ad II, 50, 4.; — Cludius hunc verborum ordinem fuisse suspicatur: *Tum Iulus Antonius, sing. ex. clem. Caesaris, quippe quem, victo eius patre — in arctissimam affinitatem receperat, violator domus eius, ipse sceleris a se commissi ultor fuit.*

coeperat. Quintusque Crispinus, singularem nequitiam supercilio truci protegens, et Appius Claudius, et Sempronius Gracchus, ac Scipio aliique minoris nominis utriusque ordinis viri, quasi cuiuslibet uxore violata, poenas pependere, cum Caesaris filiam et Neronis violassent coniugem. Iulia relegata in insulam, patriaeque et parentum subducta oculis; quam tamen

§. 5. *singularem*] Bothius hanc vocem delendam censet, tanquam male huc illatam ex §. 4. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

poenas pependere] Amerb. *poenas pependissent pependere*, quod Orellius tanquam egregiam et unice veram scripturam arripuit, *quasi* mutans in *quas*. Sed *pependissent* non fuisse in cod. Murb. satis abundeque probatur Burerii silentio. Patet igitur Amerbachium turpi lapsu istud vocabulum intulisse, fortasse quia incepta voce *pependere* oculis ad *violassent* aberrans, huius verbi terminationem alteri addidit; errore autem animadverso veram scripturam exhibuit quidem, sed falsam delere neglexit. Tantum autem abest, ut Amerbachiana scriptura oratio fiat elegantior, ut eam multo deteriorem fecisset Velleius, si ita scripsisset, quemadmodum Orellio placuit.

relegata] Bothius scripsit *relegata est.*

subducta oculis] Cludius maluit *subd. oculis est;* v. ad II, 55, 1.

voluntaria] Ed. pr. et Amerb. *voluntarii.* Ineptam scripturam, perversa verborum constructione ortam (v. Prolegg. c. III. p. CVI.), correxit Lipsius. cf. Dio Cass. LV, 10. p. 782. *Καὶ αὐτῇ* (sc. *τῇ Ἰουλίᾳ*) *καὶ ἡ Σκριβωνία ἡ μήτηρ ἔχουσα συνεξέπλευσε.*

CI, 1. *ad visendum*] Ed. pr. *ad sedandum*, ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *adsidendum.* Quum nihil esset, quod C. Caesar, antequam in Syriam iret, vel *sedaret*, vel *assideret*, pacatis, quas obibat, provinciis, (v. Dionis Cass. Fragm. Peiresc. p. 665. apud Reimar. ad LV, 11. p. 792. *ὅτε Γάϊος τὰ στρατόπεδα τὰ πρὸς τῷ Ἴστρῳ εἰρηνικῶς ἐπήει*), palmaris est Lipsii emendatio in textu a nobis expressa; nam *visere* peculiare ac prope solenne vocabulum est, de provinciis in otio adeundis et inspiciendis, ut Heinsius plurimis exemplis probavit; cf. supra II, 94, 4. *Tiberius missus ab vitrico ad visendas*

comitata mater Scribonia voluntaria exili permansit comes.

CI. Breve ab hoc intercesserat spatium, cum 1
C. Caesar, ante aliis provinciis ad visendum obitis, in Syriam missus, convento prius Ti. Nerone, cui omnem honorem ut superiori habuit, tam varie se ibi gessit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum

ordinandasque provincias. Liv. XXVII, 35, 3. *L. Manlius trans mare legatus iret, viseretque, quae res ibi gererentur.* XXIX, 12, 5. *Misso Laetorio legato ad visendas res.* XXXIX, 33, 3. *Aliam legationem patres in Graeciam decreverunt, ad visendum, redditaene civitates Thessalis et Perrhaebis essent.* XL, 2, 7. *Prius Marcio audito, qui ad res Graeciae — visendas missus erat.* XLI, 19, 4. *Legati missi ad res visendas in Macedoniam erant.* Tacit. Ann. XV, 21, 2. *Olim quidem non modo praetor aut consul, sed privati etiam mittebantur, qui provincias viserent.* — Popma coniecit *adsidendo obitis;* — Heinsius *ad ius dicendum.*

Ti. Nerone] Amerb. *T. Nerone.*

cui omnem honorem] Bothius scripsit *qui omnem ei honorem*, scilicet ut Velleius congrueret cum Dione Cass. LV, 11. p. 782. *Τοῦ δὲ Γαΐου σταλέντος ἐς τὸν πρὸς Ἀρμενίους πόλεμον ὁ Τιβέριος ἐς Χῖον ἐλθὼν αὐτὸν ἐθεράπευσεν· ἐταπείνου γὰρ ἑαυτὸν, καὶ ὑπέπιπτεν οὐχ ὅτι τῷ Γαΐῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ οὖσι.* Sed licet hic veriora tradiderit, tamen id non ad hunc locum pertinet. Nam quis credat, Velleium, omnia ad Tiberii laudes componentem, ausum esse de eo scribere, eum *ut superiorem* coluisse *Gaium*, quem auctor mox non dubitat ut hominem de plebe taxare? Praeterea Bothii coniecturae, cui praeivit Lipsius, *cui* pro *qui* coniiciens, repugnant verba *convento prius Ti. Nerone*, quae ille, si sibi constare voluisset, simul debuisset sic mutare *conventus prius a Ti. Nerone.*

mediocris] Krausius ante hanc vocem excidisse censet *non*, quod ad sententiam prorsus necessarium sit. Sed non vidit diversam esse relationem negationis, quae utraque *nec* particula continetur, quarum prior ad verbum, altera ad adiectivum pertinet, ut supra II, 88, 2., hoc sensu: *ut et laudaturum magna, et vituperaturum non mediocris materia non deficiat.* In

mediocris materia deficiat. Cum rege Parthorum, iuvene excelsissimo, in insula, quam amnis Euphrates ambiebat, aequato utriusque partis numero, coiit. 2 Quod spectaculum stantis ex diverso hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter se eminentissima imperiorum et hominum coirent capita, perquam clarum et memorabile sub initia stipendiorum 3 meorum tribuno militum mihi visere contigit. Quem militiae gradum ante sub patre tuo, M. Vinici, et P. Silio auspicatus in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Asiaque et omnibus ad Orientem visis provinciis, et ore atque utroque maris Pontici latere,

promptu est autem inusitatam alterius negationis collocationem eo esse ortam, quod oppositionis ratio, quae constat verbis *laudaturum* et *vituperaturum*, non patiebatur alterum verbum post *mediocris* poni.

deficiat. Cum] Ruhnkenius coniecit *deficiat, et cum.*

iuvene excelsissimo, in insula] Ed. pr. et Amerb. *iuvene excelsissimae insulae.* Verissima est Ed. Basil. emendatio, in textu a nobis expressa, cuius ratio planissime patet. Nam *i*, praepositionis *in* compendium, cum *o* conflatum genuit *ae;* quam corruptelam casu ortam secuta est altera consilio facta ad aequandam structuram. — Lipsius coniecit *iuvenis excelsissimus in insula*, Gaium Caesarem intelligens, quia Phraates, Parthorum rex, tum senex fuerit. Sed nullo veterum scriptorum testimonio Phraates nominatur; quare rectius eius filius Pharnaces intelligetur cum Norisio ad Cenotaph. Pison. Diss. II. c. 12., quamquam non opus est, ut scribatur quemadmodum ille coniecit, *cum regio Parthorum iuvene excelsissimo, in insula;* — Grunerus *in ripa excelsissimae insulae;* — Heinsius *sene excelsissimae mentis, in insula;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 173. *at cum r. P. vere excelsissimo in insula;* — Orellius *iuvene excelsissimae indolis in insula;* — Gruterus verba *iuvene excelsissimo* ab interprete illata opinatur.

haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Gaium in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est.

CII. Quo tempore M. Lolli, quem veluti moderatorem iuventae fili sui Augustus esse voluerat, perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia, per Parthum indicata Caesari, fama volgavit. Cuius mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit ignoro. Sed quam hunc decessisse laetati homines, tam paulo post obisse Censorinum in iisdem provinciis graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum. 1

§. 5. *M. Vinici*] Burerius coniecit *M. Vinicio.* Sed obstat praenomen, quod Vincii patri non erat *Marco*, sed *Publio;* v. infra II, 103, 1. et Fastt. coss. capitt. anni u. c. 754. p. 50. ed. Laur.

P. Silio] Oudendorpius ad Sueton. Aug. c. 71. corrigit *C. Silio*, ut intelligatur filius eius P. Silii, qui supra II, 83, 3. memoratur. Sed res incerta est.

visis] Rhenanus coniecit *usus;* — Halmius *versis;* — Bothius *versus,* in quibus coniecturis omnibus nihil neque sensu neque constructione sanum est.

et ore atque utroque] Heinsius coniecit *et ora ab utroque.*

Gaium] Ita Amerb.; Ed. pr. *Caium.*

CII, 1. *perfida*] Amerb. *perfidia.* Bothius *perfida et* tanquam glossema uncinis inclusit. v. Prolegg. c. II. p. LVIII.

Caesari, fama volgavit] Ed. pr. et Amerb. *Caesaris iam avulgavit.* Correxit ingeniose Lipsius in Epistol. III, 8. v. Prolegg. c. III. p. CIII. Rhenanus tentaverat *Caesaris ira evulgavit;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 174. *Caesar etiam evulgavit.*

ignoro] Amerb. *dignor.*

obisse] Ita Amerb. In Ed. pr. est *odisse*, Rhenani errore, quem ipse in margine correxit.

2 Armeniam deinde Gaius ingressus prima parte introitus prospere rem gessit; mox in colloquio, cui se temere crediderat, circa Artageram graviter a quodam, nomine Adduo, volneratus, ex eo ut corpus minus habile, ita animum minus utilem reipublicae ha-
3 bere coepit. Nec defuit conversatio hominum, vitia eius assentatione alentium, (etenim semper magnae

§. 2. *deinde Gaius ingressus*] Ed. pr. et Amerb. *deinde ingressus.* Excidisse nomen *Gaius* recte iudicavit Krausius, assentiente Orellio. Nam quum nimis multa interiecta sint, quibus prorsus impeditur, quominus *Gaius Caesar*, cuius supra mentio facta est, huius enunciationis subiectum cogitari possit, Velleius, nisi plane dissolute scribere vellet, nomen ponere debuit. Maxime igitur verisimile est sola *C* littera scriptum, ut II, 103, 3., praecedente *e* absorptum esse. De simili corruptela v. supra II, 66, 5.

prospere rem gessit] Ed. pr. et Amerb. *prospere gessit.* Hic quoque *rem* vocem, compendio *rē* scriptam, proxima syllaba interceptam esse recte vidit Heinsius; cf. Prolegg. c. III. p. CVIII. Eandem corruptelam in iisdem vocabulis duobus locis habes apud Livium XXV, 22, 1. et XL, 57, 9. ubi v. Drakenborch. — Grunerus coniecit *primam partem introitus prospere gessit.*

in colloquio] Ed. pr. et Amerb. *in colloquium.* Correxit Ed. Basil. v. Prolegg. c. III. p. XCI.

Artageram] Muretus ad Tacit. Ann. I, 3. hunc locum laudans scripsit *Artagera*, ut est apud Zonaram p. 539. D. *Ἄδδων γάρ τις, τὰ Ἀρτάγειρα κατέχων, ὑπηγάγετο παρὰ τὸ τεῖχος τὸν Γάϊον, ὥς τι φράσων ἀπόῤῥητον, καὶ αὐτὸν ἔτρωσε.* Sed singularem analogia non destitutum esse iam monuimus ad I, 2, 2. cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II, 1. p. 432.

§. 3. *alentium, (etenim — adulatio,) per quae*] Vulgo haec pessime sic interpunguntur, ut omisso parenthesis signo punctum sit post *alentium* et post *adulatio*, qua ratione *quae*, ad *vitia* pertinens, prorsus a suo vocabulo avellitur. Iustam interpunctionem solus instituit Cludius. Parenthesin indicat etiam *etenim* particula, (v. infra II, 121, 2. et Handii Tursellin. Vol. II. p. 543. §. 6.,) in hoc usu non diversa a *quippe*, de quo v. ad II, 15, 1.

fortunae comes adest adulatio,) per quae eo ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere quam Romam regredi mallet. Deinde 4 reluctatus invitusque revertens in Italiam, in urbe Lyciae, Limyra nominant, morbo obiit, cum ante annum ferme L. Caesar frater eius Hispanias petens Massiliae decessisset.

adest] Amerb. *est.*

eo ductus] Orellius scripsit *eo deductus;* sine ulla caussa.

§. 4. *Deinde reluctatus*] Ita Ed. pr.; Burerius hoc annotavit: „Exemplum vetus sic habet, ut nescias, an *diu reluctatus*, seu potius *de reditu luctatus* legendum sit.“ Amerb. *diu de re luctatus*, ex quo patet Rhenanum veram scripturam e cod. Murb. eruisse. Nam *diu de* aperte est *deinde*, cuius vocis elementa latent etiam in Bureriano *de reditu;* ex *re* autem, quam syllabam, a suo vocabulo avulsam, Rhenanus recte ei addidit, Burerius coniectura extremam partem vocis *reditu* finxit. De universo corruptelae genere v. Prolegg. c. III. p. CIII. Acidalius coniecit *dein diu*, vel *diu inde, reluctatus;* — Heinsius *diu inde luctatus;* — Lipsius *diu reluctatus;* — Ruhnkenius *diu deinde reluctatus*, quem Krausius, Cludius et Orellius secuti sunt. Ceterum *deinde* non pertinet ad *reluctatus*, sed ad *revertens*, quod participium coniunctis vocabulis *reluctatus invitusque*, adverbiorum instar, accuratius definitur; v. annotat. nostram ad Iug. c. XXXVIII, 1. p. 216.

Limyra] Ed. pr. *Limyram*, ex Rhenani correctione; Burer. *Lymira;* Amerb. *Limira.* Veram nominis formam reposuit Ruhnkenius ex Strabone XIV. p. 981. C. Almel. *Εἶθ' ἡ ἐκβολὴ τοῦ Λιμύρου ποταμοῦ, καὶ ἀνιόντι πεζῇ σταδίους εἴκοσι τὰ Λίμυρα πολίχνη.*

cum ante] Ed. pr. *quom ante;* Amerb. *quo ante.* Correxit Ed. Basil. Nam *quom* scripturae pro *quum* nullum praeterea in cod. Murb. exstat exemplum; relativo *quo* autem obstat coniunctivus.

L. Caesar] Ed. pr. et Amerb. *quinquagesimum Caesar;* nimirum scriba falsa inita verborum constructione (v. Prolegg. c. III. p. CV sqq.) *L* litteram pro nota numerali accepit,

1 CIII. Sed fortuna, quae subduxerat spem magni nominis, iam tum reipublicae sua praesidia reddiderat. Quippe ante utriusque horum obitum, patre tuo P. Vinicio consule, Ti. Nero, reversus Rhodo, incredi-
2 bili laetitia patriam repleverat. Non est diu cunctatus Caesar Augustus; neque enim quaerendus erat,
3 quem legeret, sed legendus, qui eminebat. Itaque quod post Luci mortem adhuc Gaio vivo facere voluerat, eoque vehementer repugnante Nerone erat

quae ad *annum* pertineret. Vitium correxit Ed. Basil. Eandem corruptelam observavit Kreyssigius ad Liv. XXXIII, 27. p. 62. — Popma tentavit *cum ante annum ferme quinque menses.*

Massiliae] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr. *Massilia.*

decessisset] Heinsius maluit *decessit.*

CIII, 1. *nominis*] Burmannus coniecit *ominis.*

Ti. Nero] Amerb. *T. Nero.*

§. 2. *legeret*] Burerius in cod. Murb. fuisse testatur *legerat;* at Ed. pr. et Amerb. habent *legeret,* ut sententia necessario poscit, vel ex levi coniectura, vel quia et Rhenan. et Amerb. obscure scriptam vocem ita legendam putarunt.

§. 3. *post Luci mortem adhuc Gaio vivo*] Ed. pr. et Amerb. *post L. mortem adhuc C. vivo.*

voluerat, eoque] Ed. pr. *voluerat, atque;* — Burerius haec annotavit: „Ex vestigiis vetusti codicis apparebat pro *atque, eoque* sive *eo quod* scriptum; nam vestigia literarum vix poterant videri prae vetustate.“ — Amerb. *voluerat, quae eo.* Veram scripturam esse *voluerat, eoque,* quam feliciter eruit Burerius, et sensus docet, et relicua codicis Murb. legendi pericula. Nimirum *eoque* est *et propterea,* hoc sententiarum nexu: *quod Augustus adhuc Gaio vivo facere voluerat, et, propter id ipsum* (sc. *quod Gaius adhuc vivebat*) *vehementer repugnante Nerone, erat inhibitus.* Utraque parte vocis *eoque* obscura facile intelligitur, cur Burerius fluctuaverit inter eam et *eo quod,* Rhenanus autem *atque* legendum putaverit. Quod Amerbachius dedit, haud dubie eius con-

inhibitus, post utriusque adulescentium obitum facere perseveravit, ut et tribuniciae potestatis consortionem Neroni constitueret, multum quidem eo cum domi tum in senatu recusante, et eum Aelio Cato, C. Sentio consulibus V. Kal. Iulias, post urbem conditam annis septingentis quinquaginta quattuor, abhinc annos septem et viginti, adoptaret. Laetitiam illius diei concursum- 4
que civitatis et vota paene inserentium coelo manus spemque conceptam perpetuae securitatis aeternitatis-

iectura est, quippe qui putaret *que* relativum esse et errore postpositum. — Heinsius coniecit *voluerat, adeoque;* — Ruhnkenius *voluerat, quoque;* — Orellius *voluerat atque eo;* — Bothius *voluerat, ab eoque;* — Laurentius in Locis Vell. p. 146. *voluerat, atque quo.*

recusante] Haec vox excidit in Amerb.; — inde Orellius suspicatur a Velleio scriptum fuisse *renitente.*

et eum] Acidalius coniecit *et eundem.*

C. Sentio] Ed. pr. et Amerb. *Sentio,* sine nota praenominis, quod hoc quidem loco necessarium est, ubi ambo *consules* sine copula ponuntur; nam de consulibus tantum valere quae ad Sall. Cat. c. XLIII, 2. p. 199. de necessitate praenominis in omittenda copula diximus, monemus propter Handium, qui in Tursell. Vol. II. p. 473. sententiam nostram non plane intellexisse videtur. Recte igitur Aldus Nepos scripsit *C. Sentio;* — Schegkius maluit *et Sentio;* — Vossius *Sentioque.*

annis septingentis quinquaginta quattuor] Ed. pr. *annis DCCLIIII;* Burer. et Amerb. *annis ACC. LIIII.* frequenti lapsu *d* litterâ cum *a* mutatâ; v. ad II, 30, 5. De ipsorum numerorum ratione egimus in Prolegg. c. II. p. XLII. Aldus Nepos coniecit *annis DCCLVI abhinc annos XXVI;* — Grunerus *annis DCCLVI abhinc annos XXVII.*

§. 4. *manus, spemque*] Amerb. *manuq. spem quae.*

conceptam] Ed. pr. et Amerb. *conceptae,* cuius depravationis, quam aperte prodit membrorum inconcinnitas ac laesus dicendi usus, caussa fuit verborum falsa constructio; v. Prolegg. c. III. p. CVI. Correxit Boeclerus in Indic. v. *spes.*

que Romani imperi vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere. Contenti simus id unum dixisse, quanti ille omnibus fuerit. Tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimoni, omnibus hominibus salutis, quietis, pacis, tranquillitatis, adeo

in illo iusto opere] Laurentius in Locis Vell. p. 102. coniecit *in ullo opere*, plane oblitus Velleium loqui de maiore opere suo, quod se editurum esse saepius profitetur; cf. Prolegg. c. I. p. XIV.

hic implere] Ed. pr. et Amerb. *hinc implere*, eodem vitio, ut supra II, 84, 2. Correxit Ed. Basil. — Laurentius in Locis Vell. p. 103. mavult *hoc implere*.

§. 5. *implere. Contenti simus id unum dixisse, quanti ille omnibus fuerit.*] Ed. pr. et Amerb. *implere tentemus; id unum dixisse, quam ille omnibus fuerit.* Hunc locum corruptissimum Cludius optime ex variorum coniecturis constituit ita, ut edidimus. Primum post *implere* puncto esse distinguendum vidit Heinsius; non duplex est enim oppositio verborum *persequi* et *implere*, *posse* et *tentare*, sed unum habetur in hac enunciatione verbum primarium *posse*, ex quo pendent opposita *vix abunde persequi, nedum implere.* Tum in *tentemus* latere *contenti simus* feliciter assecutus est Burmannus, quam emendationem aeque sensus, atque externa corruptelae ratio confirmat. Nam *contentum esse* quum significet *omissis maioribus et gravioribus in re minore et leviore se continere*, quivis videt quam egregie id huic loco conveniat. Quomodo autem *contenti simus* corrumpi potuerit in *tentemus*, nemini obscurum esse potest, qui reputaverit *con*, compendio scriptum, absorptum fuisse praegressa *e* littera, (v. Prolegg. c. III. p. CVII sqq.,) et saepius duo vocabula, fine alterum, alterum initio truncata, in unum conflata esse, ut ostendimus ad II, 11, 2. p. 124. Denique *quanti* egregia est Rosenheynii coniectura in Lectt. Vell. Spec. p. 18. proposita, quae levissima unius vocabuli mutatione ceterorum praestat integritatem, et sententiam praebet longe aptissimam. Rhenanus coniecit: *implere tentemus; id unum dixisse contenti, quam ille charus omnibus fuerit, tum apparuit. Tum refulsit* etc.; — Lipsius *implere tentemus. Id unum*

ut nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius.

CIV. Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, 1
quem post mortem Agrippae Iulia enixa erat. Sed in Neronis adoptione illud adiectum his ipsis Caesaris verbis: Hoc, inquit, reipublicae causa facio. Non 2

dixero, quam ille omnia omnibus fuerit; — Vossius *implere tentemus. Id unum dixisse habeo, quam ille omnia omnibus fuerit;* — Heinsius *implere. Tentemus id unum dixisse, quam ille omnia omnibus fuerit;* — Burmannus *implere. Contenti simus id unum dixisse, quantus ille* (vel *quam illustris) omnibus visus fuerit;* — Ruhnkenius *implere. Contenti simus id unum dixisse, quam in illo omnia omnibus fuerint;* — Bothius *implere tentemus; id unum dixerim, quanti ille omnibus fuerit;* — Ed. Bipont. *implere. Contenti simus id unum dixisse, quam ille omnibus affuerit,* vel *quam ille omnibus carus fuerit;* — Laurentius in Locis Vell. p. 102. *implere tentemus. Id unum dixisse sat est, quam ille omnibus fuerit carus,* vel *qualis ille omnibus fuerit*; — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 174. *impl. tentemus. Id unum dixisse aequum, quam amabile omnibus fuerit.*

CIV, 1. *eadem die*] Krausio auctore Cludius et Kreyssigius Praef. p. LII. praeferunt *eodem die,* quomodo Velleius infra II, 112, 7. locutus est. Sed rem incertam esse patebit ex iis, quae Schneiderus in Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 351. monuit; quare nihil mutandum putamus. cf. Reisigii Gramm. Lat. §. 100. p. 148. ibique Haasium not. 168 b.

M. Agrippa] Ursino praenomen delendum visum est.

inquit] Hanc vocem Herelius p. 572. tanquam a sciolo illatam eiiciendam censet, assentientibus Krausio et Cludio. Sed dicendi usum, quo in oratione alicuius afferenda, praegresso iam aliquo dicendi verbo, nihilominus *inquit* subiicitur, bene vindicavit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. 1, 5. p. 20., cuius annotationem huc transscribemus: „Liv. VII, 16, 5. *Ibi Sext. Tullius exclamat: aspice, imperator, inquit, quemadmodum exercitus tuus tibi promissa praestet.* Seneca de Ira c. 23. *Excepit Democharis: te, inquit, suspendere.* Gell. II, 13. *De*

diu vindicem custodemque imperi sui morata in urbe patria protinus in Germaniam misit, ubi ante triennium sub M. Vinicio, avo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum. Erat id ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione
3 operum ornamenta triumphalia. Hoc tempus me, functum ante tribunatu, castrorum Ti. Caesaris militem fecit. Quippe protinus ab adoptione missus cum eo praefectus equitum in Germaniam, successor offici patris mei, coelestissimorum eius operum per annos continuos novem praefectus aut legatus spectator, et pro captu mediocritatis meae adiutor fui. Neque illi

Graccho ita scripsit: orare coepit, inquit, etc. ubi v. Gronov. Adde Virg. Aen. III, 480, ibique Serv. et V. D. in Obss. Misc. Nov. Tom. X. p. 14."

§. 2. *ubi ante*] Amerb. *uti ante.*

Erat id ab eo] Ed. pr. et Amerb. *erat et ab eo.* Correxit Lipsius quod nullo modo intelligi aut commode defendi potest. Nihilominus apertum calami lapsum retinendum censet Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 44., caussa eius rei non reddita.

§. 3. *Ti. Caesaris*] Amerb. *T. Caesaris.*

continuos novem] Ed. pr. *continuos VIIII;* Amerb. *continuos VIII*, quem numerum Kreyssigius Praef. p. LII. et Sauppius in Mus. Helvet. a. 1837. I, 2. p. 139. veriorem iudicant. Quod quamquam non negamus, tamen non incredibile videtur Velleium ad augendam rem etiam eum annum, quo Tiberius triumphum egit, relicuis addidisse. Quare Rhenano, cuius nullum errorem notavit Burerius, maiorem fidem habemus, quam Amerbachio.

spectator, et] Ed. pr. *spectatus;* Amerb. *spectatum.* Acutissime correxit Ed. Basil., ut in textu scripsimus; nam substantivum hic esse debere ostendit *adiutor* vocabulum ex aequo positum. Non minus necessaria est copula, quae siglo scripta cum

spectaculo, quo fructus sum, simile condicio mortalis recipere videtur mihi, cum per celeberrimam Italiae partem, tractumque omnem Galliae provinciarum veterem imperatorem et ante meritis ac virtutibus quam nomine Caesarem revisentes sibi quisque quam illi gratularentur plenius. At vero militum conspectu eius eli- 4
citae gaudio lacrimae, alacritasque et salutationis nova quaedam exsultatio, et contingendi manum cupiditas non continentium, protinus quin adiicerent: Videmus te, imperator? salvum recepimus? ac deinde: ego tecum, imperator, in Armenia, ego in Rhaetia fui, ego a te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum, neque verbis exprimi, et fortasse vix mereri fidem potest.

praegressa syllaba in vitiosam terminationem coaluit. Ruhnkenius tantummodo scripsit *spectator, pro;* — Cludius *spectator, aut;* — Laurentius in Locis Vell. p. 104. et Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 44. *spectatus, pro* defendunt.

fructus] Ita Burer.; Ed. pr. *fruitus;* Amerb. *functus.* De forma *fructus,* quae sola legitima est, v. Reisigii Gramm. Lat. §. 145. p. 236.

tractumque omnem] Ed. pr. et Amerb. *tractum omnem.* Cum asyndeto hic locus esse nequeat, copulam recte addidit Cludius, interceptam proxima *o* littera; v. ad II, 28, 2.

virtutibus] Ed. pr. et Amerb. *viribus,* quod nullo aut inepto sensu positum Lipsius verissime mutavit in *virtutibus.* Vitium ortum ex male intellecto scribendi compendio; v. Prolegg. c. III. p. XCIX.

sibi quisque, quam] Amerb. *sibi quisquam.*

§. 4. *At vero*] Amerb. *vero,* omisso *at.*

elicitae] Amerb. *felicitate.*

Videmus te — ac deinde, ego] Haec verba desunt apud Amerb.

1 CV. Intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci, gens utinam minus mox nostra clade nobilis, transitus Vi-

CV, 1. *subacti Caninefates, Attuarii, Bructeri*] Ed. pr. *subacti Caninifaci, Attuari Bruteri;* Amerb. *subacta cam ui faciat ruari Bruoteri.* — Nomen *Caninefates* restituit iam Rhenanus; cf. Tacit. Histor. IV, 15. IV, 32. IV, 79. Annall. IV, 73. XI, 18. Male Vossius scribi voluit *Caninifati,* inaudita forma. — Pro *Attuari,* quod nomen aperte praebet cod. Murb., conspicuum etiam in portentosa Amerbachii depravatione, Popma recte scripsit *Attuarii* ex Ammiano Marcell. XX, 10. Iidem a Strabone VII, p. 446. B. vocantur *Χαττουάριοι*, a Tacito in Germ. c. 34. *Chasuari;* v. Mannerti Geogr. Gr. et R. Tom. III. p. 228. *Bructeri* rursus restitutum a Rhenano; cf. Tacit. Germ. c. 33. Ann. I, 57. I, 60. XIII, 56. Contra historiae fidem Vossius *Bruteri* tuetur.

Cherusci] Amerb. *ceruissi.* — Ruhnkenius coniiciebat *receptae Cheruscorum gentes;* sed ipse postea damnavit.

gens utinam minus] Ed. pr. *gentes, et inamninus;* Burer. et Amerb. *gentes* (Amerb. *gentis) et inamminus.* Locum pessime affectum feliciter sanavit Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 73. p. 606 sq., praeeunte aliqua ex parte Vossio, qui coniecit *Cherusci, gentes, et, utinam minus mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis.* Varianam cladem hic significari apertum est, a *Cheruscis* Arminio duce Romanis illatam; *Cheruscorum* igitur gens hac clade nobilis facta, non *Visurgis,* qui nihil plane ad illam calamitatem pertinet. Ex quo patet Velleium, quum Cheruscos, cladis gravissimae auctores, (v. II, 119, 1.) dixisset a Tiberio *receptos,* i. e. condicionibus in fidem acceptos, (v. Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 23, 11.,) naturali affectu motum addidisse verba *gens utinam minus mox nostra clade nobilis.* cf. II, 8, 3. *Cimbri et Teutoni transcendere Rhenum, multis mox nostris suisque cladibus nobiles.* II, 28, 3. *Primus ille, et utinam ultimus, exemplum proscriptionis invenit.* — Ad singula quod attinet, in promptu est *gens* mutatum esse in *gentes,* quia librarius historiae ignarus hanc vocem non ad Cheruscos solos, sed etiam ad Caninefates et Bructeros, illius gloriae famaeque expertes, pertinere putabat. De *ut* particula in *et* corrupta v. ad II, 90, 1. De vocabulis divulsis et portentose rursus compositis v. Prolegg. c. III. p. CI. Denique totius loci conformatio, ita instituta, ut singulae felicis expeditionis par-

surgis, penetrata ulteriora, cum omnem partem asperrimi et periculosissimi belli Caesar vindicaret, in iis, quae minoris erant discriminis, Sentium Saturninum,

tes ἀσυνδέτως et brevissimâ perfecti formâ enumerentur, ostendit *et* copulae nullum locum esse; ex quo quum sequatur interposita verba nullo pacto referri posse ad sequentia *transitus Visurgis*, quippe quae nude posita eandem structurae rationem habeant, atque cetera periodi membra, simul perspicitur, quantum a vero aberrent, qui de inferenda voce *amnis* cogitaverint. Rhenanus coniecit *gentes, et amnis, mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis*, eumque sequuntur Lipsius, Ruhnkenius, Krausius et Cludius, ita tamen, ut *gentes* deleant; — Burerius *gentes, et inamoenus mox — transitu Visurgis;* — Burmannus *gentes, mox damnis et nostra clade nobilis transitus Visurgis*, vel *gentes, et damnis immanibus mox et nostra* etc. — Ed. Bipont. *gentes immaniores, et mox nostra cl. nobiles; transitus Visurgis;* — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 45. *gentes, et in amnibus mox — transitus Vis.;* — Bothius *recepta Cheruscorum gens; etiam amnis, mox — transitus Vis.;* — Orellius *Cherusci, et utinam minus mox — transitus Vis.;* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 151. *Cherusci, gentes utinam minus mox — nobiles, transitus Vis.;* — Luxdorphius in Iahnii Novis Ann. Philol. et Paed. Suppl. I, 2. p. 171. *Cherusci ingentes, et immanis mox — transitus Vis.;* — Halmius in Emendd. Vell. p. 18. *Cherusci, et inmani mox — transitus Vis.;* — Cannegieterus in Diss. de Brittenb. c. IX, p. 100. *Attuarii, Bructeri recepti, Cheruscae gentes, et Inguiomerus, mox — nobilis. Transitus Visurgis;* — Bergkius in Zimmermanni Annall. Studd. Antiq. a. 1835. No. 113. p. 912. *recepti Cherusci Segestes, et Inguiomerus, et Arminius, mox — nobilis; transitus Visurgis;* — Susius in Gurlitti Animadverss. Spec. III. *recepti Cherusci et Sicambri, et mox* etc.; — Heinrichius ad Cic. Oratt. ined. p. 103. *rec. Cherusci, Sigambri, et mox* etc.

transitus] Ed. pr. et Amerb. *transitu.* Correxit Rhenanus. V. annotat. praeced.

vindicaret, in iis] Krausius et Herelius p. 572. scribendum duxerunt *vindicaret, iis;* — Cludius *vindicaret sibi, iis* —, in quod etiam inciderunt Haasius in Ephemm. Litt. Hall.

qui iam legatus patris eius in Germania fuerat, praefecisset, virum multiplicem in virtutibus, navum, agilem, providum militariumque officiorum patientem ac

a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 446. et Laurentius in Locis Vell. p. 104.; — Bothius *vindicaret, nec nisi iis.* Sed vulgata integra est. Nam *sibi* pronomine non utique opus esse ad oppositionem iam supra monui ad II, 62, 5. *Vindicare* enim quum saepe sine dativo ponatur (v. ad II, 34, 2. et II, 100, 3. II, 112, 5.), omnis vis orationis inest in nomine *Caesar,* cui respondet *Sentium Saturninum.* Tum nemo vidit, praeter Schoepferum in Adnotatt. critt. p. 45., recte dici *in iis praefecit.* Nam quum *praeficere aliquem,* non addito dativo rei, significet *aliquem praefectum facere* vel *constituere* (eodem fere modo *ut imponere* absolute usurpatur, de quo v. ad Sall. Iug. c. XLVII, 2. p. 267.), recte dici potest *in aliqua re aliquem praeficere,* i. e. *praefecti partes ei tribuere;* neque ratio caret exemplis. cf. Cic. p. Sext. c. 18, 41. *Ipse Caesar in eo exercitu ipsius tribuni plebis inimici mei fratrem praefecerat.* Liv. XXXVII, 41, 1. *Rex Antipatrum fratris filium in laevo praeposuit.* XXI, 4, 4. *Neque Hasdrubal alium quemquam praeficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset.* Sall. Iug. c. LXI, 1. *Metellus in his urbibus, quae ad se defecerant, praesidia imponit.* cf. etiam Handium de Particc. Latt. Vol. III. p. 265. §. 29.

qui iam legatus] Ed. pr. *qui tum legatus;* Amerb. *qui tum legatum;* sed *legatum* haud dubie typothetae error est, ut Kreyssigius Praef. p. LIII. recte suspicatur, quum Orellius nullam discrepantiam ab Ed. pr. notaverit. Verissime autem Grunerus pro *tum* scripsit *iam,* qua simplici mutatione ineptiae vulgatae lectionis removentur; nam *tum* nullo pacto cum *fuerat* potest conciliari. Sensus loci hic est: Tiberius Sentium Saturninum, quippe qui non novus esset in Germania, sed iam Augusti legatus in ea fuisset, Germanorumque mores et instituta novisset, in rebus minoris momenti, i. e. *in iis, quae sine armis transigerentur,* praefecit. cf. Dion. Cass. LV, 28. p. 782. *Ἐπὶ τοὺς Κελτοὺς ἐστράτευσαν μὲν καὶ ἄλλοι τινὲς, ἐστράτευσε δὲ καὶ ὁ Τιβέριος. καὶ μέχρι γε τοῦ ποταμοῦ πρότερον μὲν τοῦ Οὐϊσούργου, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ Ἄλβίου προεχώρησεν, οὐ μέντοι καὶ ἀξιομνημόνευτόν τι τότε γε ἐπράχθη· καίτοι καὶ αὐτοκράτορος μὴ ὅτι τοῦ Αὐγούστου, ἀλλὰ καὶ τοῦ Τιβερίου ἐπ' αὐτοῖς κληθέντος, καὶ*

peritum pariter, sed eundem, ubi negotia fecissent locum otio, liberaliter lauteque eo abutentem, ita tamen, ut eum splendidum aut hilarem potius quam

τιμὰς ἐπινικίους Γαΐου Σεντίου, τοῦ τῆς Γερμανίας ἄρχοντος λαβόντος. ἐπειδὴ μὴ μόνον ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον, φοβηθέντες αὐτοὺς, ἐσπείσαντο. Ceterum *legatus* h. l. est legatus Caesaris consularis, sive praeses Germaniae, ut supra II, 97, 1. cf. Adami Antiqq. Rom. Vol. I. p. 234. ed. IV. Ruhnkenius coniecit *qui tum — erat;* — Burmannus *qui dudum legatus.*

fuerat] Ruhnkenius coniecit *erat;* v. not. praeced.

§. 2. *multiplicem in virtutibus*] Raphelengius *in* delevit, tanquam natum ex praegresso *m*, plurimique editores eum secuti sunt. Sed praepositionem recte tuetur Handius de Particc. Lat. Vol. III. p. 274.; nimirum eâ positâ qualitas rei non ad caussam refertur, sed id indicatur, in quo ipsa illa caussa apparet. Apte ille contulit Quintil. XII, 10, 12. *M. Tullium habemus — in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentissimum; quem tamen et suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem — et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum.* Ibid. IX, 4, 138. *An non in narratione pleni atque expressi in argumentis citati sumus?*

navus] Amerb. *gnavus,* contra usum; v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. P. II. p. 488. cf. infra II, 120, 1.

lauteque eo abutentem] Amerb. *lauteque abutentem.* Non discedendum esse a lectione Ed. pr. recte iudicat Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837, No. 37, p. 310. Nam quum Burerius silentio suo confirmet scripturam a Rhenano e cod. Murb. expressam, patet Amerbachium vel errore, vel quia putaret *abutentem* pertinere ad *otio,* pronomen *eo* omisisse. Orellius, perversa opinione de Amerbachii fide seductus, scripsit *lauteque eo utentem,* quasi *abuti* verbum vitiatum esset. De eius sensu in re bona, ubi valet *in usum aliquid convertere et utendo consumere,* v. Voigtlaenderum in Forcellini Lexico h. v. Tom. I. p. 19. Ruhnken. ad Terent. Andr. Prol. 5. et Gronov. ad Cic. Epp. ad Famm. IX, 6, 13.

aut hilarem] Ed. pr. *ac hilarem;* Amerb. *Athilam,* i. e. *at hilarem,* (v. Prolegg. c. III. p. XCIX.,) unde patet Ruhnkenium recte emendasse *aut hilarem;* nam neque *ac* ponitur

luxuriosum aut desidem diceres; de cuius viri claro
3 celebrique consulatu praediximus. Anni eius aestiva usque in mensem Decembrem producta immanis emolumentum fecere victoriae. Pietas sua Caesarem paene obstructis hieme Alpibus in urbem traxit; at tutela imperi eum veris initio reduxit in Germa-

ante *h*, (v. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 457.), et *at*, pro quo Rhenanus legit *ac*, saepissime cum *aut* confunditur, v. Hand. l. l. Vol. I. p. 451. Drakenb. ad Liv. III, 57, 12. Kreyssig. ad eiusd. lib. XXXIII, 40. p. 99. — Orellius scripsit *atque hilarem.*

claro celebrique consulatu] Amerb. *claro ingenio celebrique consulatu*, quod cupide amplexus est Orellius, quia ista lectione vulgatae tautologia egregie tollatur. Sed tautologia in adiectivis *claro celebrique* certe non maior est, quam in substantivis *honos et gloria, flagitium ac dedecus*, quibus usus est Cicero p. Muren. c. 5, 12., et aliquanto minor, quam supra I, 16, 3. *priscam illam ac veterem comoediam.* Amerbachium autem somniantem *ingenio* addidisse non solum ex eo patet, quod Burerius nihil de Rhenani negligentia notavit, sed eo quoque confirmatur gravissime, quod Velleius supra II, 92, 2., ad quem locum remittit, nonnisi de Sentii consulatu, neque vero simul de eius ingenio dixit.

producta] Ed. pr. et Amerb. *perducta*, pro quo Lipsius obscuro quodam veri sensu ductus vidit scribendum esse *producta.* Ita enim differunt ista verba, ut *perducere* sit *rem longiore tractu ad propositum finem adducere*, vel *superatis obstaculis et impedimentis eo, quo quis voluit, pervenire et scopum attingere;* contra *producere rem* significat *ultra consuetum terminum progrediendo rem prolongare et extendere;* illud est *consilii*, iam ante inceptam rem capti, hoc est *fortuitum* et pendet ex incerto rerum vel progressu vel eventu. Quod quum in hunc locum cadat, non est dubium, quin *producta* verum sit, nisi forte statuis Tiberium statim ab initio constituisse aestiva usque in mensem Decembrem extendere, idque revera effecisse. Exempla utriusque verbi multa collegerunt Dukerus et Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 50, 1., sed utrum quoque loco ponendum sit, quum ubique fere in codd. confundantur, neuter assecutus est.

immanis emolumentum fecere] Heinsius coniecit *in im-*

niam, in cuius mediis finibus ad caput Lupiae fluminis hiberna digrediens princeps locaverat.

CVI. Pro dii boni, quanti voluminis opera in- 1
sequenti aestate sub duce Tiberio Caesare gessimus! Perlustrata armis tota Germania est, victae gentes paene nominibus incognitae, receptae Cauchorum natio-

manis emol. cessere; — Ed. Bipont. *in maius emol. fecere.* Vulgata significat *commodum* sive *fructum attulere ingentis victoriae.*

paene] Vossius coniecit *bene.*

obstructis] Ed. pr. et Amerb. *exstructis.* Correxit Ed. Basil., cuius emendationem Ruhnkenius firmavit allato loco Mamertini Paneg. Maximiniani c. 9. *Vos prope soli Alpium vias, hibernis nivibus obstructas, divinis vestigiis aperuistis.* Vulgatam defendit Vossius, quia hiems nivibus Alpes altiores reddat!

in urbem traxit; at tutela imperi eum] Ed. pr. et Amerb. *in urbem traxit ad tutelam imperi; eum* etc. Hanc scripturam cod. Murb., et verbis et sententia elumbem atque inconcinnam, vel potius absurdam, egregie sanavit Lipsius interpunctione maiore, quae fuit post *imperi,* post *traxit* posita, et verbis *ad tutelam* in *at tutela* mutatis, quo arguta exsistit oppositio, Velleio dignissima (v. Prolegg. c. II. p. LII.); nam ita sibi respondent *pietas* et *tutela, in urbem* et *in Germaniam, traxit* et *reduxit.* Corruptela loci fluxit ex confusione *at* et *ad* particularum, quae res falsam verborum constructionem genuit; v. Prolegg. c. III. p. CV sqq. Acidalius coniecit *traxit ad tutelam imperii; eadem veris initio;* — Vossius *in urbem traxit; ad tutelam imperii eum veris initium reduxit;* — Burmannus *in urbem traxerat; tutela imperii eum veris initio.*

initio] Ed. pr. et Amerb. *initi.* Correxit Rhenanus. — Heinsius coniecit *initu;* — Vossius *initium;* v. not. praeced.

Lupiae] Ed. pr. et Amerb. *Iuliae.* Correxit Lipsius. cf. Cluveri Germ. antiq. III. c. 9. et 49.

CVI, 1. *insequenti*] Amerb. *in sequenti.*

Germania est] Herelius p. 572, delendum censet *est,* cui Krausius et Cludius obsecuti sunt.

nes. Omnis eorum iuventus infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis una cum ducibus suis, septa fulgenti armatoque militum
2 nostrorum agmine, ante imperatoris procubuit tribunal. Fracti Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior. Denique, quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringen-

infinita] Amerb. *infinito.*

tutissima] Amerb. *tutissimam.*

armatoque] Laurentius in Locis Vell. p. 105. coniecit *armatorum*, probante Froehlichio in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 67. p. 564. Sed res eodem redit; nam *armatorum militum agmen* haud dubie est *armatum militum agmen.* Praemissum *fulgenti* vim habet adverbii, quasi dictum esset *splendide armato — agmine;* sed *fulgenti* dixit auctor eam ob caussam, quia deest usitatum adverbium *fulgenter, fulgere* autem et *fulgor* propria sunt in ea re vocabula. Eadem sententia potuisset etiam sic reddi: *septa militum nostrorum agmine armis fulgente.* Bothius *armatoque* ut glossam censet delendum.

§. 2. *Langobardi*] Ita Burer.; Ed. pr. et Amerb. *Longobardi.* v. Mannerti Geogr. Gr. et Rom. Vol. III. p. 217.

Semnonum] Ed. pr. et Amerb. *Senonum.* Correxit Puteanus ex Taciti Germ. c. 39. Annall. II, 45. Strab. VII. p. 445. A. ed. Almel. Ptolem. II, 11. et Monument. Ancyr. p. 175. ed. Chishull. (in Oberlini Ed. Taciti Tom. II. P. II. p. 847.) *Classis Romana ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad orbis extrema navigavit, quo neque terra neque mari quisquam Romanorum ante id tempus adiit. Cimbrique et Harudes et Semnones et eiusdem tractus alii Germanorum populi per legatos amicitiam meam et populi Rom. petierunt.*

Hermundurorumque] Ed. pr. et Amerb. *Hermundorumque.* Correxit Millerus; cf. Tacit. Germ. c. 41. Strabo VII. p. 446. A. ubi v. Casaubon.

praeterfluit] Vossius scripsit *praefluit*, sine idonea caussa, quamquam non falso; v. Drakenborch. ad Liv. XXIX, 32, 8. et Boetticheri Lex. Tacit. p. 367 sq. v. *praeferre.*

perductus] Burmannus maluit *productus.*

tesimum miliarium a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque finis praeterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus. Et eadem 3 mira felicitate et cura ducis, temporum quoque observantia, classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victori cum abun-

§. 3. *eadem*] Ed. pr. et Amerb. *eodem*, quod ex coniectura nostra mutavimus in *eadem*. Nam *eodem* non solum non habet, quo referatur, quum neque ad *subvecta*, neque ad *se iunxit* pertineat, sed etiam sensu prorsus incommodum ac perversum est. Utroque nomine egregie se habet *eadem* scriptura. Nam quum totus hic locus spectet ad laudes Tiberii, apertum est duabus rebus eas celebrari, et *terrestri* expeditione, et *navali*. Igitur *qua incredibili fortuna exercitus* cum signis perductus est ad Albim, *eadem mira felicitate* et cura ducis *classis*, — Albi subvecta, exercitui Caesarique se iunxit. De litteris *a* et *o* confusis v. Prolegg. c. III. p. XC.

temporum quoque] Heinsius coniecit *temporumque*, quod male multas editiones invasit. Vulgatae verba, ad illustrandam *ducis curam* spectantia, hunc sensum habent: Curâ ducis, praeter alia in *tempore quoque deligendo* ad navigandum commodo conspicuâ, classis Albi subvecta.

mari flumine Albi] Amerb. *maris flumine labi*.

victori] Ed. pr. et Amerb. *victoria*. Vulgatam irrito conatu defendit Ruhnkenius, *victoria* ablativum esse absolutum dicens, hoc sensu: *quum plurimas gentes vicisset*. Sed neque constructionis ratio sic constat, quippe quae non nisi adiectivo addito obtinet (v. Ruhnken. ad II, 68, 3. et nostram annotat. ad Sall. Catil. c. XI, 4. p. 57.), neque sententia ipsa ullo modo sana est. Non *classis* enim plurimas gentes vicerat, sed *exercitus*; neque *classi* tribui potuit *abundantissima omnium rerum copia*, sed *exercitui*, cui Caesaris cura ita prospexerat, ut largo commeatu uteretur, id quod tum res ipsa, tum verborum collocatio abunde ostendit. Quae quum ita sint, dubitari non potest quin Burmannus coniectura pulcherrima *victori* scripserit pro *victoria*, qua lenissima mutatione non solum totius loci structura expeditur, sed etiam sententiae integritas sua et recta

dantissima rerum omnium copia exercitui Caesarique se iunxit.

1 CVII. Non tempero mihi, quin tantae rerum magnitudini hoc, qualecunque est, inseram. Cum citeriorem ripam praedicti fluminis castris occupassemus, et ulterior armata hostium iuventute fulgeret, sub obiectum motumque nostrarum navium protinus re-

ratio restituitur. — Acidalius coniecit *a plurimarum gentium victoria.*

Caesarique] Amerb. *Caesarisque.*

CVII, 1. *ulterior armata hostium iuventute*] Amerb. *ulteriora armata hostium virtute.* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 46. p. 393. coniecit *ulterior armatorum hostium iuventute.* V. ad II, 106, 1.

sub obiectum motumque] Ed. pr. *sub omnem motum;* Burer. et Amerb. *sub omnem motumque,* unde patet Rhenanum tacite *que* omisisse. Sed in utraque scriptura *omnem* vox tam aliena est, ut nemini dubium fuerit, locum gravi corruptela esse affectum. Soli autem contigit Laurentio in Locis Vell. p. 106. depravationis caussâ repertâ veram lectionem restituere; nimirum *omnem* ortum est ex *obiectum,* quum utraque vox eodem vel simillimo compendio scriberetur; nam illud in codd. est $\overline{om}$, hoc o^m, quae quam facile inter se confundi potuerint nemo non videt. *Obiectus* autem pariter atque *obiici* de iis rebus dicitur, quae repente et praeter opinionem vel oculis, vel menti sese offerunt. cf. Nep. Hannib. c. 5. *Sarmenta in cornibus iumentorum deligata incendit, eiusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino obiectu viso, tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, ut* etc. Liv. VI, 14, 12. *Quae ubi obiecta spes est.* Terent. Adelph. IV, 4, 1. *Hocine de improviso mali mihi obiici?* v. Ruhnken. ad Heaut. I, 2, 12. Hoc igitur loco verba *sub obiectum motumque navium* significant: *ubi naves obiici,* i. e. *in conspectum venire et moveri coeperunt.* — Burerius suspicabatur substantivum excidisse post *omnem;* — Vossius coniecit *sub omnem motum quoque;* — Heinsius *sub omnem motum cuiusque nostrarum navium protinus refugientibus unus e barbaris,* vel

fugientium, unus e barbaris aetate senior, corpore excellens, dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens, cavatum, ut illis mos est, ex materia conscendit alveum, solusque id navigi genus temperans ad medium processit fluminis, et petiit, liceret sibi sine periculo in eam, quam armis tenebamus, egredi ripam ac videre Caesarem. Data petenti facultas. 2

sub omnemque motum etc.; — Krausius *sub omnem molem motumque;* — Cludius *sub omen metumque;* — Walterus *sub nomen motumque,* vel *sub nutum motumque;* — Morgensternius in Probabill. critt. *sub omen motumque,* vel *sub speciem motumque;* — Iacobsius in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1835. No. 58. p. 470. *sub omnem conatum motumque,* quod Halmio quoque placuit in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43 p. 341.; — Moebius apud Cludium in Corrigg. et Add. p. 251. *sub omnem aspectum* (vel *strepitum,* vel *tumultum) motumque;* — Kreyssigius Praef. p. LIV. *sub omnem agitationem motumque;* — Luxdorphius in Novis Annall. Phil. et Paedagog. Suppl. I, 2. p. 171. *sub agmen motumque;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 11. *sub molem motumque;* — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 447. *sub omnem motumque* tuetur, *que* vim *quoque* particulae habere dicens; — eandem scripturam retinet Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 46. p. 393., sed ita, ut *que* genitivos *armatorum* (v. not. praeced.) et *refugientium* coniungat.

tenebamus] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *tendebamus.* — Vossius coniecit *qua armis,* vel *qua in armis tendebamus.*

§. 2. *Data petenti*] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *data a Caesare petenti.* Quamquam autem verba *a Caesare* aperte addita sunt a Rhenano, minime tamen pro interpolatione, i. e. contextus mutatione mala fide facta, cuius rei in tota Ed. pr. nusquam vestigium apparet, habenda sunt, sed videntur potius Rhenani calamo elapsa esse, dum inter describendum codicem Murbac. mente illa verba, ut par erat, cogitat. cf. Prolegg. c. III. p. LXXX.

Tum appulso lintre, diu tacitus contemplatus Caesarem: Nostra quidem, inquit, furit iuventus, quae, cum vestrum numen absentium colat, praesentium potius arma metuit, quam sequitur fidem. Sed ego beneficio ac permissu tuo, Caesar, quos ante audiebam, hodie vidi deos, nec feliciorem ullum vitae meae aut optavi aut sensi diem. Impetratoque, ut manum contingeret, reversus in naviculam, sine fine respectans Caesarem ripae suorum appulsus est. 3 Victor omnium gentium locorumque, quos adierat Caesar cum incolumi inviolatoque, et semel tantummodo, magna cum clade hostium, fraude eorum ten-

diu tacitus] Ed. pr. et Amerb. *et diu tacitus.* Copulam, non supervacuam, ut Heinsio videtur, sed loquendi usui prorsus repugnantem et procul dubio ex praegressa syllaba ortam iam Vascosanus recte delevit.

furit] Delbenius apud Aldum Nep. coniecit *fugit.*

ac permissu] Amerb. *et permissu.* Bothius utrumque ut glossema delevit.

Impetratoque] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *imperatoque.* V. ad I, 11, 4.

§. 3. *cum incolumi*] Herelius p. 572. delendum censuit *cum*, deceptus falsa verborum structura; quippe coniunxit *cum incolumi exercitu — legiones reduxit,* quae ratio si vera esset, *cum* sane foret eiiciendum. Sed verba pertinent ad praecedens *adierat,* in qua structura *cum* recte habet, quamquam non est necessarium; v. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 151. cf. supra II, 39, 1. *Gallias intratas cum exercitu — saepe et affectavimus et omisimus.* II, 52, 1. *Caesar cum exercitu Thessaliam petiit.* Alia dabit Drakenborch. ad Liv. V, 34, 8. Herelium secuti sunt Krausius, Cludius, Kreyssigius et Bothius.

CVIII, 1. *Marcomannorum*] Ita Amerb. recte; Ed. pr. *Marcomanorum.* Sed eadem II, 109, 5. nomen duplici *n* scriptum exhibet.

tato exercitu, in hiberna legiones reduxit, eadem qua priore anno festinatione urbem petens.

CVIII. Nihil erat iam in Germania, quod vinci 1
posset, praeter gentem Marcomannorum, quae Maroboduo duce excita sedibus suis atque in interiora refugiens incinctos Hercynia silva campos incolebat. Nulla festinatio huius viri mentionem transgredi debet. 2
Maroboduus genere nobilis, corpore praevalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium neque fortuitum neque mobilem et ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit principatum, sed certum imperium vimque regiam

interiora] Ed. pr. et Amerb. *inferiora.* Correxit Ed. Basil. *Interiora* Krausius recte interpretatur loca a finibus imperii Romani remotiora; cf. II, 110, 3.

Hercynia silva] Ed. pr. et Amerb. *Herciniae silvae.* Ablativum, quem postulat recta ratio dicendi, Heinsius restituit. Depravatio orta videtur ex falsa constructione, librario haec verba cum *campos* nomine coniungente. v. Prolegom. c. III. p. CVII.

§. 2. *non tumultuarium neque fortuitum*] Herelius p. 573. coniecit *non tumultuarium atque fortuitum;* — Heinsius *non tumultuarium — mobilem, sed ex voluntate —, et certum imperium.* Neuter perspectum habuit loquendi usum, quo negativae sententiae particulis *non — neque — neque* coniunguntur; v. quae de ea re diximus ad Sall. Cat. c. LII, 6. p. 265. Praeterea Heinsius non vidit ad explicandam vocem *mobilem* adiici verba *et ex voluntate parentium constantem,* omnibusque negativis sententiis in unum comprehensis opponi *sed certum imperium* etc.

parentium] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr. *parentum.* V. ad Sall. Cat. c. XI, 8. p. 61. et ad LI, 9. p. 241.

constantem] Ruhnkenius coniecit *constitutum;* — Burmannus *pendentem;* quasi vulgata non hoc ipsum significaret. Sed videntur cum Heinsio *constans* pro *firmo ac stabili* cepisse.

complexus animo statuit avocata procul a Romanis gente sua eo progredi, ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis

quos praediximus] Ita Ed. pr.; at Burer. et Amerb. *quis praediximus*. Possit hoc verum videri, quum plura huius attractionis, apud Graecos usitatissimae, etiam apud Latinos exempla reperiantur, velut Auct. ad Herenn. I, 7, 11. *Ut statim apertis rationibus, quibus praescripsimus, benevolum faciamus lectorem.* Nep. Hannib. c. III, 1. *Hac igitur, qua diximus, aetate cum patre in Hispaniam profectus est.* Gell. I, 25. *Ex his, quibus dixi, vocibus nomen inducia-rum connexum est.* Ibid. II, 26. *In iis coloribus, quibus modo dixisti, designandis.* cf. Krueger. de Attract. Lat. Ling. §. 105. p. 259. Sed duabus de caussis mihi non probabile est Velleium ita scripsisse; primum, quia nullum alias deprehenditur vestigium, eum pro *quibus* antiquiore forma *quis* usum esse, quae tam frequens est apud Sallustium, et Tacitum; tum quia *i* et *o* litterae tam saepe in cod. Murb. confunduntur (v. Prolegom. c. III. p. LXXXIX.), ut vix dubium sit, quin hoc quoque loco idem peccatum sit commissum.

CIX, 1. *Corpus sui custoditum imperi*] Ed. pr. et Amerb. *corpus suum custodia tum imperium.* Burerius annotavit: „Exemplum vetustum sic habet, ut potius legendum existimem *corpus suum custoditum imperium*“ etc. Quam coniecturam secutus, quippe quae etiam non inspecto cod. Murb. sponte se offerat, terminatione duarum vocum mutata locum vexatissimum sanasse mihi videor. Nimirum quum avulsâ *tum* syllabâ primo ex *custoditum* factum esset *custodia tum* (v. Prolegg. c. III. p. CIV.), proximus librarius, constructione perturbata ac nexu obscurato, ut certe singula vocabula inter se congruerent, *sui* mutavit in *suum*, quod ad *corpus* pertineret, *imperii* autem ad *redactum* referens, *imperium* ex ingenio dedit. Ad sententiam quod attinet, omnes fere editores, corrupta lectione decepti, de *custodia corporis* cogitarunt, *quam Maroboduus sibi circumdederit*, quod cum verbis est obscurum, tum a nexu et universo ingenio huius loci alienissimum, cuius veram rationem nostra emendatio planissime declarat. Nam *singulis* regni partibus, vel nationibus, quas Maroboduum occupasse ac sui iuris fecisse modo dixerat Velleius, iam opponit *corpus imperii*, i. e. universum imperium, in unum coniunctum. cf. Flor. I, 1, 9. *Romulus ita*

igitur, quos praediximus, locis finitimos omnis aut bello domuit, aut condicionibus iuris sui fecit.

CIX. Corpus sui custoditum imperi, perpetuis 1

ex variis quasi elementis congregavit corpus unum, populumque Romanum fecit. Id. III, 18, 1. *Quum populus Rom. Etruscos, Latinos Sabinosque miscuerit, et unum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris et ex omnibus unus est.* Id. IV, 3, 5. *Augustus perculsum undique et perturbatum ordinavit imperii corpus.* Tacit. Hist. I, 16. *Si immensum imperii corpus stare — posset.* Ann. I, 12. *Unum esse reipublicae corpus.* Seneca de Clem. II, 2. *Tradetur illa animi tui mansuetudo, ac diffundetur per omne imperii corpus;* quae exempla Heinsio debentur. Iam singula illustrabimus. Igitur *corpus imperii custoditum* idem significat atque *munitum, firmum, tutum,* sc. tum natura, i. e. finibus, silva Hercynia, longinquitate, tum consilio et prudenti cura. Firmum istud imperii sui corpus Maroboduus dicitur *perpetuis exercitiis paene ad Romanae disciplinae formam redactum* in eminens perduxisse fastigium, i. e. imperium, *iusto reipublicae administrandae negotiorumque gerendorum ordine instituto ac severe servato,* ultra barbaram imperitiam atque inertiam evexit, paene ad eam formam, qua respublica Romana administratur, redegit, et ipsi imperio Rom. timendum reddidit. *Exercitia* enim non de rei militaris usu intelligenda esse, quod multi putarunt, ex eo patet, quod auctor hic de interno robore imperii loquitur, infra demum §. 2. exercitus mentione facta. Pariter *disciplina* non est *militaris,* sed *civilis,* quae a Cicerone de Orat. I, 34, 159. plenius dicitur *disciplina reipublicae.* Ne quid autem dubitationis relinquatur, emendationem nostram etiam germanica interpretatione adiuvabimus: Die (äusserlich) gesicherte Gesammtheit seines Reiches brachte er (im Innern) durch unausgesetzte Bestrebungen beinahe auf den Fuss römischer Verwaltung, und führte sie in Kurzem auf eine auch dem röm. Reiche Furcht erregende Höhe. Heinsius coniecit *corpus custodia tutum imperii* vel *corpus sui custodia tutum imperii* etc.; — Burmannus *finitimos omnis — iuris sui fecit, et corpus suorum custodia tutum. Imperium* etc.; vel etiam: *iuris sui fecit. Corpus suorum custodia tutum, imperium — redactum, eum brevi in eminens perduxit fastigium;* — Grunerus *corpus suorum custodia tutum, imperium per-*

exercitiis paene ad Romanae disciplinae formam redactum, brevi in eminens et nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium, gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello nos lacesseret, et superesse sibi vim ac voluntatem resistendi osten-

petui exercitus — redactum eum brevi etc.; — Cludius *iuris sui fecit; corpus suum custodia tutum* (sc. fecit); *imperium, perpetuis exercitiis exercitu paene ad Rom. disc. formam redacto, brevi* etc.; — Bothius *corpus suum custodia tutum, et perpetuis* etc.; — Ruhnkenius *corpus suum custodia munivit. Imperium, perpetuis exercitiis exercitu paene — redacto, brevi* etc.; — Ed. Bipont. *corpus suum, custodia tutum, imperio et perpetuis armorum exercitiis paene — redactum brevi* etc.; — Orellius *corpus saeptum custodia; tum imperium* etc.; — Sauppius apud Orellium *corpus suum custodia tuitus imperium perpetuis exercitiis exercitu — redacto* etc.; — Laurentius in Locis Vell. p. 107. *corpus suum custodia tuitus exercitum imperitum perpetuis exercitiis ad Romanae* etc.; — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 151. *corpus suum custodivit; tum imperium* etc.; — Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 45. *corpus suum custodiarum, imperium* etc.

nos lacesseret, et superesse — resistendi ostenderet] Ed. pr. et Amerb. *nos lacesseretur superesse sibi vim ac voluntatem resistendi.* In emendanda priore huius loci parte dux nobis fuit Rosenheynius in Lectt. Vell. Spec. p. 19., qui acute coniecit *nos lacesseret ac superesse — resistendi ostenderet.* Sed scribendum esse *lacesseret, et* quum loquendi usus postulat, (nunquam enim sibi respondent *neque — ac* particulae, sed *neque — et,* de quibus v. annotat. nostram ad Sall. Iug. I. 5. p. 8.), tum ipsa corruptelae ratio manifesto prodit. Quippe *lacesseretur* ortum est ex confusis compendiis *tur* syllabae et copulae *et,* quorum illud sic scribitur t^{z}, hoc hanc formam habet z, quae nota praecedente *t* (t^{z}) maximam similitudinem cum t^{z} habet. — *Ostenderet,* quae vox deest in Ed. pr. et Amerb., est ex coniectura Burmanni. In cod. Murb. lacunulam omissae dictionis offendi monuit Rhenanus, qui coniecit *resistendi declararet.* Sed *ostenderet* eo magis commendatur, quia vix dubium est, quin similitudo praecedentium syllabarum *istendi* caussa fuerit vocabuli

deret. Legati, quos mittebat ad Caesares, interdum 2
ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari
loquebantur. Gentibus hominibusque a nobis de-
sciscentibus erat apud eum perfugium, totusque ex
male dissimulato agebat aemulum, exercitumque, quem

omissi; v. Prolegg. c. III. p. CV. Praeterea sensu etiam multo accommodatius est *ostendere*, quippe quod significet vultu, verbis, factis *voluntatem significare*, v. Manut. ad Cic. Epp. ad Famm. V, 19. *Declarare* autem valet sine dissimulatione, aperte et disertis verbis sententiam profiteri et indicare, quod ab hoc loco alienum est; nam quo animo in Romanos esset Maroboduus, non illis nunciavit quidem, sed quominus ipsi intelligere et sentire possent non impedivit. — Rhenanus, duplicem lacunam hic esse ratus, coniecit *nos lacesseret, at si lacesseretur — resistendi declararet*, quod ita secuti sunt Vascosanus et Ed. Basil., ut pro *at si* ille scriberet *ac si*, hic *et si*; — Burerius *bello si lacesseretur superesse* etc.; — Cludius *nos lacesseret, nec, si lacesseretur — resistendi negaret*.

§. 2. *commendabant*] Cludius scripsit *eum commendabant*.

totusque] Ed. pr. et Amerb. *totumque*. Correxit Heinsius, ita postulante recta ratione dicendi; nam ubi dicitur quis omni studio et unice aliquid egisse, id non ad obiectum pertinet, sed subiecto totum continetur; cf. Caes. B. G. VI, 5. *Caesar totus et mente et animo in bellum Trevirorum insistit*. Iustin. XII, 13, 7. *Totus in laetitiam effusus*. v. Gronov. ad Drakenb. XXV, 16, 19. Corruptelam ortam esse ex falsa constructione, librario *totusque* vocem compendio scriptam ad *aemulum* trahente, vidit etiam Kreyssigius Praef. p. LIV. cf. Prolegom. c. III. p. CVII. Acidalius coniecit *in totumque*; — Lipsius *tutumque*; — Burmannus *notumque*; — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 175. *perfugium tutum, qui*.

ex male dissimulato] Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 175. coniecit *ex male dissimulato odio*; — Ruhnkenius *ex male dissimulante*, quamquam iam Wopkensius in Misc. Obss. Vol. VIII. p. 71. recte demonstraverat, ista verba vi adverbii esse dicta pro *non satis dissimulanter*, vel exigua *cum dissimulatione*. cf. Senec. Quaest. Nat. IV. Praef. 5. *Plancus — aiebat non esse occulte, sed ex dissimulato blandiendum*. Pluri-

septuaginta milium peditum, quattuor equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo ma-
3 iori, quam quod habebat, operi praeparabat, eratque etiam eo timendus, quod, cum Germaniam ad laevam et in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo sedium suarum haberet Noricos, tamquam in omnis
4 semper venturus ab omnibus timebatur. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam, quippe cum a summis Alpium iugis, quae finem Italiae terminant, initium eius finium haud multo plus du-
5 centis milibus passuum abesset. Hunc virum et hanc

mis exemplis hunc usum illustravit Handius de Particc. Latt. Vol. II. p. 656. — Burmannus *dissimulato* tanquam deponentis participium interpretatur *qui dissimulaverat.*

septuaginta milium] Ed. pr. et Amerb. *LX milium;* Burerius vero eruit in cod. Murb. fuisse *LXX milium.*

habebat] Heinsius coniecit *obibat;* — Burmannus *agebat,* probatum Graevio in Syll. Epp. Tom. IV. 415. et Ruhnkenio ad h. l.; — Herellus p. 573. *iactabat;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 151. *tractabat.* Sed *habere rem* praegnanti sensu dicitur de eo, quod nunc ipsum agimus, quodque praesens est. Germani vulgo ita utuntur composito *etwas vorhaben,* Latini interdum explicatius dicunt *in manibus habere.*

§. 4. *eius finium*] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *cuius finium.*

ducentis milibus] Heinsius coniecit *CC milia.*

§. 5. *Ti. Caesar*] Amerb. *T. Caesar.*

Cattos] Ed. pr. et Amerb. *Catthos.* Usitatam nominis scripturam sine *h* littera secutus est Ed. Basil.

Boiohoemum] Amerb. *Boiohaemum.* — Kreyssigius Praef. p. LIV. scribendum censet *Boiohemum,* coll. Tacit. Germ. c. 28.

nomen est] Lipsius post haec verba *duceret* inseruit ad constructionem expediendam, quia nihil adest, quod ex *ut* particula pendeat. Sed universa loci ratio talis est, ut verisimilius videatur Velleium ipsum, parenthesi paullulum in persequendo

regionem proximo anno diversis e partibus Ti. Caesar aggredi statuit. Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, excisis continentibus Herciniae silvis, legiones Boiohoemum, (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est,) ipse a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est.

CX. Rumpit, interdum moratur proposita ho- 1
minum fortuna. Praeparaverat iam hiberna Caesar ad Danubium, admotoque exercitu non plus quam

structurae tenore turbatum, in anacoluthiam incidisse, quo factum est, ut ad finem periodi delatus parem utriusque membri constructionem instituisse sibi videretur, oblitus priorem partem ex *ut* suspensum esse. — Lipsium omnes editores secuti sunt.

Carnunto] Amerb. *Carnanto.*

CX, 1. *Rumpit*] Krausius suspicatur fuisse *At rumpit*, transitus causa, ut II, 12, 1. II, 27, 1. II, 50, 1. Sed v. ad II, 61, 4.

Rumpit, interdum moratur] Heinsius coniecit *rumpit interdum, interdum moratur.* Perperam. Sueton. Aug. c. 77. *Festos et solemnes dies profusissime, nonnunquam iocullariter tantum celebrabat.* Tacit. Hist. III, 83. *Utque in ludicro certamine, hos, rursus illos clamore et plausu fovebat;* ubi librarii, deesse aliquid existimantes, scripserunt *modo hos, rursus illos.* Sed satis exemplorum est apud Gronov. et Drakenborch. ad Liv. III, 37, 8. et Oudendorp. ad Apulei. Met. IV. p. 267. Ruhnkenius. — Bothius coniecit *rumpit interdum, dum moratur;* — Warburtonus in Bibl. Britann. Vol. VII. p. 294 *rumpit interdum maturata proposita.*

admotoque] Heinsius coniecit *amotoque* probantibus fere omnibus; — Cludius *remotoque.* Utrumque a loci sensu alienum est. Nam quum apertum sit Velleium hoc dicere, *accessisse* Tiberium cum exercitu ad Marobodui regnum, nullo pacto ea sententia verbo exprimi potest, quod *discedendi* notionem habet. Nihil est autem quod in vulgata offendas, modo teneas, si quis ita ad aliquem locum accedat, ut non attingat eum, cum *accedendi*

quinque dierum iter a primis hostium, Saturninum
2 admovere copias placuerat. Paene aequali divisae intervallo ab hoste intra paucos dies in praedicto

notione simul *distantiae* notionem esse coniunctam. Verbis igitur *admotoque exercitu non plus quam q. d. iter a primis hostium* coniunctis auctor utramque sententiam ita in unam enunciationem conflavit, ut hic prodeat sensus: *et quum exercitum admovisset, ita ut non plus quam quinque dierum iter a primis hostium abesset,*

non plus quam quinque dierum iter] Heinsius coniecit *non plus quinque d. iter*, vel *itinere*.

Saturninum admovere copias placuerat.] Ed. pr. et Amerb. *Saturninum admoveri placuerat.* In his aliquid deesse cum ex eo intelligitur, quod *admoveri* prorsus extra nexum est, tum maxime inde patet, quod in sequentibus leguntur feminina *divisae — iuncturae erant*, quae luce clarius ostendunt in antecedentibus nomen feminini generis fuisse. *Copias* autem excidisse nullo modo dubitari potest, re ipsa pariter atque grammatica sequentis enunciationis forma ad eam vocem necessario ducente. Qua ante *placuerat* inserta ac simul *admoveri* in *admovere* mutato (quam mutationem facillimam esse in creberrima *i* et *e* litterarum confusione ex Prolegg. c. III. p. LXXXIX. patet) locum persanasse nobis videmur. Sensus est enim longe simplicissimus hic: *Caesar praeparaverat hiberna; et, quum ipse exercitum admovisset —, iusserat Saturninum* (sc. ab altera parte, per Hercyniam silvam, v. II, 109, 5.) *copias admovere.* Praeterea hac nostra scriptura etiam hoc efficitur, ut sequentia nulla prorsus emendatione egeant. Nam quum *copias* praecesserit, facillime id nomen in sequentem enunciationem cogitatione transfertur. Neque relativo aut aliqua particula opus esse ad nectendas enunciationes vix opus est monere eos, qui Velleii abruptum et particulis parum vinctum orationis genus noverunt. — Acidalius coniecit *Sat. admoveri placuerat, ac paene* etc.; — Lipsius *Sat. admoneri placuerat, cuius copiae paene;* — Ed. Bipont. *Sat. admoveri placuerat; cuius copiae paene;* — Ruhnkenius *Sat. eodem admovere copias iusserat; quae paene* etc.; — Krausius *Sat. admovere copias iusserat; quae paene* etc.; — Orellius *Sat. eodem admoveri placuerat; cuius copiae paene;* — Kreyssigius

loco cum Caesare se iuncturae erant, cum universa Pannonia, insolens longae pacis bonis et adulta viribus, Delmatia omnibusque tractus eius gentibus in

Praef. p. LV. *Sat. eodem admovere copias placuerat, quae paene;* — Bothius *amotumque exercitum non plus quam quinque dierum — admovere placuerat, cuius copiae, paene* etc.

§. 2. *ab hoste*] Bothius haec ut spuria uncinis inclusit.

dies in] Ruhnkenius coniecit *dies se in.* V. not. seq.

Caesare se iuncturae] Ed. pr. et Amerb. *Caesare iunctu-rae.* Pronomen *se,* quod ad structuram prorsus est necessarium, recte Krausius hoc loco inseruit, absorptum quippe *re* syllaba; v. Prolegg. c. III. p. CVIII. Probant etiam Kreyssigius Praef. p. LV, et Halmius in Annall. critt. Berol, a. 1836. Vol. I, No. 43. p. 342.

cum universa] Ita Ed. pr. vel ex tacita Rhenani correctione, vel quia is dubiam cod. Murb. scripturam felicius eruit; nam Burer. et Amerb. *tum universa.* De *cum* particula in apodosi indicativo perfecti vel praesentis iuncta, ubi res subita et inopinata infertur, v. Zumptii Gramm. Lat. c. 78, 12. §. 580. p. 494. ed. VIII. et annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XII, 5. p. 64.

et adulta viribus — arma corripuit] Amerb. *adulta viribus,* omisso *et,* quod probat Halmius in Emendd. Vell. p. 19. Universum locum ingeniose sanavit Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 73. p. 608. commate, quod vulgo fuit post *bonis,* sublato et post *viribus* collocato, et *constitit* in *consilii* mutato. Quae emendatio tanta veritatis vi animum ferit, tamque certam rationem et singulorum verborum, et membrorum, et sententiae habet, ut neque confirmatione egeat, et ceteras omnes coniecturas vanas esse atque perversas ostendat. In Ed. pr. est: *universa Pannonia, ins. l. p. bonis, et ad. vir. Del-matia, omnibusque — adductis, constitit, arma corripuit.*

et adulta viribus, Delmatia] Ursinus coniecit *et adiuta viribus Dalmatiae;* — Krausius *et adulta viribus Dal-matiae.*

omnibusque tractus] Ed. Basil. coniecit *omnibus tractus;* — Heinsius *omnibus aeque tractus;* — Ruhnkenius *omnibus quoque tractus;* — Cludius *que* vim *quoque* vocis habere dicit; v. ad I, 8, 2. I, 9, 1.

3 societatem adductis consili, arma corripuit. Tum necessaria gloriosis praeposita, neque tutum visum abdito in interiora exercitu vacuam tam vicino hosti relinquere Italiam. Gentium nationumque, quae rebellaverant, omnis numerus amplius octingentis milibus explebat; ducenta fere peditum colligebantur

adductis] Heinsius coniecit *adiunctis;* — Ruhnkenius *adsumtis.* Utrumque per se quidem bonum, sed minime necessarium est, adeoque sensu paullo quam vulgata deterius. Nam *adducere* verbum non solum adiungendi assumendique notionem habet, sed simul indicat, id non nisi sollicitando, instigando et persuadendo esse factum. Commode Krausius comparavit Sallust. Cat. c. XL, 1. *Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque, si possit, impellat ad societatem belli; existimans — facile eos ad tale consilium adduci posse.*

consili] Ed. pr. et Amerb. *constitit.* — Ed. Basil. coniecit *ex constituto;* — Vossius *constituto;* — Heinsius *constituta;* — Ed. Bipont. *constitit et.* Solus Froehlichius vidit in *constitit* latere substantivum *consilii* ad *societatem* pertinens, quo non solum haec ipsa vox accuratius definitur, sed constructio quoque egregie iuvatur; v. paullo supra ad verba *et adulta viribus.*

§. 3. *abdito*] Ita Amerb. vel ex coniectura, vel quia scripturam cod. Murb. rectius legit, quam Rhenanus et Burerius; nam in Ed. pr. est *addito.*

tam vicino] Amerb. *tum vicino;* nisi forte typographi errore ita legitur, quum Orellius nullam discrepantiam Ed. pr. notaverit.

hosti relinquere Italiam] Amerb. *hosti Italiam,* omisso *relinquere* verbo.

octingentis milibus] Ed. pr. *DCCC milibus;* Amerb. *ACCC milibus.* Acidalius coniecit *DCCC milia,* probantibus Cludio et Kreyssigio Praef. p. LV. Sed quum *amplius* sit accusativus, idem fere significans atque *ampliorem numerum, DCCC milibus* positum est pro *accusativo* cum *quam* particula. Simili modo a nonnullis erratum est ad Sall. Cat. c. LVI, 2. *Catilina brevi spatio legiones numero hominum expleverat, quum*

armis habilia, equitum novem. Cuius immensae 4
multitudinis, parentis acerrimis ac peritissimis ducibus, pars petere Italiam decreverat, iunctam sibi Nauporti ac Tergestis confinio, pars in Macedoniam se effuderat, pars suis sedibus praesidium esse destinaverat. Maxima duobus Batonibus ac

initio non amplius duobus millibus habuisset; ubi v. quae p. 295 diximus.

§. 4. *parentis acerrimis ac peritissimis ducibus, pars petere Italiam*] Ita Burer. et Amerb.; — Ed. pr. *pars acerrimis ac peritissimis ducibus properare in Italiam.* Scilicet in legendis verbis *parentis* et *pars petere*, quae compendiis scripta et fortasse valde obscurata fuere, a vero aberravit Rhenanus, iniuria ab Orellio interpolationis insimulatus. Nihil enim nisi *in* particulam structurae expediendae caussa ex ingenio scripsit. v. Prolegg. c. III. p. LXXX.

pars in Macedoniam se effuderat] Ed. pr. et Amerb. *pars in Macedoniam effugerat.* — Ursini satis bonam coniecturam *pars se in Maced. effuderat* perfecit Ruhnkenius scribendo *pars in Mac. se effuderat*, usu dicendi hunc pronominis locum magis commendante; cf. I, 4, 3. *Magna vis Graecae iuventutis — in Asiam se effudit.* II, 112, 4. *Ea pars, quae obviam se effuderat exercitui;* quamquam non nego etiam alterum ferri posse. Ed. Basil. coniecit *pars in Mac. eruperat;* — Heinsius *p. in Mac. effusa erat;* — Bothius *p. in Mac. effregerat.*

praesidium] Heinsius coniecit *praesidio*, refutatus a Burmanno ad Ovid. Rem. Am. 528. cf. Zumptii Gramm. Lat. c. 72, 8. §. 422. p. 376. ed. VIII. Duker. ad Flor. I, 1, 10. Liv. III, 55, 9. Drakenb. ad XXIV, 8, 20.

Maxima] Ed. pr. et Amerb. *proxima*, quod nullo modo ferri potest, quum nihil ab auctore dictum sit, ad quod comparatio per vocem *proxima* expressa pertineat; nam ad *Maroboduum* respici, ut Cludius opinatur, ineptum est, quippe qui toto hoc capite neque commemoretur, neque potuerit commemorari, ut in re longe diversissima. Velleius scripsit *maxima;* nam in caussarum expositione, cur Pannoniorum seditio tam periculosa esset et timenda Romanis, haud ultimum locum obtinuit, quod duces

5 Pinneti ducibus auctoritas erat. In omnibus autem Pannoniis non disciplinae tantummodo, sed linguae quoque notitia Romanae, plerisque etiam litterarum usus et familiaris animorum erat exercitatio. Itaque hercules nulla unquam natio tam mature consilio belli 6 bellum iunxit ac decreta patravit. Oppressi cives Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum

habebant *maximae auctoritatis.* Facillime confundi posse *m* et *pr* nemo non videt; eamque ob caussam saepe confusas esse *maximus* et *proximus* voces observavit Drakenborch. ad Liv. XXII, 22, 7. Contrario modo peccatum est supra II, 36, 3. — Heinsius coniecit *porro maxima;* — Lipsius *prima,* vel *proxima — a Pinnete;* — Friebelius in Graec. Satyrogr. Fr. p. 151 *proxima a Marobodduo Batonibus.*

duobus Batonibus ac Pinneti] Rhenanus coniecit *duobus Batoni ac Pinneti,* quia infra II, 114, 4. unus tantum *Bato* memoratur. Sed duos in illo bello duces fuisse Batones, alterum Desitiatum, quos Dio Cass. Delmatis, Strabo VII. p. 483. A. Pannoniis annumerat, alterum Breucorum in Pannonia, patet ex Dione Cass. LV, 29. p. 802.

§. 5. *In omnibus*] Heinsius *in* delendum censuit, Ruhnkenio, Orellio, aliis, probantibus. Krausius, vulgatam defendens, *in omnibus erat* idem significare dicit atque *omnibus inerat,* quod vix dici potest de rebus, quae, non innatae homini, extrinsecus parantur; v. annotat. nostr. ad Sall. Catil. c. XVII, 2. p. 82. Nobis verba *in omnibus Pannoniis notitia erat* significare videntur *per omnem Pannoniorum gentem notitia diffusa erat et pervulgata.* — Sequentia Bothius sic scripsit: *notitia Romanae (plerisque etiam litterarum usus) et familiaris armorum [erat] exercitatio;* — Heinsius *plerisque et litterarum usus familiaris animorum erat exercitatio.*

et familiaris] Ieepius in Emendd. Vell. p. 12. coniecit *et iam militaris.*

mature] Amerb. *maturae.*

§. 6. *in omnibus locis*] Heinsius maluit *omnibus locis.*

Quin] Ita Amerb. recte; v. ad I, 1, 3. Ed. pr. *quia,* quod iam Vascosanus correxit.

numerus ad internecionem ea in regione, quae plurimum ab imperatore aberat, caesus, occupata armis Macedonia, omnia et in omnibus locis igni ferroque vastata. Quin tantus etiam huius belli metus fuit, ut stabilem illum et formatum tantorum bellorum experientia Caesaris Augusti animum quateret atque terreret.

CXI. Habiti itaque delectus, revocati undique 1

tantus etiam] Amerb. *etiam tantus.*

metus] Susius in Gurlitti Animadvers. ad auctt. vett. Spec. III. coniecit *motus.*

formatum] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr. *fortunatum;* — Burerius coniecit *firmatum*, quod sine idonea caussa omnes omnino editores, uno Vossio excepto, amplexi sunt. Nam quum *forma* praegnanti sensu significet *iustam, pulchram, perfectam formam*, eodemque modo *formare* non sit *in quamcunque formam redigere*, sed *in formam iustam atque perfectam*, in promptu est *hominem experientia formatum* esse eum, *qui experientia ad egregiam rationem perductus sit*, vel *experientia subactum ac perfectum.* Neque ita multum differre *formatum* a *firmato* facile patet, siquidem bene formatus animus non potest non firmus esse; cf. Quintil. X, 1, 59. *Dum assequimur illam firmam facilitatem, multa magis, quam multorum lectione formanda mens.* Frequentem verbi hoc et cognato sensu usum apud Quintilianum cognosces ex Bonnelli Lex. Quintil. p. 350.

CXI, 1. *delectus*] Amerb. *dilectus*, quam formam falsam esse ostendimus ad Sall. Cat. c. XXXV, 3. p. 166.

revocati] Ed. pr. et Amerb. *revocatus.* Correxit Ed. Basil. Acidalius maluit *evocati*, quod Ruhnkenius recte improbavit coll. Tacit. Hist. II, 82. *Prima belli cura agere delectus, revocare veteranos.* — Heinsius coniecit *revocatus undique et omnis veteranus;* — Cludius *revocatus undecunque omnis veteranus.*

undique et omnes] Ed. Basil. scripsit *undique omnes*, non assecutus *et* h. l. esse *et quidem;* v. ad II, 7, 6. et II, 26, 1.

et omnes veterani, viri feminaeque ex censu libertinum coactae dare militem. Audita in senatu vox principis, decimo die, ni caveretur, posse hostem in urbis Romanae venire conspectum. Senatorum equitumque Romanorum exactae ad id bellum operae.

libertinum] Cludius scripsit *libertînûm*, pro *libertinorum*. Pessime; cf. Sueton. Aug. c. 25. *Libertino milite bis usus est; — eosque servos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos ac sine mora manumissos sub priori vexillo habuit.*

coactae] Cludius, probante Kreyssigio Praef. p. LVI., scripsit *coacti*, non satis circumspecte; nam praedicatum propterea ad nomen *feminae* relatum est, quia maxime singulare fuit *feminas* quoque militem praebere. cf. supra II, 76, 2. ac v. Reisigii Gramm. Lat. §. 187. p. 314.

militem] Ed. pr. et Amerb. *militum*. Correxit Rhenanus

urbis Romae] Heinsius *Romae* suspectum habet, quia *urbis* iam sufficiat ad sensum.

§. 2. *operae. Pollicitati omnia. Haec*] Ed. pr. et Amerb. *operae. pollicitati. Omnia haec.* Simplicissima medela haec sanavit Hottingerus apud Krausium, puncto post *omnia* transposito. Iam enim narratio de belli apparatu ita procedit: non solum undique *conquisiti* milites, operaeque senatorum atque equitum *exactae* a principe, sed summa etiam alacritate atque studio a bonis civibus omnia, quae e republica essent, *promissa sunt.* Nihilominus haec frustra fuissent, *nisi, qui illa regeret, fuisset.* — Quae quantam laudem Tiberii habeant in oculos incurrit, quippe sine quo et principis *cura*, et civium *egregia voluntas* nihil valuisse dicatur. *Omnia polliceri* autem ita dictum est, ut *omnia* quasi de formula praegnanti sensu significet *omnia quaecunque fieri aut praestari poterant*, in qua sententia Germani dicunt *Alles Mögliche;* cf. Cic. Epp. ad Famm. XIII, 28, 2. *Sic enim mecum locutus, te — statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia,* ubi v. Cort., et Herzog. ad. Caes. B. G. II, 4. Ed. Basil. coniecit *operae pollicitae. Omnia haec;* — Heinsius *operae policitae* (vel *pollicitatae) et oblatae. Omnia haec;* — Burmannus *operae; e populo citati. Omnia haec;* — vel *e populo cives citati,* vel *sollicitati cives,* vel *sollicitae civitati omnia haec;* — Ruhnkenius *operae ex pollicitatione.*

Pollicitati omnia. Haec frustra praeparassemus, nisi 2
qui illa regeret fuisset. Itaque ut praesidium mili-
tum respublica ab Augusto ducem in bellum poposcit
Tiberium. Habuit in hoc quoque bello mediocritas no- 3
stra speciosi ministeri locum. Finita equestri militia

Omnia haec; — Ed. Bipont. *operae. Pol civitati omnia haec;* — Cludius *operae, socii sollicitati. Omnia haec;* — Orellius *operae; sollicite sunt pollicitati. Omnia haec;* — Halmius in Emendd. Vell. p. 19. *operae; prompte pollicitati. Omnia haec.*

ut praesidium militum] Horum verborum sensus, qui totus pendet ex praegressa sententia, hic est: milites collecti, qui *reipublicae praesidio* essent, *ipsi* erant *sine praesidio, nisi Tiberio duce;* itaque, ceteris provisis, *ut praesidium militum* respublica ab Augusto poposcit *Tiberium ducem.* Quas argutias, prorsus Velleianas (v. Prolegg. c. II. p. LIII.) et ad Tiberii laudem compositas, nemo intellexit praeter Boeclerum; ceteri omnes coniecturis locum tentarunt; Acidalius *ut praesidium moenium respublica Augustum, ita ducem bellum;* — Lipsius *ut praesidium ultimum,* — Gruterus *ut praesidium unicum;* — Heinsius *ut praesidium iam solitum;* — Burmannus *ut praesidium militum Augustus a republica, respublica ab Augusto* etc. — Cludius *itaque ut princeps a republica, praesidium ultimum, respublica ab Augusto* etc.; — Grunerus *ut praesidium milites, respublica* etc. vel: *ut praesidium respublica, miles ab Augusto.*

§. 3. *bello*] Hanc vocem Burmannus de glossa suspectam habet, quia modo praecessit *bellum,* a stipulantibus Ruhnkenio et Krausio. v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

ministeri] Ed. pr. et Amerb. *ministri,* quod Lipsius recte sensit ex *ministeri* corruptum esse. Neque enim per se dici potest *speciosus minister,* (nam *speciosus* de personis non aliter usurpatur, quam ut significet *formosus* vel *venustus,*) neque eo, quo interpretes volunt sensu, ut sit *spectati et illustris adiutoris,* a Velleio dici potuit, qui non *se ipsum* voluit *laudibus efferre* ob splendidas res gestas, sed *Tiberium celebrare* ob insignem honorem ipsi concessum. De honorifico autem munere *ministerium* saepius dicitur; cf. II, 45, 4. *Clodius — sub honorificentissimo ministeri titulo M. Catonem a republica*

designatus quaestor, necdum senator aequatus senatoribus etiam designatis tribunis plebei, partem exercitus ab urbe traditi ab Augusto perduxi ad filium

relegavit. II, 38, 6. *Cyprus ministerio Catonis facta provincia est.* II, 116, 3. *Aelius Lamia splendidissimis functus ministeriis.* II, 93, 3. *Agrippa sub specie ministeriorum principalium profectus in Asiam.* Liv. IV, 8, 6. *Magis necessariam, quam speciosi ministerii procurationem intuentes.* cf. Drakenborch. ad VIII, 40, 2. Valer. Max. VIII, 13, 1. *Valerius Corvus suffecit integris viribus corporis non solum speciosissimis reipublicae ministeriis.*

etiam designatis tribunis plebei] Rhenanus coniecit *etiam designatus tribunus plebi;* — Ed. Basil. *et iam designatis tribunis plebei;* — Popma *etiam designatus tribunus* (sc. militum); — Bothius *sed iam designatis tribunis plebei;* — Censor Gottingensis in Ephemm. Litt. a 1779. Add. p. 121. haec verba pro glossemate habet, cui ita assentitur Krausius, ut non solum haec, sed totum locum *nec dum senator — tribunis plebei* pro spurio habeat. Vulgatam, quae sane integra est, non satis recte defendit Burmannus, eo dicens Velleium aequatum fuisse senatoribus et designatis tribunis plebei, quod, quamquam nondum senator fuerit, tamen aditum in senatum acceperit. Nimirum quid hoc aliud est, quam *non esse* senatorem, et tamen *esse?* Veram loci rationem solus perspexit Sauppius in Mus. Helvet. a. 1837. I, 2. p. 139.; quippe eo se aequatum senatoribus auctor dicit, quod, quamquam nondum senator, partem copiarum *legatus* ad Tiberium ducendam accepit; nam ceteri legati *senatores* erant, in quibus nonnulli adeo designati tribuni plebis, qui, licet tribuniciae potestatis auctoritas tum cecidisset, non ex postremis senatorum eligebantur.

plebei] Ita Ed. pr. et Amerb., de qua forma v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. II, 1. p. 359. et Drakenborch. ad Liv. II, 33, 2. — Krausius scripsit *plebis.*

exercitus ab urbe traditi ab Augusto] Kreyssigius Praef. p. LVI. aut scribendum censet *exercitus, traditi ab Augusto, ab urbe,* aut *exercitus ad urbem traditi ab Augusto.* — Vulgatum verborum ordinem non esse sollicitandum patebit ex Prolegg. c. II. p. LXXIII. Eundem tuetur etiam Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 101. p. 195. — Bo-

eius. In quaestura deinde, remissa sorte provinciae, 4
legatus eiusdem ad eundem missus, quas nos primo
anno acies hostium vidimus! quantis prudentia ducis

thius verba *traditi a Augusto* tanquam futile glossema uncinis inclusit.

perduxi] Ed. pr. et Amerb. *perduxit.* Correxit Rhenanus.

§. 4. *eiusdem*] Bothius pronomen pro glossemate habens uncinis inclusit.

missus] Amerb. *missum*, unde Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 342. et in Emendd. Vell. p. 9. coniecit a Velleio scriptum fuisse *missus sum. Quas* etc., probante Sauppio in Museo Helvet. a. 1837. I, 2. p. 140. Sed illatum *nos*, quod, licet de Romanis in universum dictum, tamen Velleium simul comprehendit, insolentiam structurae ita mitigat, ut nihil mutandum videatur, praesertim quum terminationes *us* et *um* saepissime in cod. Amerb. confusae reperiantur; v. Prolegg. c. III. p. XCV. et Haasium in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 104. p. 218.

quas nos — vidimus] Burmannus coniecit *quas non — vidimus.*

vidimus] Heinsius coniecit *fudimus*, quod sine iusta caussa probaverunt Ruhnkenius, Krausius, Cludius, Orellius, Bothius. Nam agitur hic tantummodo de primo obiectu hostium, ac tum demum de iis oppressis. Quare *quas hostium acies vidimus* significat *quantae hostium acies contra nos steterunt, obviaeque nobis processerunt.* — Kreyssigius Praef. p. LVI. et ipse *fudimus* amplexus, tamen etiam *vicimus* scribi posse censet.

quantis prudentia ducis opportunitatibus] Heinsius coniecit *quantis prud. ducis usi opportunitatibus;* — Ruhnkenius *quantis prud. duc. opport. usi;* — Ed. Bipont. *quantis prudentiae ducis opp;* — Censor in Biblioth. philol. Vol. I. p. 42. *quantis, prudentia ducis, furentes vires evasimus* (vel *elusimus*) *artibus.* Quae conamina structurae expediendae frustra sunt; nam duo ablativi iuxta se positi diversam rationem habent, ita quidem, ut proxime cohaereant verba *opportunitatibus elusimus*, quibus accuratius definiendis accedit alter ablativus *prudentia ducis*, quae sententia plenius sic foret enuncianda: *quantis opportunitatibus, per prudentiam ducis comparatis, elusimus* etc. cf. infra II, 112, 2. *Messalinus subita rebellione cum semiplena legione vicesima*

opportunitatibus furentis eorum viris universas elusimus partibus! quanto cum temperamento simul utili-

circumdatus hostili exercitu. Valer. Max. I, 7. extr. 2. *Veneficii, quo occidisse Cassandri manu creditur, suspicionem animo repulit.* Plura huius generis contulit Haasius ad Reisigii Gramm. Lat. §. 342. not. 513. p. 619.

furentis eorum viris] Ita Amerb.; Burerius *furenteis eorum vires;* Ed. pr. *furenteis in eum vireis,* Rhenano in legendo pronomine lapso. — Heinsius coniecit *urgentes,* vel *ingruentes eorum vires*; — Ruhnkenius *florentes e. v.;*— Orellius *fruentes e. v.* Quae coniecturae mirifice languent prae vulgata lectione, optimum sensum praebente. *Furentes* enim bene dicuntur, qui acerrimo impetu et ultima ausuri in Romanos irruerent.

elusimus] Ed. pr. et Amerb. *evasimus;* quod quam parum tantae gloriationi conveniat quivis videt, ne dicam addito *partibus* vocabulo sententiam prorsus fieri absurdam. Nam quomodo quis *universam* rem *effugiat partibus?* At potest totum aliquod corpus per partes et quasi membratim frangi ac debilitari. Ad sensum igitur satis bene Gruterus coniecit *exhausimus,* quod Ruhnkenius, Krausius, Orellius, alii, receperunt. Sed multo propius ad codicis scripturam accedit *elusimus,* in quod Censor in Biblioth. philol. Vol. I. p. 42. incidit, quamquam hunc locum aliter tentans; v. paullo supra. Praeterea *eludere* multo maxime convenit huius loci sensui, ubi Velleius id agit, ut demonstret Pannonios a Tiberio non tam cruentis pugnis superatos, quam *consilio, dolis atque artibus paullatim fractos ac debilitatos,* ita ut ingentes eorum paratus ad irritum reciderent, quo sensu frequenter ponitur in re militari *eludere* verbum. cf. Walchii Meletem. p. 13., eundemque ad Tacit. Agric. c. 27. p. 318. id. Annall. IV, 25, 3. *Infensus miles memoria laborum et adversum eludentes optatae toties pugnae.* II, 52, 3. *Nihil aeque cavebatur, quam ne bellum metu eluderent.* Liv. XXII, 18, 3. *Hispanorum cohors — hostem gravem armis statariumque pugnae genere facile elusit,* ubi v. Drakenborch. — Lipsius coniecit *invasimus;* — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 56. p. 447. *universas evasimus, partibus fudimus;* — Laurentius in Locis Vell. p. 146. *fruentes eorum vires universis invasimus partibus;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 151. *universis elusimus artibus.* —

tatis reipublicae et auctoritatis imperatoris agi vidimus! qua prudentia hiberna disposita sunt! quanto

Qua ratione *res universa* opponatur *partibus* dictum est supra ad II, 38, 1.

simul utilitatis reipublicae et auctoritatis] Ed. pr. et Amerb. *simul utilitatis res auctoritate.* Cuius loci corrupti emendatio ut recte procedat, tenendum est *simul* vocem ostendere duos genitivos hoc loco requiri, *temperamentum* autem in eo cerni, si duae res, natura diversae et inter se quasi pugnantes, consilio et ratione ita vel coniunguntur vel tractantur, ut altera non tollat alteram, sed utraque ad certum modum valeat; cf. Tacit. Ann. XI, 4, 4. ubi Scipio sententiam de Poppaea rogatus respondisse dicitur *eleganti temperamento inter coniugalem amorem et senatoriam necessitatem.* Quam igitur in textu exhibuimus scripturam, verbis *res auctoritate* mutatis in *reipublicae et auctoritatis*, ea hunc habet sensum: quanto temperamento Tiberius egit inter reipublicae utilitatem et imperatoris dignitatem; illi quippe consuluit militibus parcendo neque temere periculis eos obiiciendo (cf. II, 112, 3. 113, 2. et imprimis 115, 5.), huic prospexit, ita se gerendo, ut pericula ac puguas non timore defugere, sed prudentia evitare appareret. Similem nostrae coniecturae medicinam tentavit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. I, 13. p. 46. *simul civilitatis et auctoritatis imperatoris res agi;* — similiorem etiam Laurentius in Locis Vell. p. 109. *simul utilitatis reipublicae res et auctoritatis.* Sed probabilius est *reipublicae et* non excidisse, sed priorem vocem, compendio scriptam, abiisse in *res*, ac simul copulae notam absorpsisse, praesertim quum *res* vocabulum non solum non necessarium sit, sed etiam alienum. Nam aut simpliciter dicitur *cum temperamento agere;* aut voce *res* adiecta pro *agere* dicendum fuit *gerere.* — Heinsius *virtutis simul et utilitatis res auctoritate;* — Cludius *virtutis et utilitatis res auctoritate*; — Grunerus *simul utilitatis et auctoritatis;* — Eldikius apud Wyttenbachium in Bibl. Crit. Vol. I. P. 4. p. 61. *temperamento simplicitatis res auctoritate;* — Krausius, locum lacunosum putans, *simul * * * utilitatis res auctoritate;* — Moebius apud Cludium in Corrig. et Add. p. 251. *simul animi et utilitatis res auctoritate;* — Halmius in Emendd. Vell. p. 20. *simul lenitatis res auctoritate.*

qua prudentia] Burmannus maluit *qua providentia,*

opere inclusus custodiis exercitus nostri hostis, ne qua posset erumpere, inopsque copiarum et intra se furens viribus elanguesceret!

1 CXII. Felix eventu, forte conatu prima aestate
2 belli Messalini opus mandandum est memoriae. Qui

scilicet quia modo *prudentiae* vox praecessit. Pessime eum secuti sunt Ruhnkenius, Krausius, Cludius et Orellius. v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

nostri hostis, ne qua — viribus elanguesceret] Ed. pr. et Amerb. *nostri, ne qua — viribus hostis elanguesceret.* Quam turbatae sint hae enunciationes, vel hebetiores facile vident, quum *hostis* subiectum, quod in primaria enunciatione deest, ubi prorsus est necessarium, in secundaria ita inferatur, ut neque loci, neque sententiae aut structurae ratione tolerari possit. Sed omnia expediuntur *hostis* vocabulo, quod librarii errore in versum inferiorem descendit, in primariam enunciationem transposito; qua lenissima mutatione non dubitamus, quin totum locum sanaverimus. Nam *inclusus* est verbum finitum, non participium; *inops copiarum* intelligendum de commeatu, ut Krausius recte vidit, coll. Tacit. Ann. XV, 6. Hist. II, 32. IV, 22. Duker. ad Flor. IV, 2, 39. et Bernecc. ad Iustin. XIII, 6. V, 8; denique coniungendum *intra se furens*, et *viribus elanguesceret.* Illud non est *intra castra sua*, ut placuit Krausio, sed *inter se*, i. e. *quasi in viscera sua furens*, ut dixit Iustinus III, 2, 1. *Graecia omnis in duas divisa partes, ab externis bellis velut in viscera sua arma convertit.* cf. Flor. III, 3, 3. *Sed quas daret terras populus Romanus, agrariis legibus intra se dimicaturus.* id. III, 21, 1. *Hoc deerat unum populi R. malis, ut ipse intra se parricidale ferrum domi stringeret.* In verbis *viribus elanguesceret* ablativo *viribus* non caussa significatur, sed illud, in quo languor cernitur; sexto enim casu verbi notio accuratius definitur, de qua eius vi cf. Zumptii Gramm. Lat. c. 74, 4. §. 457. p. 403. ed. VIII., neque multo aliter dicitur *viribus elanguescere*, quam *viribus defici.* — Ruhnkenius ad Rutil. Lup. I, 13. p. 46. coniecit *nostri hostis, ne qua — viribus haustis elanguesceret*, sensum loci recte assecutus, sed in reperienda corruptelae et caussa et medicina a vero aberrans; — Ursinus *ex. nostri, ne qua — virus hostis elanguesceret;* —

vir animo etiam quam gente nobilior, dignissimus, qui et patrem Corvinum habuisset, et cognomen suum Cottae fratri relinqueret, praepositus Illyrico, subita rebellione cum semiplena legione vicesima circumdatus hostili exercitu, amplius viginti milia hostium fudit

Heinsius *ex. nostri, ne qua — ut intra se suis ruens viribus h. elang.*, vel *et intercea se suis terens viribus h. elang.*; — Burmannus *ex. nostri, ne qua — intra septa furens viribus, h. elang.*; — Orellius *ex. nostri, ne qua — furens viribus suis, h. elang.*; — Cludius, Ruhnkenium in textu secutus, tamen mavult *inopsque copiarum eo redactus est, ut, intra se furens, viribus haustis elang.*; — Grunerus pro *intra se* mavult *contra se.*

CVII, 1. *forte conatu*] Cludius suspicatur fuisse *ut forte conatu.*

prima aestate belli] Heinsius maluit *prima aestate, bellum, Messalini opus, mand.*

mandandum est] Cellarius scripsit *mandatum est.*

§. 2. *animo etiam*] Krausius, *etiam* languidum et otiosum dicens, coniecit *animo, etiam factis, quam.* Non vidit *etiam* pertinere ad comparativum.

dignissimus, qui] Heinsius coniecit *dignissimusque, qui,* probante Orellio. Copula non opus esse recte iudicavit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 447.

circumdatus hostili exercitu, amplius viginti milia hostium fudit] Amerb. *circumdatus hostili exercitu a m XX. fudit;* unde Orellius infelicissimam coniecturam duxit *circumdatus, hostilis exercitus amplius milia XX. fudit.* Nam integerrimam esse scripturam Ed. pr. tam clarum est, ut nemo, nisi qui Amerbachii aperto lapsui maiorem fidem tribuat, quam Rhenani et Burerii coniuncto testimonio, de eius veritate dubitare possit. Ab Orellio seductus Kreyssigius, in ceteris ei obsecutus, hoc certe vidit Praef. p. LVII. scribendum esse *amplius viginti milia.* Vulgatam recte tuentur Laurentius in Locis Vell. p. 147. et Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 41. p. 338.

fugavitque, et ob id ornamentis triumphalibus hono-
3 ratus est. Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut ubicunque Caesar esset, nihil in se

hostili exercitu] Bothius scripsit *hostili exercitui.*

§. 3. *Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium*] Cum ironia et acerba hostium irrisione, ad Tiberii laudem composita, haec dicta esse solus vidit Burmannus. Cuius dicendi rationis quum ea vis sit, ut contraria intelligantur, per se patet, quomodo negativa sententia adiungatur. Sensus est enim hic: barbari, quibus tantopere placebat numerus suus et fiducia virium, i. e. qui et numero suo, et viribus superbi erant, *revera tam parum utroque valebant, ut — nihil in se reponerent.* Per zeugma autem, quod concinnitatis studio ortum est, verba *ita fiducia virium* referri ad *placebat,* in quo Orellius vehementer offendit, vix est quod moneam; cf. Haasium in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 447. et v. supra ad II, 85, 6. Ruhnkenius vulgatam pessime tuetur, *ita — ut* particulas positas censens pro *etsi — tamen; —* Heinsius coniecit *ita iacebat barbaris* etc., — Herelius p. 573. praeeunte Hottingero *ita placebat barbaris numerus suus fiduciâ virium; —* Cludius *ita placebat b. n. s., ea fiducia virium erat; —* Orellius *ita pl. b. num. suus stultâ fiduciâ virium; —* Kreyssigius *ita pl. b. n. suus, sumptâ fiducia virium; —* Laurentius in Locis Vell. p. 110. *ita pl. b. n. s., ita fiducia virium tuti erant; —* Bothius *ita flaccebat barbaris* etc.; — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 47. p. 399. *ita proderat barbaris* etc.; — Ieepius in Emendd. Vell. p. 12. *ita pl. b. n. s. insitâ fiduciâ virium.*

ut ubicunque Caesar esset] Orellius haec lacunosa putans Velleium sic scripsisse coniecit: *ut ubicunque Caesar non esset, in eo omnia, ubi esset* etc.

nihil in se reponerent] Heinsius coniecit *nihil in se spei reponerent; —* Bothius *nihil ipsi reponerent; —* Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a 1837. No. 47. p. 399. *nihil inde reportarent.* Vulgata, quae significat *nihil sibi tribuere,* est prorsus integra; cf. II, 32, 1. *Neque omnia in uno reponenda esse.* II, 113, 1. *Maximam fiduciam victoriae in numero reponebant.* Iustin. XXIV, 8. *Delphi plus in Deo, quam in viribus reponentes.* Liv. XXIV,

reponerent. Pars exercitus eorum, proposita ipsi duci et ad arbitrium voluntatemque nostram macerata perductaque ad exitiabilem famem, neque instantis susti-

37, 3. *Pinarius, vir acer, et qui plus in eo, ne posset decipi, quam in fide Siculorum reponeret.*

proposita] Lipsius coniecit *opposita*, *probante* Ruhnkenio. Vulgata hunc sensum habet satis bonum: pars exercitus eorum, *quam ipse dux sibi proposuisset conficiendam*, tanquam scopum, quem peteret. cf. Liv. XXVIII, 2, 16. *Hasdrubal, propositum bello se fore ratus, exercitum divisit*, ubi Gronovius *propositum* explicat: instar scopi, quem non desinat petere Scipio. Cic. Epp. ad Famm. V, 16, 2. *Homines nos esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra.*

et ad arbitrium] Bothius *et* delevit.

voluntatemque] Ed. pr. et Amerb. *utilitatemque*, pro quo Orellius optime scripsit *voluntatemque*. Nam quae intelligenda sit *utilitas ad quam* macerata fuit pars exercitus, non modo non constat, sed dictio ipsa talis est, ut absurda videatur. Cuius rei documentum est etiam *que* particula, tam disparatis notionibus, quales sunt *arbitrium* et *utilitas*, copulandis nunquam inserviens; v. supra ad II, 60, 4. coll. annotat. ad Sall. Iug. c. LIII, 5. p. 292. et ad c. LXX, 2. p. 374. Omnia vero bene conveniunt in Orellii emendatione; nam quum *arbitrium* et *voluntas* notione cohaereant, ita ut *voluntas* per amplificationem adiiciatur, in tali nexu legitima est *que* particula; v. Reisigii Gramm. Lat. §. 233. p. 412 sq. Coniunxit autem Velleius duo substantiva, quoniam summa est imperatoris laus non ex fortuna pendere aut casui victoriam debere, sed eo hostem adigere, ut pro voluntate eum cogere possit. Corruptela orta est ex male intellecto scribendi compendio *ultatq.*

instantis] Ed. pr. et Amerb. *instantem*, quod ad *ducem* sive Tiberium referunt. Sed recte Acidalium correxisse *instantes* quum ex eo patet, quod *ducis* nomen nimis remotum et quasi abstrusum est, tum ex eo, quod *neque — neque* particulae in *actionis* oppositione parem participiorum rationem postulant. De frequenti *s* et *m* litterarum in fine vocabulorum confusione v. Prolegg. c. III. p. XCV.

nere, neque cum facientibus copiam pugnandi dirigentibusque aciem ausa congredi, occupato monte Clau-
4 dio munitione se defendit. At ea pars, quae obviam se effuderat exercitui, quem A. Caecina et Silvanus Plautius consulares ex transmarinis adducebant provinciis, circumfusa quinque legionibus nostris auxiliaribusque et equitatui regio, (quippe magnam Thracum manum iunctus praedictis ducibus Rhoemetalces,

cum facientibus] Ed. pr. et Amerb. *ut facientibus.* Correxit Ruhnkenius; quippe *ut* ortum ex *cū* (cf. II, 113, 2.,) quod est compendium *cum* particulae. — Ed. Basil. *ut* plane abiecit; — Lipsius coniecit *aut facientibus;* — Heinsius *neque sui facientibus cop. pugnando,* vel *neque sui facientibus copiam;* — Laurentius in Locis Vell. p. 111. *nobis facientibus.*

dirigentibusque aciem] Ita Burer.; Ed. pr. *dirigentibusque etiam,* cum Rhenani annotatione marginali „alias *aciem;*" Amerb. *derigentibus quae aciem,* superscripto *aciam.*

§. 4. *At ea pars*] Ita Burer.; Ed. pr. *antea pars,* cum Rhenani annotatione marginali „alias *at ea pars;*" Amerb. *altera pars.*

equitatui] Rhenanus, constructionem verborum non assecutus, coniecit *equitatu,* probante Burerio.

magnam Thracum manum] Ed. pr. *magna Thracum manu;* — Amerb. *magnam Thr. manu.* Correxit Rhenanus.

iunctus] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *vinctus;* in veram scripturam Rhenanus coniectura incidit. V. ad II, 91, 1.

praedictis] Amerb. *praedictus.*

Rhoemetalces] Ed. pr. Burer. et Amerb. *Rhomo et Alces.* Correxit Rhenanus in Add. p. 70. cf. Taciti Ann. II, 64. In numis etiam nomen exstare Ῥοιμητάλκης Ursinus auctor est ad h. l. Plura contulit Ruhnkenius, quem v.

§. 5. *Fugata*] Burer. et Amerb. *fuga;* Ed. pr. *fugata,* ex tacita Rhenani correctione, nobis quoque probata. Nam licet ad sensum nihil intersit, utrum *fusa* scribas cum Ruhnkenio, Krausio, Cludio et Orellio, an *fugata* cum Rhenano, tamen,

Thraciae rex, in adiutorium eius belli secum trahebat,) paene exitiabilem omnibus cladem intulit. Fugata regiorum equestris acies, fugatae alae, conversae cohortes sunt, apud signa quoque legionum trepidatum. Sed Romani virtus militis plus eo tempore vindicavit gloriae, quam ducibus reliquit, qui, multum a more imperatoris sui discrepantes, ante in hostem inciderunt, quam per exploratores, ubi hostis

quum nullum exstet exemplum *s* litterae cum *g* confusae, probabilius videtur *fuga* vel obscuratâ ultima syllabâ, vel compendio neglecto ex *fugata* ortum esse.

Romani virtus militis] Ed. Basil. scripsit *Romana virtus militis;* — Gruterus *Romana virtus militi;* — Lipsius *Romana virtus militibus;* — Orellius *Romani virtute militis.* v. annotat. seq.

vindicavit] Ed. pr. et Amerb. *vindicatum.* Quum aperte oppositionem quaerat Velleius, luce clarius est eum scripsisse *vindicavit,* ut verissime coniecit Puteanus; aliter enim neque verborum constructio, neque sensus constat, qui talis est: miles virtute sua rei bene gestae gloriam, quae vulgo *duci* contingit, *ipse retinuit,* ita ut ducibus exigua aut nulla relinqueretur. Corruptela autem fluxit ex male intellecto compendio *ūdict.* — Cludius scripsit *vindicavit sibi,* sine iusta ratione; v. ad II, 105, 1. — Gruterus coniecit *vindicatum* plane delendum esse; — Acidalius maluit *vindicandum;* — Popma *vindicatus,* ut sit genitivus substantivi ex *plus* pendentis; — Ed. Bipont. *vindicatum iit;* — Grunerus, vulgatam retinens, coniungit *vindicatum reliquit.*

a more imperatoris sui discrepantes] Ed. pr. et Amerb. *amore imperatoris sui crepantes.* Acute correxit Is. Pontanus in Anall. I, 1. — Vascosanus scripsit *amore imperatoris sui properantes;* — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. p. 288. *amorem imper. sui crepantes;* — Bothius *a mora imperatorum discrepantes;* — Laurentius in Locis Vell. p. 112. *a more imperatoris discrepantes.* Sed *sui,* quod ille otiosum dicit, hanc vim habet, ut indicet Caecinam et Plautium ex Tiberio, qui summum totius belli imperium tenebat,

6 esset, cognoscerent. Iam igitur in dubiis rebus semet ipsae legiones adhortatae, iugulatis ab hoste quibusdam tribunis militum, interempto praefecto castrorum praefectisque cohortium, non incruentis centurionibus, e quibus etiam primi ordines cecidere, invasere hostis, nec sustinuisse contenti perrupta eorum acie ex
7 insperato victoriam vindicaverunt. Hoc fere tempore Agrippa, qui eodem die quo Tiberius adoptatus ab avo suo naturali erat, et iam ante biennium, qualis esset, apparere coeperat, mira private animi atque ingeni in

pependisse. Nam *qui* ad *duces* pertinere in promptu est; solus Bothius pro acumine suo retulit ad *miles!*

ubi hostis esset] Bothius, vim oppositorum non assecutus, *hostis* tanquam glossam uncinis inclusit.

§. 6. *Iam igitur in dubiis rebus*] Heinsius coniecit *tam igitur dubiis rebus.* — De *iam* particula transitum parante v. Hand. de Particc. Latt. Vol. III. p. 143. §. 21. Ruhnken. infra ad II, 129, 2. Duker. ad Flori Prooem. §. 2.

non incruentis centurionibus] Bothius scripsit *nec centurionibus incruentis,* ad vitandum versum alcaicum.

e quibus etiam] Ed. pr. *qui etiam*; Burer. et Amerb. *quibus etiam.* Correxit Boeclerus, *e* praepositione addita. Rhenanus coniecit *quin etiam;* — Heinsius *in quibus etiam;* — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. p. 288. *cum quibus etiam.*

primi ordines] Ed. Basil. coniecit *primi ordinis,* quod multi perperam probaverunt. *Ordines* enim dicuntur etiam *ordinum ductores* vel *centuriones ipsi;* cf. Caes. B. G. V, 30, 1. *Hac in utramque partem disputatione habita, quum a Cotta primisque ordinibus acriter resisteretur* etc. id. VI, 7, 8. *Labienus, noctu tribunis militum primisque ordinibus coactis, sui quid sit consilii proponit.* Liv. XXX, 4, 1. *Cum legatis calonum loco primos ordines spectatae virtutis atque prudentiae servili habitu mittebat.* XLIV, 33, 4. *Ipse cum tribunis primisque ordinibus vadit ad contemplan-*

praecipitia conversus patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi, moxque crescentibus in dies vitiis dignum furore suo habuit exitum.

CXIII. Accipe nunc, M. Vinici, tantum in bello 1
ducem, quantum in pace vides principem. Iunctis exercitibus, quique sub Caesare fuerant, quique ad eum venerant, contractisque in una castra decem legionibus, septuaginta amplius cohortibus, decem alis, et pluribus quam decem veteranorum milibus, ad hoc magno voluntariorum numero frequentique equite re-

dos transitus. Frontin. Strateg. I, 5, 12. *Ad primos tantum ordines relato consilio.* id. V, 5, 8. Hygin. de Limit. p. 160.

perrupta] Amerb. *praerupta.*

§. 7. *et iam*] Ed. pr. et Amerb. *etiam.* Correxit Ed. Basil.

CXIII, 1. *vides principem. Iunctis*] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. legitur *vides. Principes iunctis,* aperto Rhenani errore. De confusione *m* et *s* litterarum in vocabulorum fine cf. Prolegg. c. III. p. XCV.

decem alis, et] Ed. pr. et Amerb. *XIIII. sed,* quod sensu prorsus destitutum est. Quum Velleius singula militum genera enumeret, memoratis legionibus et *cohortibus,* i. e. auxiliorum *peditibus,* Lipsius acute coniecit etiam *equitatus* sociorum mentionem fieri debuisse; qui quum *alarum* vocabulo designetur, ita locum restituit *XIIII. alis, et.* Quam emendationem non minore acumine perfecit Laurentius in Locis Vell. p. 147., coniiciens *alis* non excidisse, sed latere in numeris *IIII* et *s* littera, ita ut vera scriptura sit *X alis, et,* litteris *ali* a librario pro quaternario numero, ad X pertinente, habitis, *s* autem cum *et* conflato. Qua coniectura quum simul optime explicetur, quomodo *et* in *sed* abierit, quod prorsus obscurum est, si vocem *alis* excidisse statuas, equidem non dubitavi Lipsianae eam praeferre, praesertim quum de alarum numero nihil certi constet, quo cogamur a quattuordecim non discedere.

ad hoc] Ita Amerb. recte; Ed. pr. *adhoc.*

gio, tanto denique exercitu, quantus nullo unquam loco post bella fuerat civilia, omnes eo ipso laeti erant maximamque fiduciam victoriae in numero re-
2 ponebant. At imperator, optimus eorum quae agebat iudex, et utilia speciosis praeferens, quodque semper eum facientem vidi in omnibus bellis, quae probanda essent, non quae cuique probarentur, sequens, paucis diebus exercitum, qui venerat, ad refovendas ex itinere eius viris moratus, cum eum maiorem, quam ut temperari posset, neque habilem guberna-
3 culo cerneret, dimittere statuit; prosecutusque longo et perquam laborioso itinere, cuius difficultas narrari vix potest, ut neque universos quisquam auderet ag-

in numero reponebant] Bothius scripsit *in eo reponebant;* scilicet quia *numero* paullo ante legitur. v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

§. 2. *quae cuique*] Ed. pr. et Amerb. *quae utique,* sensu incommodo; nam quum *utique* confirmandi vim habeat (v. ad II, 11, 1.,) ea vox prorsus repugnat sententiae huius loci, ubi Velleius hoc dicit, Tiberium in consiliis capiendis unice rem ipsam, non *multitudinis iudicium* secutum esse; cf. II, 115, 5. *Nec unquam consilia ducis iudicio exercitus, sed exercitus providentia ducis rectus est.* Verissime igitur Heinsius emendavit *quae cuique,* i. e. *quae vulgo probarentur.* Syllabae *cu* et *ut* pariter confusae sunt II, 112, 3. Grunerus maluit *quae utcunque.*

qui venerat] Heinsius coniecit *qui subvenerat.*

§. 3. *narrari*] Heinsius maluit *enarrari,* quod Ed. Bipont., Krausius et Cludius receperunt.

suorum quisque metu finium, universi] Ed. Basil. scripsit *suorum metu universi,* in errorem eo inductus, quod verba in Ed. pr. nulla interpunctione distincta sunt, quam Vascosanus recte instituit, Burmannus pervertit commate post *suorum* posito, quae vox non ad *digredientium,* sed ad *finium* pertinet. —

gredi, et partem digredientium, suorum quisque metu finium, universi tentare non possent, remisit eo, unde venerant, et ipse asperrimae hiemis initio regressus Sisciam legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis praefecis hibernis.

CXIV. O rem dictu non eminentem, sed solida 1
veraque virtute atque utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate singularem! Per omne belli Germanici Pannonicique tempus, nemo e nobis gradumve nostrum aut praecedentibus aut sequentibus imbecillus fuit, cuius salus ac valetudo non ita sustentaretur Caesaris cura, tanquam distractissimus ille tantorum operum mole huic uni negotio vacaret

Heinsius coniecit *suorum quamque, metu finitimo, universi.*

non possent] Burmannus coniecit *non posset.*

Sisciam] Ita Burer.; Ed. pr. *Sistiam,* Rhenano *c* cum *t* confundente; Amerb. *Sisci iam.* Scripturam cod. Murb. confirmat Plin. H. N. III, 25. et Dio Cass. LV, 30. p. 803.

CXIV, 1. *utilitate*] Amerb. *utilitatem.*

imbecillus] Amerb. *becillus.*

ac valetudo] Bothius haec verba ut glossema uncinis inclusit.

distractissimus] Ed. pr. et Amerb. *distraximus.* Correxit Rhenanus.

ille] Bothius ex coniectura scripsit *illi;* cui rei praeter alia etiam verborum collocatio obstat.

operum] Ed. pr. et Amerb. *onerum,* pro quo Santenius apud Ruhnkenium recte vidit scribendum esse *operum.* Nam primum multo maiorem habet Tiberii gloriam, ad quam omnia refert Velleius, si eius res bello gestae *operum* potius, quam *onerum* nomine comprehenduntur; tum non, nisi pessime dici potest *oneribus distractus,* quia onere aliquis premitur potius, aut opprimitur, quam distrahitur; denique quum *moles* dicatur de magnitudine et diffi-

2 animus. Erat desiderantibus paratum iunctum vehiculum, lectica eius publicata, cuius usum cum alii, tum ego sensi. Iam medici, iam apparatus cibi, iam in hoc solum importatum instrumentum balinei nullius non succurrit valetudini. Domus tantum ac domestici deerant; ceterum nihil, quod ab illis aut praestari 3 aut desiderari posset. Adiiciam illud, quod, quisquis

cultate *rerum gerendarum* ac *belli negotiorum* (cf. II, 79, 1; II, 97, 4; II, 115, 1; II, 129, 5.,) ex hoc quoque patet istam vocem rectius ad *opera* quam ad *onera* referri.

huic uni negotio] Ed. pr. *huic uni;* Burer. *huic uni genitio;* Amerb. *huic unigenitio.* Ed. Basil. acute vidit insulsam vocem *genitio* ortam esse ex litterarum *g* et *n* permutatione, librarii oscitantia commissa. — Burerius coniecit *huic uni genti;* — Burmannus *huic uni officio,* vel *beneficio,* vel *genitus;* — Grunerus *huic uni gerendo;* — Ruhnkenius *huic uni penitus.*

§. 2. *iunctum*] Krausius hanc vocem de glossa suspectum habet, quia in pedestri oratione *iunctus* pro *equis iunctus* non dicatur. Falso; cf. Liv. XXXIV, 1, 3. *Tulerat eam legem Oppius, ne qua mulier iuncto vehiculo — veheretur.* id. XLII, 65, 3. *Iuncta vehicula mille admodum capiuntur.*

cuius usum cum] Ed. pr. et Amerb. *cuius cum.* Vocem *usum,* quam excidisse et turbata constructio et manca sententia documento sunt, restituit Lipsius. Potuit autem duobus modis evanescere, aut plene scriptis vocabulis, *cuiususumcum,* propter geminationem syllabarum *us* et *um,* aut per compendia *cuꝰusūc,* quae librarius neglexit. — Rhenanus coniecit *cuius beneficium cum;* — Bothius *lecticae eius publicatae usum cum.*

importatum] Amerb. *uni portatum,* unde Orellius coniecit *una portatum,* quod non plane displicet, quamquam lectio Ed. pr. ferri potest. Nam quum *importare* dicatur de rebus, quae ex eo loco, ubi sunt et vulgo habentur, feruntur in eum locum, in quo desunt et desiderantur, sane instrumentum balinei *importatum esse* dici potest, sc. in terram hostilem, ubi nulla eius copia erat, ita ut ex Italia petendum esset, ubi balinei usus

illis temporibus interfuit, ut alia, quae retuli, agnosceet protinus: solus semper equo vectus est, solus cum iis, quos invitaverat, maiore parte aestivarum expeditionum coenavit sedens; non sequentibus disciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignovit; admonitio frequens, interdum et castigatio, vindicta rarissima; agebatque medium plurima dissimulantis,

consuetus fuit. Orelliana coniectura praeterea eo valde dubia est, quod nullum exstat in cod. Murb. exemplum litterae *i* cum *a* confusae.

ceterum nihil] Heinsius scribi vult *ceterorum nihil.* Falso; nam *ceterum* est *sed*, de qua potestate v. nostram annotat. ad Sall. Iug. c. II, 4. p. 12.; ex praecedentibus autem supplendum *deerat;* cf. ad II, 89, 2.

ab illis] Acidalius coniecit *ab ullis.* — *Illis* refertur ad *domestici.*

§. 3. *Adiiciam*] Lipsius scripsit *adiice iam.*

illis temporibus] Heinsius coniecit *illius temporis rebus*, quae mera est interpretatio vulgatae scripturae. Apte Wopkensius in Miscell. Obss. Vol. VIII. p. 75. contulit Sulpic. Sever. Dial. III, 3. *Cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit.*

agnoscet] Lipsius scripsit *agnosceret.*

interdum] Ed. pr. et Amerb. *inerat.* Verae lectionis restitutio debetur Censori in Ephemm. litt. Gotting. a. 1779. Add. p. 121. Apparet enim Velleium Tiberii prudentiam imperatoriam ita laudare, ut dicat eum ad tuendam disciplinam saepissime *verbis*, rarissime *poena* usum esse. Verborum autem quum duplex ratio sit, aut lenis, aut paullo acerbior, illa voce *admonitionis* haec *castigationis* significatur; cf. Liv. XXI, 30, 1. *Varie militum animos versat Hannibal castigando adhortandoque*, i. e. modo *leniore*, modo *acriore* oratione eos compellavit. Totius igitur loci sensus hic est: *admonitio* (i. e. lenis adhortatio) *frequens* erat, *interdum* etiam *castigatio* (i. e. acrior obiurgatio), *vindicta rarissima.* Quum igitur aperta gradatio sit nominum *admonitio, castigatio, vindicta*, quis dubitet quin eadem inversa fuerit in eorum attributis? Ut autem

4 aliqua inhibentis. Hiems emolumentum patrati belli non tulit; sed insequenti aestate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Delmatia manentibus, pacem petiit. Ferocem illam tot milium iuventutem, paulo ante servitutem minatam Italiae, conferentem arma, quibus usa erat, apud flumen nomine Bathinum, pro-

inter *admonitionem* et *vindictam* media est *castigatio*, ita inter *frequens* et *rarissimum* medium est id, quod fit *interdum*, idque adverbium non aliam ob caussam auctor duobus adiectivis interposuit, quam quia adiectivum eiusdem sententiae non exstat. In tanta rationum internarum perspicuitate vix quisquam dubitet, quin *inerat* ex *interdum* vocis compendio corruptum sit. — Halmius in Emendd. Vell. p. 21. defendit *erat*, deleta *in* syllaba, quod iam Krausius proposuerat; — Susius apud Gurlittum in Animadv. ad auct. vett. Spec. III. coniecit *admonitio frequens inertis;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 151. *adm. frequens inertium;* — Bothius *interdum castigatio*, deleto *et. rarissima*] Ed. pr. et Amerb. *amarissima.* Correxit Rhenanus. V. not. praeced.

§. 4. *non tulit*] Ed. pr. et Amerb. *contulit;* quam lectionem ineptam et quovis nomine perversam mirum est tam diu toleratam fuisse. Nam primum *hiems* per se ea anni tempestas fuit, qua semper ab armis cessabatur, ita ut eo ipso nihil posset ad finiendum bellum conferre. Deinde haec sententia, quam parumper concedamus, sequentibus prorsus tollitur; nam si Pannonii proxima demum *aestate* pacem petierunt, Delmatae vero etiamtum in armis manserunt, profecto praecedente *hieme* bellum *non confectum est.* Denique quam vim habeat verbum compositum *contulit* non magis dixeris, quam quid sibi velit *sed* particula, praegressa enunciatione affirmativa. Quae difficultates omnes evanescunt, si cum Friebelio in Gr. Satyrogr. Fr. p. 151. una litterula mutata scripseris *non tulit.* Iam enim sensus hic est: *hieme* (licet magnopere pressi essent Pannonii et fatigati, cf. c. 113, 3.) *non id effectum est, ut bellum patratum videri posset; sed insequenti aestate* etc.

sed insequenti] Amerb. *sed in sequenti.* Lipsius coniecit *et insequenti*, quod paene omnes edd. receperunt. v. annotat. praeced.

sternentemque se universam genibus imperatoris, Batonemque et Pinnetem, excelsissimos duces, captum alterum, alterum deditum, iustis voluminibus ordine narrabimus, ut spero. Autumno victor in hiberna reducitur exercitus, cuius omnibus copiis a Caesare M. Lepidus praefectus est, vir nominis ac fortunae

in Delmatia manentibus] Heinsius coniecit *in Dalmatiam emanantibus.*

Ferocem] Amerb. *Fero uocem.* V. Prolegg. c. III. p. CIV.

quibus usa] Amerb. *qui usa.*

Pinnetem] Ed. pr. et Amerb. *Pinetem.* Rectius nomen duplici *n* scribitur, ut supra II, 110, 4. ubi v. Krausius.

captum alterum, alterum deditum] Ed. pr. et Amerb. *captum alterum a se deditum.* Verissime Ruhnkenius praeeunte Ed. Basil. suspicatur in corruptis vocibus *a se* nihil aliud latere, quam *alterum,* quippe quod hoc compendio *altm* scriptum facile potuerit cum *a se* commutari. Rhenanus coniecit *captum alterum, alterum a se deditum,* probante Orellio, excidisse ratus *alterum* secundo loco positum, quod sane interdum fieri observavimus ad Sall. Iug. c. XLII, 1. p. 243. Sed *a se deditum,* quod ita remanet in textu, aperte falsum est, aut potius barbarum. — Heinsius coniecit *c. alt., alterum a suis deditum;* — Burmannus *c. alt., alterum a socio deditum,* vel *exc. duces captos, alterum et deditum;* — Cludius *c. alt., alterum sponte deditum.*

§. 5. *Autumno*] Ed. pr. et Amerb. *Autumni.* Correxit Ed. Basil. V. Prolegg. c. III. p. LXXXIX.

a Caesare M. Lepidus] Ed. pr. et Amerb. *Caesarem Lepidus.* Praepositionem excidisse vidit Rhenanus, praenomen *M.* adhaesisse praecedenti nomini Burerius. Utraque correctione coniuncta locum persanavit Boeclèrus. Corruptelae initium fuit *m* littera cum praecedente voce coniuncta. Ita accusativo orto praepositio *a* eiecta est. — Lipsius coniecit *a Caesaribus M'. Lepidus;* — Vossius *Caesari M. Lepidus.*

nominis] Acidalius scripsit *nomini,* non concoquens genitivum ex *proximus* aptum; v. supra ad II, 36, 3. — Laurentius in Locis Vell. p. 147. coniecit *nomini ac fortuna;* — Bothius *vir nomine, at fortuna.*

Caesarum proximus, quem in quantum quisque aut cognoscere aut intellegere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum, quibus ortus est, ornamentum iudicat.

1 CXV. Caesar ad alteram belli Delmatici molem animum atque arma contulit. In qua regione quali

Caesarum] Ed. pr. et Amerb. *eorum*, pro quo Scheffe-rus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 175. felici coniectura restituit *Caesarum*, i. e. *domus Caesareae*. Quippe aviam habuit *Scri-boniam*, Augusti priorem coniugem, matrem *Corneliam*, Iuliae sororem eandemque materteram Lucii et Caii Caesarum, fratrem *L. Aemilium Paulum*, Iuliae neptis maritum. Tam arcta igitur necessitudine familiae Caesareae coniunctus perquam apte *nomi-nis ac fortunae huius familiae*, i. e. *Caesarum, proxi-mus* dicitur. — Lipsius et Acidalius, qui paullo ante scripse-runt *a Caesaribus*, eo referunt *eorum*, quamquam alio sensu; — Vossius coniecit *suorum;* — Heinsius *Aemiliorum*, vel *avorum;* — Halmius in Emendd. Vell. p. 22. *maiorum*, quae omnia eodem redeunt, et potius vituperium quam laudem Le-pidi habent. Nam qui *suorum*, *maiorum* vel *avorum* tantum-modo *proximus* est, certe degeneravit aliquantum ab eorum virtute, neque recte potest idem eorum *ornamentum* dici. Prae-terea luce clarius est verbis sequentibus *tantorum nominum, quibus ortus est*, i. e. *maiorum* vel *Aemiliorum*, prorsus alios significari, quam eos, quorum nominis ac fortunae proximus dictus est; nam aperte maiorum mentio fit ad cumulum gloriae Lepidi, iam alio modo celebratae, addendum. — Orellius coniecit *emi-nentissimorum;* — Bothius *deorum;* — Laurentius in Locis Vell. p. 147. *deorum simillimus*.

nominum] Bothius scripsit *hominum*.

CXV, 1. *belli Delmatici molem*] Cludius coniecit *belli Delmaticam molem*, non perspecta verborum structura. Nam *Delmatici*, quod per se non pendet ex verbo *alteram*, per at-tractionem cum genitivo *belli*, ex *alteram* voce apto, coniunctum est. Proprie enim sententiae ratio haec est: *Caesar ad alteram molem belli, quod fuit Delmaticum, animum contulit;* cf. §. 5. Igitur brevitatis caussa *Delmatici*, quae vox attributivam vim habet, ad partitivum genitivum relata est, quae duae rationes,

adiutore legatoque fratre meo Magio Celere Velleiano usus sit, ipsius patrisque eius praedicatione testatum est, et amplissimorum honorum, quibus triumphans eum Caesar donavit, signat memoria. Initio aestatis 2 Lepidus, educto hibernis exercitu, per gentis integras immunisque adhuc clade belli et eo ferocis ac trucis

quamquam vigente oratione in unam conflantur, tamen etiam sic possunt disiungi: *Caesar ad alteram belli, scilicet Delmatici, molem animum contulit*, quam explicandi rationem iniit Bachius in Animadverss. p. 8. coll. Ovid. Metam. II, 836. *Nec causam fassus amoris*, i. e. caussam, quae erat amor.

In qua regione] Ruhnkenius coniecit *in qua expeditione;* — Herelius p. 574. *in quo negotio;* — Cludius *in qua regenda;* — Krausius *regione* a glossatore additum censet. — Per synesin *regionem* referri ad praecedens *belli Delmatici* iam vidit Wakefieldius ad Lucret. I, 353. et Halmius in Emendd. Vell. p. 18. cf. ad I, 4, 2.

legatoque] Bothius hoc tanquam insiticium uncinis inclusit.

Velleiano] Ed. pr. *ulli flano;* Amerb. *Ulliflano.* Acute correxit Ed. Basil. Nam pro *Velleio* frater scriptoris appellatus est *Velleianus*, quia, ut ex praenomine patet, adoptione ex gente Velleia in *Magiam* transiit. — Burer. coniecit *Uliflano;* — Nicolaus Loensus in Epiphyll. VII, 6. *Allifano;* — Ed. Bipont. *Caeciliano.*

honorum] Ita Ed. pr. et Amerb. a sec. m., *donorum* a pr. m., quemadmodum scribendum esse coniecerat Lipsius, probante Ruhnkenio et Orellio. Scripturam codicis Murb. recte defendit Krausius; *honores* enim sunt dona, praemii loco militibus ob virtutem data; cf. Liv. XLV, 36, 4. Id. Epit. lib. CXXIX. Non mirum est igitur, licet frequenter dicatur *donis donare milites*, etiam dici potuisse *honoribus donare*, ut sane dixit Livius XLV, 22, 2. *In hoc squalore venimus in curiam Romanam Rhodii, quos praemiis atque honoribus amplissimis donastis.*

donavit] Burmannus coniecit *decoravit;* — Wakefieldius ad Lucret. I, 353. *ornavit.*

§. 2. *per gentis integras*] Ed. pr. *pergentis integras:* Burer. et Amerb. *pergentis in integras.* Correxit Ed. Basil.

tendens ad Tiberium imperatorem, et cum difficultate locorum et cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsistentium, excisis agris, exustis aedificiis, caesis viris, laetus victoria praedaque onustus, pervenit ad
3 Caesarem, et ob ea, quae si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus, consentiente cum iudicio principum voluntate senatus,
4 donatus est. Illa aestas maximi belli consummavit effectus. Quippe Perustae ac Desitiates Delmătae,

clade belli] Bothius delevit *clade*, quia eadem vox statim recurrat. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

et cum difficultate] Bothius *et* delevit, quia hic apodosis incipiat.

caesis viris] Heinsius coniecit *eversis vicis*, vel *incensis vicis*, vel *exustis aedificiis ac vicis*, non aliam ob caussam, quam quia putavit verbis *magna cum clade obsistentium* idem plane significari, atque *caesis viris*. Sed in aprico est illis verbis generalem contineri sententiam, quae per partes illustretur; nam *excisi agri, exusta aedificia, caesi viri*, haec omnia simul effecerunt magnam illam cladem obsistentium.

§. 3. *ob ea, quae si*] Munkerus apud Heins. maluit *ob ea, ob quae, si;* — Ruhnkenius *ob quae, si;* — Burmannus *ob* ante relativum supplendum censet, assentiente Schaefero ad Sophocl. Tom. II. p. 318., et Haasio in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 55. p. 436. Sed ista praepositionis ellipsis, de qua v. supra ad I, 7, 1., hic durior videtur, ubi aliis verbis illatis, structurae aequalitas, quae illam omissionem maxime commendat, sublata est. Recte enim Handius ad Wopkensii Lectt. Tull. p. 298. (p. 218. ed. Amst.) vidit interposita enunciatione structuram ita mutari, ut *quae* accusativus non ex praepositione *ob* supplenda pendeat, sed obiectum sit *gessisset* verbi, quam rationem facile patet attractione effectam esse.

propriis gessisset] Ruhnkenius coniecit *propriis res gessisset*.

senatus, donatus est] Ed. pr. et Amerb. *senatus est*. Excidisse *donatus* ob similitudinem litterarum satis probabiliter

situ locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scientia et praecipue angustiis saltuum paene inexpugnabiles, non iam ductu, sed manibus atque armis ipsius Caesaris tum demum pacati sunt, cum paene funditus eversi forent. Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre maius aut mirari magis potui, quam quod imperatori nunquam adeo ulla oportuna visa est victoriae occasio, quam damno amissi pensaret militis, semperque visum est glorio-

assecutus est Rhenanus. cf. II, 26, 3. et v. Prolegg. c. III. p. CVIII. — Herelius tamen p. 574. maluit *honoratus;* — Bothius *auctus.*

§. 4. *maximi*] Amerb. *maximum.*

Perustae ac Desitiates] Ed. pr. *Perusia aede siciales;* Amerb. *perusia aedesitiales,* in qua scriptura verae lectionis vestigia paullo clarius apparent; v. Prolegg. c. III. p. CI. In *Perusia* latere *Perustae* vidit Vossius; de qua Delmatiae gente, quae alias *Pirustae* vocatur, cf. Liv. XLV, 26, 13. et Strabon. VII. p. 483. — *Desitiates* felici coniectura restituit Ed. Basil. Iidem dicuntur Δαισιτιᾶται apud Strabonem l. l., Δυσιδιᾶται apud Dion. Cass. LV, 29. p. 802. *Daesitiates* sunt in lapide apud Sponium Misc. erud. antiq. p. 179. et Zachariam Marm. Salonit. p. 20. Apud Plinium H. N. III, 22. libri fluctuant inter *Daesitiates* et *Desitiates.* — Copulam *ac,* quae latet in *ae* litteris, restituit iam Vossius; nihilominus plurimi editores sine caussa *et* praetulerunt. — Rhenanus coniecit *perfidia exitiales Dalmatae;* — Ed. Basil. *Daorisi et Desitiates;* — Puteanus *Breuci et Desitiates.*

Delmatae] Ita Burer.; Ed. pr. et Amerb. *Dalmatae.* v. ad II, 39, 3.

locorum ac montium, ingeniorum ferocia] Heinsius coniecit *locorum ac montium ingenio, tum animorum ferocia,* vel *locorum, ac immanium ingeniorum ferocia.*

§. 5. *amissi*] Herelius p. 574. coniecit *commissi,* coll. II, 97, 4. Sed *damnum amissi militis* non est tautologia, ut ille censet, sed significat *damnum, quod constat amisso milite.*

sum, quod esset tutissimum, et ante conscientiae quam famae consultum, nec unquam consilia ducis iudicio exercitus, sed exercitus providentia ducis rectus est.

1 CXVI. Magna in bello Delmatico experimenta virtutis in multos ac difficilis locos praemissus Ger-
2 manicus dedit; celebri etiam opera diligentique Vibius Postumus, vir consularis, praepositus Delmatiae, ornamenta meruit triumphalia; quem honorem ante paucos annos Passienus et Cossus, viri quamvis diversis vir-

conscientiae quam famae] Amerb. *conscientiae famae*, omisso *quam*.

nec unquam] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *necum quod*, syllabis male divulsis, et *quam* particulae compendio cum *quod* confuso.

consilia] Bothius scripsit *consilium*, ignorans ex sequenti *rectus est* hic supplendum esse *recta sunt*; v. supra ad II, 35, 5.

CXVI, 1. *multos*] Heinsius coniecit *incultos*, temere probatum Ed. Bipont., Krausio, aliis. De usu *multus* vocabulum per copulam cum alio adiectivo nectendi v. supra ad II, 90, 1. coll. Handio de Particc. Lat. Vol. II. p. 475. et Heindorf. ad Horat. Sat. II, 3, 9.

§. 2. *celebri*] Orellius coniecit *celeri*; — Ed. Basil. *celebris*; — Ruhnkenius *virili*.

diligentique Vibius Postumus] Ed. pr. *diligenti. quibus Iulius Posthumius*; Burer. *diligenti. quibus Iul. Postumus*; Amerb. *diligenti quib. ius Postumus*. Ex his verum viri nomen feliciter eruit Pighius Annall. Tom. III. p. 538, cuius emendationem perfecit Vossius restituendo *diligentique*. Corruptela orta est ex divulsis ac male compositis syllabis; nam *q*, i. e. *que*, a voce *diligenti* distracto et conflato cum priore syllaba nominis *Uibius*, ortum est *quib*, quod Rhenanus plene scripsit *quibus*, pariter ut residuam syllabam *ius*, quam cum Burerio legit *iul*; nam *s* interdum confunditur cum *l*, cf. Prolegg. c. III. p. LXXXIX. Amerbachius paene integram habet scripturam, quippe qui *ius* recte legerit, quam rem Orellius non maiori eius fidei, sed felici-

tutibus celebres, in Africa meruerant. Sed Cossus victoriae testimonium etiam in cognomen fili contulit, adulescentis in omnium virtutum exempla geniti. At 3 Postumi operum L. Apronius particeps, illa quoque militia eos, quos mox consecutus est, honores excellenti virtute meruit. Utinam non maioribus experimentis testatum esset, quantum in omni re fortuna posset! sed in hoc quoque genere abunde agnosci vis eius potest. Nam et Ael. Lamia, vir antiquissimi moris et priscam gravitatem semper humanitate tem-

tati debebat tribuere. — Ed. Basil. scripsit *diligenti Q. Iulius Postumus;* — Lipsius *diligentiaque Iulius Postumus.*

praepositus] Amerb. *quin positus,* unde Orellius, falsa opinione de Amerbachiani codicis praestantia deceptus, fecit *qui impositus.* Scripturam Ed. pr. satis tuetur Burerii tacitus consensus, ex quo patet non recte legisse Amerbachium quod cod. Murb. habuit.

Delmatiae] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr. *Dalmatiae.*

quamvis] Ed. pr. et Amerb. *quibusdam,* quo pronomine substantivi vis prorsus inepte restringitur et inanis fit. Quare non dubium est, quin Bothius hoc uno certe loco Velleii manum restituerit scribendo *quamvis,* quo ratio, qua *celebres* definitur vocabulo *diversis,* optime indicatur. Nam sensus est: viri celebres, *sed* diversis, i. e. alius aliis virtutibus.

§. 3. *At Postumi*] Ita Ed. pr.; Burer. et Amerb. *ad Postumio.* Quod quamquam aperte falsum est, Orellius tamen probavit *at Postumio.* Sed neque dicitur *participem esse alicui alicuius rei,* neque dativus *Postumio* esse potuit, quum viri nomen *Postumus* sit. Codicis lectio orta ex prava sequentis litterae geminatione; cf. Prolegg. c. III. p. CXII. et Kreyssig. Praef. p. LX.

hoc quoque] Ed. pr. et Amerb. *loco quoque.* Correxit Ed. Basil.

et Ael. Lamia] Ed. pr. et Amerb. *et etiam.* Nomen proprium, quod in voce *etiam* latere dubium non est, pari acumine atque felicitate eruit Ruhnkenius; nam prior syllaba *et* orta ex *el,* quod est *Aelius* nominis compendium, *e* pro *ae* posito, ut

perans, in Germania Illyricoque et mox in Africa splendidissimis functus ministeriis, non merito, sed
4 materia adipiscendi triumphalia defectus est, et A. Licinius Nerva Silianus, P. Sili filius, (quem virum

saepissime, v. ad II, 28, 3; *iam* autem, *l* in *i* corrupto, nihil aliud est, quam *lam*, i. e. *Lamia*. Hunc Aelium Lamiam Africam obtinuisse et insigni tum fama fuisse intelligitur ex Taciti Annall. IV, 13, 4. *Ac ni Aelius Lamia et L. Apronius, qui Africam obtinuerant, Gracchum insontem protexissent, claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus.* ibid. VI, 27, 2. *Extremo anni mors Aelii Lamiae funere censorio celebrata, qui administrandae Syriae imagine tandem exsolutus urbi praefuerat. Genus illi decorum, vivida senectus; et non permissa provincia dignationem addiderat.* cf. Dio Cass. LVIII, 19. p. 891. Talis igitur vir quum fuerit Lamia, optime in eum convenire, quae Velleius infra §. 5. dicit, argumento non eget. Ceterum copulam *et*, quam Ruhnkenius omisit vel neglexit, recte retinuit Orellius. Ed. Basil. coniecit *et Seianus;* — Lipsius *et Iunius;* — Vossius *et Blaesus etiam;* — Ed. Bipont. *C. Sentius;* — Heinsius *etiam* deleri vult, ita ut *vir* de *L. Apronio* intelligatur.

semper] Ruhnkenius hanc vocem natam putat ex *temperans*.

functus ministeriis] Iunta edidit *cinctus ministris*.

triumphalia] Kreyssigius Praef. p. LX coniecit a Velleio hic quoque scriptum fuisse *ornamenta triumphalia*, ut II, 104, 2. 112, 2. 115, 3. 125, 5. Sed quum ipse his adductis exemplis, Tacit. Ann. IV, 18. Hist. IV, 4. Plin. Paneg. 89. et Sueton. Claud. 24., probaverit *triumphalia* vi substantivi dici, profecto non est, cur idem Velleio non concedatur; cf. Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 101. p. 196. et v. supra ad II, 65, 2.

§. 4. *et A. Licinius*] Herelius p. 574. coniecit *at A. Licinius*, non assecutus *et* hoc loco respondere superiori *et Ael. Lamia;* v. ad II, 92, 4.

quem virum ne qui intellexit quidem] Burmannus coniecit *quem vivum qui intellexit, ne quidem abunde* etc.; — Bothius *quem virum nae, qui intellexit quidem, abunde* etc.

ut nihil non] Ed. pr. *ne nihil*, ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *ne nihil non*. Velleius scripsit

ne qui intellexit quidem abunde miratus est, ut nihil non optimo civi, simplicissimo duci perisset,) praereptus immature et fructu amplissimae principis amicitiae, et consummatione evectae in altissimum pater-

ut nihil non, quemadmodum de coniectura nostra edidimus; nam verba, quae parenthesi continentur, acerbam querelam cum gravi indignatione habent, ut totius loci sensus hic sit: summa fortunae in Licinium Nervam iniquitas non solum in eo cernitur, quod immatura morte honorum fructu defectus ad summum in civitate splendorem claramque famam pervenire non potuit, sed etiam in eo, quod vel ii, qui qualis ille esset intellexerunt, tamen eum non pro virtutibus admirati sunt, *ita ut* (sc. quum et honorum fructu, et amicorum plena admiratione orbaretur) *nihil non*, i. e. *omnino omnia ei perierint*. Hanc sententiam etiam Ruhnkenius et Krausius assecuti sunt; sed quod ille dicit *ne* in hoc nexu valere *ut*, hic duas negationes Graecorum more pro una esse positas, id tale est, ut merito ineptum dicatur. Non peccavit Velleius, sed librarius, qui *ut* cum *ne* confudit, quod fieri potuisse nemo mirabitur, qui reputaverit *n* et *u* iisdem ductibus scribi, litteras autem *e*, *c*, et *t* tam similes esse inter se, ut interdum vix discerni possint; cf. Drakenborch. ad Liv. XXXIII, 12, 6. et Cort. ad Plin. Epp. III, 9, 8. Cludius coniecit *miratus est, nihil non — perisse;* — Bothius *miratus est, (nec nihil non optimo civi — competisset,) praeferens immatura;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 151. *ut nihil — periret*, vel *ne nihil omnino — periret*.

civi] Amerb. *civis*.

praereptus immature] Ed. pr. et Amerb. *praeferens inmatura*, quod sensu cassum Heinsius et Grunerus frustra explicare conati sunt. Egregia εὐστοχίᾳ Ed. Basil. Velleii manum assecutus est. Nam Silianus eo ipso, quod immaturo fato obiit, fortunae iniquitatem expertus est, Lamiae similis, sed contrario modo; nam ille splendidorum honorum materiem non habuit; hic habuit quidem, sed *immature praereptus* partis honoribus frui non potuit. Corruptela ex eo fluxit, quod scriba neglecta supra $\bar{p}$ lineola, quae fuit *prae* particulae compendium, *re* litteras cum *p* coniunxit; quo facto ex residuis litteris *ptus* non admodum difficile natum *ferens*, quod vitium traxit alterum, ut ex *immature* fieret *immatura*. Ad dictionem Ruhnkenius apte contulit Aurel. Vict. de

5 numque fastigium magnitudinis defectus est. Horum virorum mentioni si quis quaesisse me dicet locum, fatentem arguet; neque enim iustus sine mendacio candor apud bonos crimini est.

1 CXVII. Tantum quod ultimam imposuerat Pan-

Vir Illustr. 5. *Ancus Martius immatura morte praereptus non potuit praestare qualem promiserat regem.* Auson. Profess. 24. *Omnia, acerbo funere praereptus, Glabrio, destituis.* — Ursinus totum locum sic scribendum censuit: *praeferens immatura, et fructu amplissimae principis amicitiae, consummatione evectae in altissimum, paternumque fastigium imaginis;* — Heinsius, vulgata defensa, etiam coniecit *praeferens iam matura;* — Burmannus *praeferens iam maiora;* — Orellius *praeturam gerens immatura morte.*

magnitudinis] Ed. pr. et Amerb. *imaginis.* Sed quomodo *imago* possit *evehi in fastigium*, aut per se *splendorem atque decus* significare, nemo via et ratione probaverit. Quare non discedendum a verissima Ruhnkenii emendatione *magnitudinis*, supra ad II, 27, 5. proposita, quam ipse ad h. l. male sibi diffidens deseruit.

defectus est] Offensus horum verborum repetitione Burmannus coniecit *deceptus* vel *deiectus est;* — Cludius in textu scripsit *privatus est*, in notis suadet *destitutus est;* — Bothius *deceptus*, omisso *est.* V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

§. 5. *Horum*] Burer. et Amerb. *Honorum;* Ed. pr. *Quorum*, ex tacita Rhenani correctione. Sed verum Burerius vidit, *honorum* ortum esse ex *horum*, quam vocem scriba perperam pro compendio alterius vocabuli habuit. V. Prolegg. c. III. p. XCIX sqq. Heinsius maluit *honorae horum virorum mentioni;* — Burmannus *bonorum virorum.*

mentioni] Pontanus in Anall. I, 17. tuetur *mentione*, quod in deterioribus edd. fuit; — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 175. mavult *mentionis.*

CXVII, 1. *Tantum quod*] Ursinus, et nuper Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 152. coniecit *tantum non;* — Acidalius *tandem quoque.* — Vulgata scriptura, cuius interpunctionem emendavit Ed. Basil. (nam in Ed. pr. haec duo verba adhaerent praecedentibus), significat *vix*, vel *modo imposuerat;* cf. Bre-

nonico ac Delmatico bello Caesar manum, cum intra quinque consummati tanti operis dies funestae ex Germania epistulae caesi Vari trucidatarumque legionum trium todidemque alarum et sex cohortium, ***; velut in hoc saltem tantummodo indulgente nobis for-

mium ad Nep. Datam. c. VI, 5. Cic. Epp. ad Famm. VII, 23, 1. *Tantum quod ex Arpinati veneram, quum mihi a te litterae redditae sunt.* Epp. ad Attic. XV, 13, extr. *Haec quum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam.* Sueton. August. c. 63. et 98. Nero c. 6. Donat. ad Terent. Eun. II, 3, 51. Gifan. Conlectt. in Lucret. p. 224.

quum intra] Cludius scripsit *quum en intra.*

funestae e Germania] Heinsius coniecit *funestae ecce e Germania;* — Bothius *dies ecce nuntiae ex Germania.*

epistulae] Laurentius in Locis Vell. p. 114. coniecit *epistulae allatae.* V. not. seq.

cohortium ***; *velut*] Burmannus post *cohortium* censet excidisse *nuntiae,* vel suppleri posse *allatae,* vel scribi *cohortium venerunt. In hoc saltem;* — Vir doctus in Bibl. philol. I. p. 44. *cohortium redditae sunt;* — Kreyssigius Praef. p. LX. *cohortium attulere nuntium.* Quod quamquam aliquanto melius est ceterorum coniecturis, tamen non magis certum est. Nam multo plura excidisse, quam praedicatum vocis *epistulae* in oculos incurrit, quum etiam ea, quae proxime sequuntur, abrupta sint, et constructione aeque ac sensu manca. Quare cum Ruhnkenio defectum huius loci notandum, sed conatu verba auctoris restituendi abstinendum esse putamus, minus felices Huthio, qui nihil plane deesse ratus in Quaestt. critt. p. 25. Velleium sic scripsisse coniecit: *cum — funestae ex Germania epistolae caesi Vari — et sex cohortium relatae; hoc saltem tanto in malo indulgente nobis fortuna, ne a capto duce. Rei causa persona mora exigit.*

saltem tantummodo] Horum verborum coniunctionem multi non concoxerunt. Nam Schegkius coniecit *salutem tantummodo;* — Herelius p. 574. *salutari temperamento;* — Ieepius in Em. Vell. p. 13. *velut in hoc saltem tanto incommodo indulgente nobis fortuna necopinato ducem;* — Laurentius in Locis Vell. p. 112. *in hoc saltu tantummodo;* — Ortuinus apud Heinsium *tantummodo* ut glossam

tuna, ne occupato duce **** et causa et persona
2 moram exigit. Varus Quintilius illustri magis quam nobili ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus, et corpore et animo immobilior, otio magis castrorum quam bellicae assuetus militiae; pecuniae

saltem vocis delendam censet. Sed cur in vulgata offendamus non magis caussa est, quam in coniunctis germanicis particulis *wenigstens nur*, aut in latinis *deinde post*, de quibus v. supra ad II, 23, 3., *rursus denuo*, de quibus v. Handium de Particc. Lat. Vol. II. p. 279., et in multis aliis, quae collegit Boetticherus in Lex. Tacit. Proleg. p. XCIII.

*occupato duce **** et causa et persona*] Ed. pr. et Amerb. *occupato ducem et causa persona*, quae aperte ita sunt lacunosa, ut frustra quae exciderunt revocare studeas. Pro *ducem* Ed. Basil. recte scripsit *duce;* copulam ante *persona* Orellius sensu ita flagitante inseruit. — Delbenius apud Aldum Nep. coniecit *occupato duce. Sed causa personae moram exigit;* — Lipsius *occupato duce saeviret. Sed causa et persona m. exigit;* — Vossius *occupato duce in debellandis Pannoniis, victores Germani iis se coniungerent. Sed causa et persona moram exigit;* — Heinsius *occupato id duce sit ausa. Res et persona*, vel *oc. id duce sit ausa. Rei causa persona;* — Burmannus *occupato duce. Sed causa et persona;* — Laurentius in Locis Vell. p. 112. *velut in hoc saltu tantummodo nobis indulgente fortuna. A me, licet occupato, ducis et causa et persona;* — Moebius apud Cludium in Corrig. et Add. p. 251. *ne, occupato duce in bello cum Pannoniis, occiderit. Sed causa et persona* etc.; — Ieepius in Emendd. Vell. p. 13. *necopinato ducem. Sed caesi persona* etc. Boeclerus, de verbis restituendis non cogitari posse recte iudicans, totius loci mutilati sensum hunc esse dicit: „in tanta calamitate illud tamen pro beneficio fortunae agnoscendum, quod haec clades non acciderit occupato districtoque alibi duce Tiberio; futurum enim fuisse, ut hostis uteretur victoria, armaque latius proferret, nisi statim obviam itum foret. Operae pretium autem esse, ut et Vari ingenium, mores, consilia, et clades ipsa, summatim quidem, sed tamen cum quadam mora in hoc transcursu memorentur."

§. 2. *illustri magis, quam nobili*] Ruhnkenius verba sic

vero quam non contemptor, Syria, cui praefuerat, declaravit, quam pauper divitem ingressus dives pauperem reliquit. Is cum exercitui, qui erat in Ger- 3
mania, praecesset, concepit esse homines, qui nihil praeter vocem membraque haberent hominum, quique

transposuit *nobili magis, quam illustri,* motus eo, quod Gesnerus in Thesauro L. L. *nobilis* refert ad vetustatem familiae, *illustris* ad rerum excellenter gestarum gloriam. At recte Orellius monuit *illustrem* dici familiam, quatenus fuerit *patricia; nobilem* autem futuram fuisse, si multi Quintilii honores gessissent; quod secus fuit.

et corpore et animo] Ed. pr. et Amerb. *ut corpore et animo.* Vitiosum *ut* iam dudum correxerunt Bucretius apud Acidalium, Lipsius, aliique. Nihilominus acriter id tuentur Huthius in Quaest. critt. p. 9., Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 49. et Orellius ad h. l., non reputantes quam leve sit, hunc dicendi modum, et ratione destitutum (v. ad II, 129, 3.), neque ab ullo scriptore usurpatum (nam quae Schoepferus affert Ciceronis aliorumque exempla, omnia sunt alienissima), auctoritate unius eiusque corruptissimi codicis Velleiani vindicare, praesertim quum *et* saepe confundatur cum *ut* (cf. II, 25, 3. II, 125, 1. II, 129, 3.), contrarioque modo *ut* transeat in *et,* de quo v. ad II, 90, 1. — Acidalius maluit *ut corpore, ita animo.*

immobilior] Burmannus coniecit *imbecillior,* vel *ut c. ita et animo mollior;* — Grunerus *inutilior;* — Ruhnkenius suasit *imbellior,* quamquam vulgatam retinens. Et merito. Nihil enim ad socordiam et ignaviam Vari significandam accommodatius vocabulo *immobilis.* Bene Ruhnkenius comparavit Senec. Controv. I. p. 131. *Ego senectute immobilis et vincto simillimus.* Plin. H. N. VII, 12. *Velocitas cogitationum, animique celeritas et ingenii varietas multiformes notas imprimit, quum ceteris animalibus immobiles sint animi.* Lactant. de Ira. 4. *Quae igitur in deo potest esse beatitudo, si semper quietus et immobilis torpet.* cf. Pricae. ad Apulei. Metam. VI. p. 123.

§. 3. *concepit*] Herelius p. 575. scribi vult *concepit spem, homines;* — Krausius suspicatur a Velleii manu fuisse *concepit animo, Germanos esse* etc.; — Cludius *concepit, eos homines, qui — habent, quique* etc.; — Bothius *concepit in se, homines, qui — hominum, quamquam* etc. Quippe

gladiis domari non poterant, posse iure mulceri.
4 Quo proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentis dulcedine, iurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine trahebat aestiva.

1 CXVIII. At illi, quod nisi expertus vix credat, in summa feritate versutissimi, natumque mendacio genus, simulantes fictas litium series et nunc pro-

non assecuti sunt *concipere* praegnanti sensu esse positum, qua ratione vulgata significat: *Varus opinionem animo concepit*, i. e. *in animum induxit*, vel *putavit*, ut Forcellinus h. v. recte interpretatur, *Germanos* (quam vocem per synesin ex *Germania* esse eliciendam diximus ad I, 4, 2.) *esse homines —; et eos, qui gladiis domari non poterant* etc. — De indicativo in oratione obliqua v. ad II, 27, 2.

§. 4. *pro tribunali*] Lipsius, probante Heinsio, haec in unum coniugi voluit, quasi esset *ordo protribunalis*. Sed legitima formula est *agere pro tribunali*, i. e. omnia iuris dicundi vel exercendi munera exsequi; cf. Cic. Epp. ad Div. III, 8, 2. *Idque pro tribunali, quum aliquid ageretur, — intelligi potuisse.* Plin. Epp. II, 10. *Sedeo pro tribunali; subnoto libellos, conficio tabulas.* Sueton. Vitell. c. q. *Pro tribunali iura reddere.* Dictionis natura intelligitur ex ipso iuris dicundi loco, de quo v. Heineccii Antiqq. Rom. IV, 6, 7. p. 661. ed. Haubold. et Reinii Ius civ. Rom. p. 454.

ordine] Ruhnkenio Heinsioque suspecta est ista vox, quam perperam Cludius tuetur explicando *ordine eo, qualis Romae est.* Verum sensum perspexit Krausius interpretatus *solenni iudiciorum ritu;* nam ablativo isto accuratius definitur *agendo* verbum. De universa vi vocis *ordine* cf. annotat. nostram ad Sall. Catil. c. LI, 4. p. 237. — Laurentius in Locis Vell. p. 116. coniecit *socordia* vel *torpore,* perperam coniungens cum *trahebat.*

CXVIII, 1. *credat*] Ed. pr. et Amerb. *credebat;* correxit Lipsius. Vitium eo ortum, quod librarius plene scriptum vocabulum pro compendio habuit, de quo corruptelae genere v. Prolegg. c. III. p. XCIX sq. Heinsius maluit *credas.*

feritate] Bothius scripsit *asperitate,* quia *feritas* mox recurrit. V. Prolegom. p. LXVII sqq.

vocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias, quod ea Romana iustitia finiret, feritasque sua novitate incognitae disciplinae mitesceret, et solita armis decerni iure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quintilium, usque eo, ut se praetorem urbanum in foro ius dicere, non in mediis Germaniae finibus exercitui praeesse crederet. Tum iuvenis 2

provocantes] Ed. pr. *procaces;* Burer. *procataes;* Amerb. *provocantes* in contextu, sed deletum; in margine annotavit „*procaces* in exemplari." In veram lectionem, quam Amerbachius primo dedit, etiam Rhenanus in margine incidit, eoque facilius, quo minus dubium est, quin, *c* litterâ cum *t* confusâ, *procaces* nihil aliud sit, quam genuinae vocis compendium *prōcātes,* lineolis evanidis; v. Prolegg. c. III. p. XCIX.

iniuria] Lipsius maluit *iniuriis;* seductus falsa scriptura Ed. Basil.; v. annotat. seq.

quod ea] Ed. Basil. scripsit *quod eas.* Pronomen quum pariter ad voces *iniuria* et *litium series* referatur, neutrum pluralis recte se habet. Apte Krausius contulit supra II, 85, 5. *Citius vitam veniamque Caesar promisit, quam illis ut ea precarentur persuasum est.* Sall. Cat. c. X, 3. *Igitur primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere.*

novitate] Ruhnkenius, tautologia liberaturus Velleium, quam inesse dicit in coniunctis verbis *novitate incognitae,* coniecit *suavitate;* — Bothius *bonitate.* V. Prolegg. c. II. p. LVIII sq. Apte Schoepferus in Adnotatt. critt. p. 50. comparavit I, 11, 1. *Pseudophilippus a mendacio simulatae originis appellatus.* Flor. IV, 12, 34. *Improvidum et nihil tale metuentem improviso adorti.*

mitesceret] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani emendatione; Burer. et Amerb. *mutesceret.*

decerni] Ed. pr. et Amerb. *discerni.* Correxit Gronovius Obss. III, 13. p. 417. ed. Lips. cf. Liv. XXVIII, 21, 5. *Quidam quas disceptando controversias finire nequiverant — ferro decreverunt.* Drakenborch. ad VII, 9, 7. et annotat. nostram ad Sall. Cat. c. XXV, 3. p. 121.

genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis eius filius, ardorem animi voltu oculisque praeferens, assiduus militiae nostrae prioris comes, iure etiam civitatis Romanae ius equestris consequens gradus, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est, haud imprudenter speculatus neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret, et frequen-

§. 2. *ultra barbarum*] Lipsius scripsit *et ultra barb.*

civitatis Romanae ius] Ed. pr. *civitatis Romae ius;* Amerb. *civitatis Romae eius.* Levissima correctione Burerius, *Romae* in *Romanae* mutato, verum restituit; sensus est enim hic: *eo, quod iure civitatis Romanae* vel *civitate Romana donatus est, etiam id consecutus, ut ius equestris gradus,* i. e. *equitis Romani locum ac dignitatem obtineret.* De corruptelae genere v. Prolegg. c. III. p. XCIX. — Ed. Basil. coniecit *comes, et iam civitatis Romanae ius equestremque consecutus gradum;* — Heinsius *comes, cum iure etiam civitatis Romanae ius equestris consecutus;* — Orellius *civitatis Romanae decus.*

initium esse] Bothius inverso ordine scripsit *esse initium,* scilicet ne homoeoteleuta iuxta essent!

securitatem] Amerb. *securitates,* superscripto *securitatis.*

§. 3. *societatem*] Ed. pr. et Amerb. *societate.* Correxit Rhenanus.

recepit] Ed. pr. et Amerb. *praecepit.* Verum restituit Rhenanus, cuius certam emendationem *recepit* Ed. Basil. mutavit in *recipit,* temere probantibus Ruhnkenio, Krausio, Orellio, aliis, propter temporum aequalitatem. Qua non opus esse iam ostendimus ad Sall. Cat. c. XX, 1. p. 95. et ad Iug. c. XII, 4. p. 63. — Laurentius in Locis Vell. p. 116. coniecit *consiliorum recepit.*

et dicit] Heinsius maluit *et docet,* quod per se quidem bonum, sed non utique necessarium est.

§. 4. *Obstabant iam fata*] Ed. pr. et Amerb. *postulabat etiam fata.* Horum verborum depravationem maximam partem sustulit Lipsius coniiciendo *obstabant sed iam fata,* quam-

tissimum initium esse calamitatis securitatem. Primo 3
igitur paucos, mox pluris in societatem consili recepit; opprimi posse Romanos et dicit et persuadet; decretis facta iungit, tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum eius gentis fidelem clarique no- 4
minis, Segesten, indicatur. Obstabant iam fata consiliis, omnemque animi eius aciem praestrinxerant. Quippe ita se res habet, ut plerumque cui fortunam

quam certa emendationis ratio non satis elucet. Nimirum *sed*, quod falsum esse ipse locus arguit, non abiit in *etiam*, ut Lipsius opinatur, sed ista particula orta est ex ultimis praegressae vocis litteris nt, quae in tet corruptae cum tam vocabulo coaluerunt. Syllaba *la* fluxit ex errore librarii, qui super *obstabant* lineolam curvatam, compendii signum, animadvertisse sibi videretur, de quo v. Prolegg. c. III. p. C.; *ob* et *po* autem, corpore utriusque litterae rotundo, non adeo dissimili forma esse, ut non confundi potuerint, facile intelligitur. Ne autem *sed* desideres ad iungendam sententiam adversativam, tenendum est Velleium saepius abrupto dicendi genere uti; cf. ad II, 61, 4. et II, 110, 1. — Praeter coniecturam supra memoratam Lipsius etiam proposuit hanc: *indicatur, qui vinciri postulabat etiam;* — Ed. Basil. *sed praevalebant iam fata;* — Vossius *praevalebant at iam fata;* — Boeclerus *praevalebat sed iam fatum;* — Burmannus *reluctabantur iam fata;* — Cludius *sed praestabant iam fata;* — Bothius *praevalebat tamen fatum;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 152. *provolabant hic etiam fato*, vel *provolabant ei iam fata;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 176. aliquid excidisse putat.

praestrinxerant] Ed. pr. et Amerb. *praestruxerat.* Certa est Ed. Basil. correctio *praestrinxerant,* quum legitime et quasi ex formula dicatur *aciem praestringere;* cf. Cic. Philipp. XII, 2, 3. *Praestrinxerat aciem animi D. Bruti salus.* Id. in Vatin. c. 10, 25. *Domitii dignitas et splendor praestringebat oculos Vatinii.* de Senect. c. 12, 42. *Voluptas mentis — praestringit oculos.* v. Drakenborch. ad Liv. XL, 58, 4. et ad Sil. Ital. I, 358. Oudendorp. ad Lucan. I, 154. —

mutaturus deus consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, ut, quod accidit ei, etiam merito accidisse videatur, et casus in culpam transeat. Negat itaque se credere, speciemque in se benevolentiae ex merito aestimare profitetur. Nec diutius post primum indicem secundo relictus locus.

Vascosanus coniecit *perstrinxerant;* — Acidalius *praestinxerant;* — Boeclerus vulgatum tuetur.

cui fortunam mutaturus deus] Ed. pr. et Amerb. *qui fortunam mutaturus deus.* Pro *qui* Vossius optime scripsit *cui*, quod non est relativum, sed indefinitum, ut apud Cic. de Finn. III, 21, 71. *Alienum esse a sapiente iniuriam cui facere.* cf. Zumptii Gramm. Lat. c. 81, 16. §. 708. p. 580. Grysar. Art. lat. scrib. p. 90 sqq. Sensus autem valde simplex hic est: ut plerumque deus, *si cui* fortunam *mutaturus est,* consilia (sc. eius) corrumpat. Eandem sententiam Velleius iam protulit II, 57, 3. *Sed profecto ineluctabilis fatorum vis; cuiuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit,* ubi Ruhnkenius plura contulit. — Ed. Basil. coniecit *qui fortunam mutaturus est, consilia;* — Vascosanus *qui* delevit, probantibus Lipsio, Ruhnkenio, Krausio et Orellio; — Gruterus *plerumque fortunam mutaturis deus;* — Ed. Bipont. *cuius fortunam mutaturus est deus,* in quod etiam incidit Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 342. et Emendd. Vell. p. 22., probante Sauppio in Mus. Helvet. a. 1837. I, 2. p. 171.; — Laurentius in Locis Vell. p. 117. *cui fortunam mutaturus sit deus, eius consilia;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 176. *qui fortunam mutat, ut is deus consilia corrumpat.*

quod accidit ei, etiam merito] Ed. pr. *quod accidit, etiam merito;* Burer. et Amerb. *quod accidit et etiam merito.* Vitiosam *et* particulam mutavimus in *ei,* quod ad praecedens *cui* relatum non solum summa correctionis facilitate commendatur (v. Prolegg. c. III. p. XCI.), sed etiam sententiae egregie consulit, quae sine isto pronomine nimis vaga et ieiuna est. cf. Sall. Catil. c. LI, 26. *Illis merito accidet, quicquid acciderit.* — Burerius coniecit *quod accidit, id etiam merito;* — Heinsius *quod accidit, et merito;* — Burmannus *quod accidit, etiam ex merito.*

CXIX. Ordinem atrocissimae calamitatis, qua 1
nulla post Crassi in Parthis damnum in externis gentibus gravior Romanis fuit, iustis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere; nunc summa deflenda est. Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, 2
experientiaque bellorum inter Romanos milites prin-

culpam] Burer. et Amerb. *culpa.* Rhenanus in Ed. pr. tacite correxit.

speciemque] Ed. pr. et Amerb. *spemque*, quae scriptura commodo sensu prorsus destituitur, quum neque intelligatur quid sit *spem aestimare*, neque pateat qualis *spes benevolentiae* esse possit. Recte Burmannus vidit *spem* nihil aliud esse, quam compendium vocis *speciem*, quo modo saepe peccatum esse plurimis exemplis ostendit Drakenborch. ad Liv. III, 9, 13. cf. etiam Prolegg. c. III. p. XCIX; sed perperam idem verba sic interpretatur: Segestis *indicium* se *ut documentum* benevolentiae aestimare, quemadmodum par sit. Sensus potius hic est: profitetur se benevolentiam, *quam Arminius eiusque amici sibi praestare videantur*, talem putare, qualem ipse beneficiis suis meritus sit, i. e. pro merito suo in Germanos et Arminium non dubitare se, quin *benevolentia, quam illi sibi ostendant*, (nam hoc significat *species benevolentiae)* vera, neque simulata sit. — Rhenanus coniecit *spemque de Germanorum in se benevolentia.*

in se benevolentiae] Ed. pr. et Amerb. *in se benevolentia.* Genitivum restituit Ed. Basil. sed perperam omisit *in.*

ex merito] Burerius maluit *et merito.*

CXIX, 1. *Crassi*] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *Cassi.*

deflenda] Acidalius coniecit *dicenda*, vel *sequenda*, vel *deplenda;* — Burmannus *delibanda;* — Pontanus Anall. I, 17. *deferenda.* — Vulgatam optime explicat Krausius: *nunc res summatim explicanda est cum doloris sensu*, vel *cum fletu commemoranda*, coll. Tacit. Annall. III, 49. *Post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat.* Sueton. Calig. c. 20. *Hanc ut crudelissimam caedem et deflevit edicto.*

ceps marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunae circumventus, (cum ne pugnandi quidem aut egrediendi occasio iis, in quantum voluerant, data

§. 2. *marcore ducis*] Amerb. *Marco reducis.* v. Prolegg. c. III. p. CI.

aut egrediendi occasio iis] Ed. pr. *egregie, aut occasionis;* Burer. et Amerb. *egrediē aut occasionis,* quod Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 448. feliciter emendavit *aut* particula transposita, de quo v. Prolegg. c. III. p. CXIV sq. Nam quin verbis *egrediē occasionis* contineatur vera scriptura *egrediendi occasio iis,* in summa rei perspicuitate non potest dubitari, idque iam assecutus est Vossius, qui coniecit *egredien dive occasio iis,* sensu plane eodem, sed externa scripturae forma minus probabili. *Egredi* vocabulum est militare, quo significatur eos, qui aliquo impedimento clausi vel circumventi tenentur, in iter se dare, et vel erumpere, vel exire conari; cf. Tacit. Annall. I, 68, 1. *Haud minus inquies Germanus agebat, Arminio sinerent egredi, egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent, suadente.* Caes. B. G. V, 35, 1. *Quum cohors ex orbe excesserat, — hostes velocissime refugiebant. Rursus, quum in eum locum, unde erant egressi, reverti coeperant, — circumveniebantur.* Liv. XXVI, 44, 6. *Quod ubi egressus Scipio in tumulum animadvertit nudata defensoribus moenia esse.* XL, 22, 2. *Modicus primo labor in imis collibus fuit; quantum in altitudinem egrediebantur, magis magisque silvestria loca excipiebant.* XXII, 12, 2. *Dictator — Tibur venit; inde Praeneste, ac transversis limitibus in viam Latinam est egressus. Pugnando* igitur quum opponatur *egredi,* verborum sensus est: milites Romani, quum in rebus tam desperatis vel *pugnare* postularent, vel *egredi,* i. e. egressum tentare et perrumpere, neutrius rei potestatem ab imperito et vecorde duce acceperunt; quin nonnulli etiam, qui indignitate rei incensi et animo, antiquae virtutis memore, abrepti sponte hostem aggredi ausi erant, gravi poena castigati sunt. Hoc ipso autem constat *occasio non immunis,* i. e. qua quis citra periculum aut damnum suum uti non potest; simul clarum est universam sententiam, quae parenthesi continetur, ad vituperationem et ignominiam Vari pertinere. — Rhenanus coniecit *pugnandi quidem egregie, aut occasionis — data esset potestas immunis;* — Burerius *aegre dies aut*

esset immunis, castigatis etiam quibusdam gravi poena, quia Romanis et armis et animis usi fuissent,) inclusus silvis, paludibus, insidiis, ab eo hoste ad inter-

occasionis; — Ed. Basil. *egregie occasio, in quantum voluerant, data esset miseris;* — Heinsius *aut regrediendi occasionis, quantum voluerant, adesset ab inimicis;* vel *datum esset ab inimicis;* — Burmannus *cum ne repugnandi quidem congrediendive occasio, in q. vol., data esset cominus;* — Ruhnkenius *egrediē* (in quo substantivum latere censet) *aut occasio iis, in quantum voluerant, data esset impune;* — Ed. Bipont. *egrediendive occasio, nisi in quantum voluerant, data esset immunibus;* — Grunerus *aggrediendive occasio iis;* — Bothius *pugn. q. in gradu occasio* [*nisi in quantum voluerant*] *d. e. immunis;* — Rosenheynius in Lectt. Vell. Spec. p. 19. *p. q. egredientibus, aut occisionis in quantum voluerant, data esset impunitas;* — Kreysigius Praef. p. LXI. *egrediendive venia aut occasio iis,* probante Halmio in Annall. critt. Berol. a. 1837. Vol. I. No. 60. p. 479; — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. 1837. No. 69. p. 578. *egrediendive occasiones in quant. vol. datae essent militibus;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 152. *p. q. remedium aut occasio iis,* vel *p. q. ex regione aut occasionis — esset immunitas;* — Scheffer us in Misc. Obss. Vol. IX. p. 176. *p. q. legere diem, aut occasionis, in qu. vol., datum esset, immunis;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 13. *p. q. legere diem aut occasionem iis, in quantum vol., datum esset immunibus.*

in quantum voluerant] Gruterus haec verba pro spuriis habet; — Bothius eadem simul cum *nisi* particula, quam ipse ex coniectura in contextum intulit, tanquam interpolatoris additamentum uncinis inclusit; — Heinsius *in* delevit. Vulgata est sanissima; nam Velleius his verbis cavere voluit, ne quis *pugnandi occasionem* perperam intelligeret, quippe quae non in loci atque temporis opportunitate, sed *tantummodo in voluntate militum* inesset.

quia Romanis et armis et animis usi fuissent] Amerb. *quia a Romanis et armis et animis suis fuissent.* — Burerius, vim ironiae non assecutus, coniecit *qui a Romanis et arm. et animis visi fuissent.*

paludibus] Ed. pr. et Amerb. *paludis*, littera *b*, i. e. *bus*,

necionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem eius nunc
3 ira nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum quam ad pugnandum animi fuit; quippe paterni aviti-
4 que exempli successor se ipse transfixit. At e praefectis castrorum duobus quam clarum exemplum L. Eggius, tam turpe Ceionius prodidit, qui, cum longe maximam partem absumpsisset acies, auctor deditio-

cum *s* finali confusa, quae saepe magnitudine tantum differunt. Correxit Ed. Basil. — Bothius scripsit *paludum*.

ut vitam aut mortem nunc ira, nunc venia temperaret] Bothius, scilicet „veritus ut quisquam haec intellexerit," scripsit *ut mortem aut vitam eius nec ira, nec venia temperaret*, ac praeterea *iram* ac *veniam Germanorum* intelligit. — Sensus est: *Romani* ita semper Germanos trucidaverant, ut in iis vel caedendis vel servandis non fortunam belli, sed vel iram suam, vel veniam sequerentur; quippe irati, eos trucidabant; ad veniam dandam proclives, iis parcebant. Idem brevius dici poterat *ut vitam aut mortem eius arbitrio temperaret*. De vocabulorum *vitam aut mortem* et *ira nunc venia* chiasmo v. annotat. nostr. ad Sall. Cat. c. LXI, 9. p. 326.

§. 3. *avitique*] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *avique*. v. Prolegg. c. III. p. XCIX.

exempli successor] Amerb. *successor exempli*, quem inversum ordinem Orellius contra disertum Bureri testimonium, quo Ed. pr. scriptura confirmatur, perperam pro vero venditat.

§. 4. *At e praefectis*] Ita Ed. pr. et Amerb. a. sec. manu; idem *Atque praefectis* a. pr. m.

L. Eggius] Ed. Basil. scripsit *Egilius*. — *Eggiorum* mentio est in lapide apud Gruter. p. 49. n. s. et Reines. Class. I. n. 45. et in Comment. p. 90. Krausius.

Ceionius] Ed. pr. *C. Eionius;* Amerb. *Ceionius*, ut iam Ed. Basil. ex coniectura scripsit. Nam *Eionii* ignorantur; at *Ceionii* noti sunt e marmore, apud Reines. Cl. XI. n. 73, et e Spartiano Adrian. c. 23. et Ael. Var. c. 2. Krausius. Praenominis notam *C.* adiecit Heinsius probantibus Krausio et Kreyssigio Praef. p. LXI.; sed praenomine non ubique opus esse recte

nis supplicio quam proelio mori maluit. At Vala Numonius, legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum alis Rhenum petere ingressus est. Quod factum eius fortuna ulta est; non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semiustum hostis laceraverat feritas, caput eius abscisum latumque ad Maroboduum et ab eo missum ad

iudicat Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 208. v. supra ad II, 20, 1. II, 58, 1.

Vala Numonius] Ed. pr. et Amerb. *Valnumonius*. Verum nomen restituit Ursinus ex nummi inscriptione. Rhenanus coniecerat *Val. Numonius;* — Burerius *Valumnius*.

spoliatum equite peditem relinquens] Ed. pr. et Amerb. *spoliatum equitem, peditem relinquens*. Ingeniose haec correxit Ed. Basil., *equitem* mutans in *equite, aliis* in *alis;* nam dirum exemplum eo constitit, quod legatus cum *alis*, i. e. cum *equitatu*, aufugit, peditem deserens. De prolepsi, quae cernitur in eo, quod, quum pedes non nisi *desertione* alarum *facta* equite *spoliatus* sit, nihilominus istud participium, quo effectus notatur, cum verbis *peditem relinquens*, quae caussam rei factae indicant, coniungitur, v. Boeckhium ad Pind. Olymp. I, 68. p. 110. et Iacobum in Quaestt. epicis p. 140 sqq. qui totum hunc locum grammaticae latinae docte illustravit. Nostro loco simillimus est Virg. Aen. III, 508. *Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.* — Burerius coniecit *spoliatum equitem, peditem relinquens fugatum ab iis;* — Bardilius in Friedem. et Seebodii Misc. critt. I, 2. p. 385. *nudatum equite* etc.

fuga cum alis] Burer. et Amerb. *fugatum aliis;* Ed. pr. *fuga cum aliis*. Correxit Ed. Basil. v. not. praeced. — Heinsius coniecit *fuga Rhenum praecipiti ingressus*.

petere ingressus] Burerius coniecit *pectore ingressus;* — Gruterus *temere ingressus*.

non enim desertis superfuit, sed desertor occidit] Haec verba desunt in Amerb., fortasse Orellii potius, quam Amerbachii culpa.

§. 5. *hostis*] Ed. pr. *hostium*, ex tacita Rhenani correctione;

Caesarem gentilicii tamen tumuli sepultura honoratum est.

1 CXX. Reddatur verum L. Asprenati testimonium, qui legatus sub avunculo suo Varo militans nava virilique opera duarum legionum, quibus praeerat, exercitum immunem tanta calamitate servavit, matureque ad inferiora hiberna descendendo vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit. Sunt tamen, qui ut vivos ab eo vindica-

Burer. et Amerb. *hosti.* Quod Burerius coniecit *hostilis*, omnium plausum tulit. Propius tamen ad genuinam scripturam accedere nobis visum est *hostis*, propterea, quod saepius in cod. Murb. ita peccatum est, ut *s* finale excideret. V. supra ad II, 28, 2. et Prolegg. c. III. p. XCIII.

abscisum] Amerb. *abscissum*, ut Bothius edidit. V. ad II, 27, 3.

tamen] Ed. Basil. coniecit *tandem*, quod paene omnes receperunt, nexu et ratione sententiae non perspecto. *Tamen* enim non tam spectat ad notionem *sepulturae* universam, quam ad verbum *honoratum est*, ita ut extremus honor Varo habitus et res videatur contra exspectationem facta, et Augusti clementiam humanitatemque illuminet. Haec enim sententia Vellei animo obversata est: Varus, cuius abscisum caput — missum ad Caesarem, *quamquam tantae calamitatis auctor, tamen* gentilicii tumuli sepultura *honoratus est.* Similiter particula *tamen* ad enunciationem concessivam cogitatione supplendam spectavit supra II, 40, 5. ubi v. cf. annotat. nostr. ad Sall. Iug. c. LIV, 2. p. 296. et Ramshorn. Gramm. Lat. §. 205, 6. K. p. 690. ed. I.

CXX, 1. *Reddatur verum L. Asprenati testimonium*] In Ed. pr., Amerb. et edd. omnibus ante haec verba leguntur, quae in nostra infra §. 5. et 6 continentur, ubi v.

nava] Amerb. *gnava;* v. supra ad II, 105, 2.

vacillantium etiam] Heinsius coniecit *vacillantis metu*, vel *vacillantis iam*, quod pessime omnes fere edd. invasit, quum vulgata ne minimam quidem offensionem habeat, ut recte iudicavit Haasius ad Reisigii Gramm. Lat. §. 340. not. 522. p. 635. v. supra ad II, 91, 3.

tos, ita iugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia, hereditatemque excisi exercitus, in quantum voluerit, ab eo aditam. Luci etiam Caedici, 2
praefecti castrorum, eorumque qui una circumdati Alisone immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est, qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabilis, vis hostium faciebat inexsuperabilis, nec temerario consilio nec segni providentia usi speculatique opportunitatem ferro

cis Rhenum] Ed. pr. et Amerb. *cis Rheno.* Correxit Ed. Basil. Corruptela orta est ex *o* littera cum *ū*, i. e. *um*, confusa. cf. Prolegg. c. III. p. XC.

excisi] Amerb. *occisi.*

in quantum voluerit] Lipsius coniecit *in quantum valuerit;* — Gruterus haec tria verba pro glossemate habet. — Vulgatae sensus est: hereditatem ab eo aditam, ita quidem, ut per ipsum staret, i. e. ut ex ipsius arbitrio penderet, cuius bona vel adiret, vel non adiret.

ab eo] Herelius p. 575. has voces a glossatore illatas censet, non aliam ob caussam, quam quia modo praecesserunt. v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

§. 2. *Alisone*] Ed. pr. et Amerb. *a Lisone.* Correxit Rhenanus. cf. Tacit. Ann. II, 7. *Cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum — permunita.* Dio Cass. LIV, 33. p. 763. Cluver. Germ. antiq. III, 9. Mannert. Geogr. Graec. et Rom. Vol. III. p. 562.

providentia usi] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. *prov. uiti;* Amerb. *prudentia niti.* — Frustra Burerius coniecit *prov. adiuti;* — Heinsius *provid. iuti;* — Ed. Bipont. *prov. nisi;* — Bothius *prov. tuti;* — quorum nihil cum substantivis adiunctis potest conciliari. Ad Rhenani emendationem, quae per se certa est, stabiliendam Krausius bene comparavit II, 52, 2. *Pompeius, usus impetu suo, hostem secutus est.* II, 119, 2. *Quia Romanis — animis usi fuissent.*

speculatique] Bothius *que* delevit.

3 sibi ad suos peperere reditum. Ex quo apparet Varum, sane gravem et bonae voluntatis virum, magis imperatoris defectum consilio quam virtute destitutum militum se magnificentissimumque perdidisse exercitum.
4 Cum in captivos saeviretur a Germanis, praeclari fa-

§. 3. *destitutum*] Herelius p. 575. hanc vocem ab interpolatore profectam censet, non assecutus aliud esse *defici*, aliud *destitui*, neque sensu magis quam aequali enunciationem ratione *destitutum* sustentari.

§. 4. *adulescens vetustate*] Ed. pr. et Amerb. *ad vetustatem*, quod Wopkensius in Lectt. Tull. II, 3. p. 134. ed. Amst. tuetur, interpretatus *quod attinet ad vetustatem*, i. e. *vetustate*. Ingeniosius Handius de Particc. Lat. Vol. I. p. 105. *ad* comparationi inservire dicit, ita ut Caelius cum familiae vetustae celebritate comparetur, quemadmodum apud Plaut. Mil. glor. IV, 1, 21. *Ad tuam formam illa una dignâ est*, puella dicitur bene convenire cum pulcra iuvenis forma. Sed quum Plautini loci ea mens sit, ut pulcra femina dicatur digna esse quae *habeatur* a viro pulcro, vereor, ut ista ratio ad Velleii verba recte transferri possit, quibus Caelius narratur a virtute maiorum *non degenerasse*. Quare, licet non prorsus damnare audeam Handii sententiam, tamen verius puto quod Ruhnkenius coniecit *adulescens vetustate*, tum ob conciliatam cum loquendi usu structuram, tum ob medelae facilitatem; nam in vetere codice haud dubie scriptum fuit *aduluetustate*. Neque male observavit Krausius rem narratam maxime convenire *adolescentis vigori et ferociae*. — Ed. Basil. coniecit *Caelius vetustate*; — Lipsius *ac vetustate — dignissimi*; — Heinsius *alta vetustate*; — Burmannus *adeo vetustate*; — Grunerus *vir vetustate*; — Orellius *nobilitate ac vetustate*.

seriem, ita illas illisit capiti] Bothius scripsit *seriem ita illisit capiti*, quia *illas* ortum sit ex *illis*.

capiti suo] Herelius p. 575. *suo* delendum censet, cui assentitur Krausius; quam temere, patebit ex annotatis ad I, 10, 5.

effluvio] Ed. pr. *influvio*; Amerb. *in fluvio*. Verum restituit Lipsius, re ipsa duce; nam *influvio*, quod Vossio praeeunte defendit Krausius, tolerari nequit, nisi quis oppositarum notionum discrimen prorsus a veteribus ipsis sublatum esse dicat. cf. supra II, 7, 2. *Protinus illiso capite in postem lapideum*

cinoris auctor fuit Caldus Caelius, adulescens vetustate familiae suae dignissimus, qui complexus catenarum, quibus vinctus erat, seriem, ita illas illisit capiti suo, ut protinus pariter sanguinis cerebrique effluvio exspiraret. His auditis revolat ad patrem

ianuae carceris effusoque cerebro exspiravit. Plin. H. N. VII, 51. *Humoris e corpore effluvium.* Lucan. VIII, 690. Corruptela eo orta videtur, quod, quum in antiquo cod. *efluvio* scriptum esset, *e* cum *i*, i. e. *in*, confusum est, ut saepissime; cf. Prolegg. c. III. p. LXXXIII. — Ed. Basil. scripsit *profluvio.*

§. 5. *His auditis — in hiberna revertitur*] Quae hic usque ad finem capitis leguntur, in Ed. pr., Amerb. et omnibus edd. initium occupant, verbis praegressi capitis postremis *sepultura honoratum est* subiecta. In isto nexu ea non suum locum obtinere, sed infra post verba *effluvio exspiraret* collocanda esse, unde peccato librarii mota sunt, acutissime vidit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 448. Nam quum Velleius in narranda clade Variana ita versetur, ut, summâ rei breviter memoratâ, insignia quaedam exempla tum ignaviae et perfidiae, ut Ceionii ac Numonii, tum fortitudinis et constantiae, ut Asprenatis ac Caedicii, adiiciat, eoque miserandae cladis descriptionem illustret, prorsus absonum est et supra modum absurdum, huius narrationis tenorem interrumpi *interiecta Tiberii mentione,* labefactas Romanas res confirmantis. Id magis etiam apparet, si singula spectaveris. Nam ut verba *his auditis revolat ad patrem,* nullo modo cohaerent cum praecedentibus, ubi de *Vari corpore ab hostibus illuso, et de condito eius capite* agitur, ita non potest intelligi, quomodo a memorato *Tiberii reditu in hiberna* transiri potuerit ad *verum Asprenati testimonium reddendum.* Non minus aliena sunt inter se, quae extremo capite 120 et initio capitis 121 leguntur. Nam quum auctor a *L. Asprenatis* laude transgressus esset ad *L. Caedicium,* et postremo totam de clade Variana narrationem *Caldi Caelii strenuo facto* finiret, quomodo, si sana mente fuit, pergere potuit *eadem et virtus et fortuna subsequenti tempore ingressi Germaniam imperatoris Tiberii fuit?* Quae verba quum aperte ostendant in praecedentibus quoque de Tiberio dictum esse debere, omnia recte atque ordine procedunt, si alienissimam ineuntis capitis partem huc transtuleris. Quibus inte amotis non

Caesar; perpetuus patronus Romani imperi assuetam sibi causam suscipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, praesidia munit, et se magnitudine sua, non fiducia hostium metiens, qui
6 Cimbricam Teutonicamque militiam Italiae minabantur,

solum artissime cohaerent, quae in vulgatis edd. extremo c. 119, et c. 120, 3. leguntur, sed etiam id efficitur, ut absoluta narratione de Ceionio, Vala Numonio, Asprenate, L. Caedicio, et Caldo Caelio, oratio commodissime transeat ad *Tiberium, auxilium afferentem in tam afflictis rebus*, quas Velleius complectitur verbis *his auditis* etc. Denique etiam capitis 121 initium, in vulgata prorsus abruptum et obscurum, verbis, quae librarius disiecerat, in locum suum repositis, planissimum fit, et quantum lucis ab iis accipit, tantum ipsis affundit.

assuetam] Bothius scripsit *et assuetam.*

ad Germaniam] Bothius *ad* delevit; — Cludius scripsit *in Germaniam.* De *ad* particulae usu v. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 81.

munit, et se] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. *et* deest; neque habent edd. ceterae.

fiducia hostium metiens] Ita Ed. pr. et Amerb. Ad haec verba quum Burerius hoc annotaverit: „Sic legendum videtur, quamquam ex vet. cod. nihil certi coniici queat: *praesidia munit, et se magnitudine sua, non fiducia metiens;*“ ex eo Ruhnkenius coniecit *fiducia ducis metiens.* Sed Burerius minime testatur *hostium* in cod. Murb. non exstare, quippe qui vel de coniectura id vocabulum expulerit, vel potius brevitatis caussa omiserit, quia unice propter omissam in Ed. pr. copulam illam annotationem scripsit. Scriptura Ed. pr., quam Amerb. confirmat, sanissima est optimique sensus; nihilominus Orellius coniecit *fiducia ducis hostium metiens.* Veram huius loci rationem, quod quidem ad *copulam* et ad vocem *hostium* attinet, perspexit etiam Laurentius in Locis Vell. p. 121.; sed sine ulla caussa idem verbis transpositis scribi vult *fiducia metiens hostium.*

minabantur] Ita Ed. pr. ex tacita et verissima Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *minabatur*, lineola, qua *n* littera significatur, in cod. Murb. vel oblitterata, vel neglecta. v. Prolegg. c. III. p. XCIX.

ultro Rhenum cum exercitu transgreditur. Arma infert, quae arcuisse pater et patria contenti erant; penetrat interius, aperit limites, vastat agros, urit domos, fundit obvios, maximaque cum gloria, incolumi omnium, quos transduxerat, numero, in hiberna revertitur.

ultro Rhenum] Ita Amerb., quemadmodum iam Freinshemius in Indic. Flori v. *ultro* coniecit; Ed. pr. *ultra*. De vi et usu vocis *ultro* v. Doederlini Synonym. Lat. Vol. III. p. 102. et 110. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 475., et annotat. nostram ad Sall. Iug. c. XV, 1. p. 93.

§. 6. *Arma infert, quae arcuisse*] Ed. pr. et Amerb. *arma interfecti, quae arguisse*, quam corruptissimam scripturam pari acumine atque felicitate correxit Lipsius. Vitiosae voci *interfecti* primam originem dedit *in* cum *inter* confusum, quae particulae haud raro permutantur a librariis, v. Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 57, 6. et Hand. de Particc. Lat. Vol. III. p. 356. Quo errore semel commisso sponte natum est *interfecti*. Non minus certa est *arguisse* verbi in *arcuisse* mutatio, non solum litterarum ratione, (de qua re v. Drakenborch. ad Liv. VI, 25, 6.) sed etiam sensu longe aptissimo. Simpliciter enim sibi opponuntur verba *arma inferre* et *arcere* unde haec prodit sententia: *quum Augustus et respublica contenti essent, si arma hostium arcerentur, Tiberius non solum arcuit, sed ipse arma iis intulit.* — Ed. Basil. coniecit *Arminio territo, quem arguisse;* — Vossius *arma infert hosti, quem arcuisse;* — Heinsius *arma infert ei, quem arcuisse;* — Burmannus *arma infert Arminio, quae arcuisse,* — vel *arma inferre certus, quae arcuisse;* — Ruhnkenius *arma infert genti, quam arcuisse;* — Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 343. *arma infert ei genti quam arcuisse*; — Bothius *arma infert isti, quem arcuisse;* — Laurentius in Locis Vell. p. 122. *armis interfecti, quos arcuisse;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 14. *arma inde refecti, quae arguisse.*

pater et patria] Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 448. coniecit *patres patriâ*. V. not. praeced.

obvios] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *obulos*.

1 CXXI. Eadem virtus et fortuna subsequenti tempore ingressi Germaniam imperatoris Tiberi fuit, quae initio fuerat. Qui concussis hostium viribus classicis peditumque expeditionibus, cum res Galliarum maximae molis accensasque plebis Viennensium

CXXI, 1. *Eadem virtus Tiberi fuit*] Bothius haec sic corrupit: *eadem et fortuna et virtus, impressa animo imperatoris Tiberii, subsequenti tempore fuit.*

ingressi Germaniam] Ed. pr. *ingressa animum;* Burer. et Amerb. *ingressa animam.* Palmari coniectura hoc vulnus sanavit Bardilius in Friedemanni et Seebodii Misc. crit. I, 2. p. 386., cuius praeclarae emendationis veritas nunc magis etiam elucet, ubi praecedentia verba, transpositione olim turbata, in suum locum reposita sunt. Nam in promptu est verbis *subsequenti tempore ingressi Germaniam* respici ad proxime praegressa *in hiberna revertitur.* — *Animam* vox non orta est syllabâ *ger* litteris *gre* praecedentis vocabuli absorptâ, ut Orellius censet, sed ex scribendi compendio gm̃, cauda *g* litterae simul cum unco ('), syllabae *er* signo, abolitâ. Censor in Ephemm. Litt. Gotting. a 1779. Addit. p. 121. verba Ed. pr. *ingressa animum* pro glossemate habet, cui assentiuntur Krausius, et Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 448; — Huthius in Quaestt. critt. p. 17. mavult *ingressa in Germania;* — Bothius *impressa animo;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 15. *inque re sane immani*; — Ruhnkenius lectionem Ed. pr. tuetur, coll. Tacit. Agric. c. 5.

concussis] Ita Ed. pr. et Amerb. a. sec. manu; idem *conussis* a. pr. m. Ruhnkenius, quia *concutere* pro re nimis lene sit, coniecit *contusis,* quod Krausius et Orellius perperam amplexi sunt; cf. II, 78, 1. *Transmarinas provincias Labienus — concusserat.* Nep. Epamin. c. 6, 4. *Non minus illa oratione opes eorum concussit, quam Leuctrica pugna.* Cic. Philipp. II, 42, 109. *Leges Caesaris, ut rempublicam concutere posset, evertit.* Liv. XXXI, 7, 10. *Florentem Italiam aggressus Pyrrhus tamen concussit.* cf. Drakenborch. ad XXXIII, 19, 1.

accensasque plebis] Ita Ed. pr.; Burer. *accensaque plebis;* Amerb. *accensaque plebe.* Rhenanum recte *accensasque* edidisse dubitari nequit; nam *accensae dissensiones* sunt *acer-*

dissensiones coërcitione magis quam poena mollisset, et senatus populusque Romanus, postulante patre eius, ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus esset, (ete- 2
nim absurdum erat non esse sub illo, quae ab illo

rimae, ut iam vidit Krausius, qui contulit Liv. I, 57, 7. *Inde certamine accenso Collatinus negat verbis opus esse.* VI, 3, 8. *Proelium accensum ab desperatione hostium fuisset.* Sall. Fr. Historr. II, 43. Gerl. (ed. Cort. p. 961.). Plura de hoc usu diximus ad Sall. Cat. c. XXV, 3. p. 122. — Vossius coniecit *accensaeque plebis.*

coercitione] Ed. pr. et Amerb. *coertione.* Correxit Ed. Basil. cf. II, 47, 3. et Prolegg. c. III. p. CI.

mollisset, et senatus] Ed. pr. et Amerb. *mollisset, senatus.* Copulam, praegressa *et* syllaba absorptam, restituit Rhenanus, qui universum locum feliciter emendavit, excepto, quod in structura instituenda erravit; quippe parenthesis signo verbis *postulante patre eius* addito, *ut* pendere putavit ex verbis *decreto complexus est.* Sed particulam finalem aptam esse ex *postulante* intelligitur ex verbis *quam erat ipsi*, quod pronomen ita refertur ad vocem *patre*, ut non possit a diversi subiecti cogitatione proficisci; tum ad *decreto complexus esset*, quod nihil aliud est, quam *decrevisset* (cf. II, 62, 4. *quae omnia senatus decretis comprensa sunt)* supple *id.* — Burerius coniecit *mollisset. Senatus populusque R. postulante patre eius, ut aequum ei ius in omn. prov. exerc. esset, quas erat ipse decreto complexus. Esset enim absurdum, eas non esse sub illo;* — Vascosanus *mollisset, senatum populumque Romanum postulante patre eius ut aequum ei ius in omn. prov. exerc. esset, quas erat ipse decreto complexus, esse etenim absurdum, non esse;* — Laurentius in Locis Vell. p. 123. *mollisset, senatum populumque Rom. postulante patre eius, ut aequum ei ius in omnibus provinciis exerc. esset, quam quod ipse decreto complexus esset; etenim* etc.

aequum ei ius] Ed. pr. et Amerb. *equum eius.* Correxit Rhenanus.

quam erat ipsi] Ed. pr. et Amerb. *quam erat ipse.* Correxit Rhenanus — Aldus Nepos haec tria verba tanquam

vindicabantur, et qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem,) in urbem reversus iampridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum. Cuius magnificentiam quis miretur in Caesare? 3 Fortunae vero quis non miretur indulgentiam? quippe omnis eminentissimos hostium duces non occisos fama narravit, sed vinctos triumphus ostendit, quem mihi fratrique meo inter praecipuos praecipuisque donis adornatos viros comitari contigit.

1 CXXII. Quis non inter reliqua, quibus singularis moderatio Ti. Caesaris elucet atque eminet, hoc

glossema eiicienda censuit, astipulantibus Ruhnkenio et Krausio. — Pro *quam* Munckerus apud Heinsium coniecit *quantum*; — Orellius *atque*, offensi eo, quod voces *aequum* — *quam* sibi respondent. Sed quum saepisse *aeque* — *quam* particulae componantur (v. Handii Tursell. Vol. I. p. 191.) quod in adverbio fert usus, ad adiectivum quoque attinet. cf. etiam quae supra ad II, 55, 2. de verbis *dissimilis* — *quam* diximus.

decreto] Bothius scripsit *id decreto*.

§. 2. *ad vindicandum*] Quia praecedit *vindicabantur*, ne idem verbum recurreret Herelius p. 576. coniecit *ad usurpandum*, vel *ad recipiendum*, vel *ad adipiscendum*, vel *ad consequendum*; — Cludius *ad participandum*, vel *ad fruendum*; — Bothius *ad indicandum*; — Orellius *ad mandandum*. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sq. Vulgatam recte defendit etiam Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 42. p. 329.

non occisos] Vossius delendum censuit *non*; — Acidalius coniecit *duces occisos vana fama narravit, sed vivos vinctos ostendit*, neuter assecutus oppositarum sententiarum vim et rationem; v. Prolegg. c. II. p. XLIX sqq.

§. 3. *quem mihi*] Ed. pr. et Amerb. *quem militi*. Correxit Rhenanus in Vita Vellei. et Burerius ad h. l.

CXXII, 1. *Ti. Caesaris*] Amerb. *T. Caesaris*.

quoque miretur, quod, cum sine ulla dubitatione septem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? Quis enim dubitare potest, quin ex Armenia recepta et ex rege praeposito, cuius capiti insigne regium sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis ovans triumphare debuerit? et Vindelicorum Rhaetorumque victor curru urbem ingredi? fractis deinde 2 post adoptionem continua trienni militia Germaniae viribus idem illi honor et deferendus et recipiendus fuerit? et post cladem sub Varo acceptam, ocius prosperrimo rerum eventu eadem excisa Germania, triumphus summi ducis adornari debuerit? Sed in hoc

cum — meruerit] Cludius scripsit *cum — meruit*, sine ratione, nam *quum* pro *quamvis* positum constanter coniunctivum regit; v. Zumpt. Gramm. Lat. c. 79, 11. §. 577. p. 491. ed. VIII. et annotat. nostram ad Sall. Cat. XXXVI, 4. p. 167. cf. infra II, 126, 5.

et ex rege praeposito] Burer. et Amerb. *et ex rege praepositi;* Ed. pr. *et ex rege ei praeposito*, in qua Rhenani correctione recte se habet *praeposito*, (v. Prolegg. c. III. p. LXXXIX.) *ei* minime est necessarium; cf. supra II, 57, 1. II, 97, 4. et v. ad Sall Iug. c. I, 3. p. 4. — Ed. Basil. coniecit *et rege praeposito;* — Heinsius *et rege praeposito ei;* — Bothius *et ex rege*, omissa voce *praeposito* ut glossemate.

§. 2. *ocius*] Ita Ed. pr. ex tacita, sed verissima Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *totius*. Celeritatis notio, quae in *ocius* inest, (cf. Caes. B. G. V, 44, 11. Ter. Heaut. IV, 7, 4.,) quantum valeat ad Tiberii meritum illustrandum laudemque augendam, demonstratione non eget. — Heinsius coniecit *totius prosperrimo rei cum eventu;* — Perizonius apud Heinsium *totius prosperrimo rerum summae eventu*, vel *totiens prosp. rer. eventu*, quod Orellius recepit; — Cellarius *eius prosperrimo rei cum eventu;* — Burmannus *voto ocius, prosp. rerum eventu.*

triumphus summi ducis adornari] Burer. et Amerb. *triumphum s. d. adornari;* Ed. pr. *triumphum s. d. ador-*

viro nescias, utrum magis mireris, quod laborum periculorumque semper excessit modum, an quod honorum temperavit.

1 CXXIII. Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus. Quippe Caesar Augustus cum Germanicum nepotem suum reliqua belli patraturum misisset in Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum ad firmanda pace, quae bello subegerat, prosequens eum simulque interfuturus athle-

nare, quae Rhenani correctio ut litteris est facillima, ita a recta dicendi ratione multum abhorret. Devicta enim terra *triumphum adornare* non potest, ne *ornare* quidem, quippe quae *materiem* triumphi praebeat, sed non ornatum, quem addunt capti duces, urbium imagines, cetera spolia. Praeterea universa loci conformatio impedita est, concinnitate structurae sublata. Sed omnia expediuntur felici Heinsii coniectura *triumphum* in *triumphus* mutantis, quae medela non solum est lenissima *s* et *m* litteris finalibus saepe confusis (v. Prolegg. c. III. p. XCV.,) sed etiam structurae pariter atque sensui consulit, caussâ, cur Tiberius germanicum triumphum meruerit, interiectis verbis indicatâ, ad quam sententiam iuvandam commate post *Germania* interpunximus. *Triumphus adornatur* i. e. *paratur et instituitur*, quo verbo non tam ad eum respicitur, qui *agit* triumphum, quam ad eos, qui *decernunt et concelebrant*.

nescias] Amerb. *nescis;* cf. II, 125, 5.

CXXIII, 1. *ad firmanda*] Ed. pr. et Amerb. *ad formanda;* quod quamquam quodammodo ferri posse videatur, si cum Acidalio *formare* interpreteris *ordinare*, tamen res ipsa obstat. Nam Illyricum, dudum in provinciae formam redactum, minime erat *formandum;* sed bello et seditione concussum et quasi laceratum rursus ad sedatum statum erat reducendum ac *pace firmandum*, quo sensu de ipsis Romanorum rebus Velleius dixit supra II, 90, 1. *Sepultis bellis civilibus, coalescentibusque reipublicae membris.* cf. I, 9, 5. *Cum aliter fimare urbem novam — cum imbelli et pastorali manu vix potuerit.* Tacit. Ann. XII, 32, 2. *Ortae apud Brigantas discordiae retraxere ducem, destinationis certum, ne nova moliretur, nisi*

tarum certamini ludicro, quod eius honori sacratum a Neapolitanis est, processit in Campaniam. Quam- 2
quam iam motus imbecillitatis inclinataeque in deterius principia valetudinis senserat, tamen obnitente vi animi prosecutus filium digressusque ab eo Beneventi ipse Nolam petiit, et ingravescente in dies valetudine, cum sciret, quis volenti omnia post se salva remanere accersendus foret, festinanter revocavit filium. Ille ad patrem patriae exspectato revolavit maturius.

prioribus firmatis. De frequenti *i* et *o* litterarum confusione v. Prolegg. c. III. p. XC.; de permutatis verbis *firmare* et *formare* cf. Drakenborch. ad Liv. IV, 7, 3. VIII, 35, 9.

eum, simulque] Amerb. *eumque simul.* Orellius, in hoc Amerbachii lapsu maiorem fidem videns, quam in Burerii cum Rhenano consensu, coniecit *eum, atque simul.*

certamini ludicro] Ed. pr. et Amerb. *certaminis ludicro.* Correxit Oudendorpius ad Sueton. Aug. c. 98., ita postulante loquendi usu; cf. I, 8, 1. *Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen — Olympiorum initium habuit.* Tacit. Hist. III, 83, 1. Seneca Agamemn. v. 935.

§. 2. *inclinataeque*] Cludius mavult *inclinataque.*

petiit, et] Herelius p. 576. coniecit *petiit, at,* quod amplexi sunt Cludius, Orellius et Bothius. Sed quamvis concedas adversativam particulam esse aptiorem, tamen, quum Velleius saepissime varias narrationis partes leviter copula nectat, vulgata ferri potest.

post se salva] Amerb. *post salva.*

accersendus] Ruhnkenius scripsit *arcessendus.* V. quae de utraque verbi forma diximus ad Sall. Cat. c. XL, 6. p. 190.

patrem patriae] Acidalius *patriae,* tanquam illatum a librario, expellendum censuit; Schefferus in Miscell. Obss. Vol. IX. p. 177. coniecit *patrem patris.* Sed Velleius Augustum patris patriae nomine, quod re vera illi senatus consensu inditum fuisse Suetonius tradit Aug. c. 58., propterea hic ornat, quia optime congruit cum verbis praecedentibus *cum sciret, quis volenti omnia post se salva remanere, accersendus foret.*

3 Tum securum se Augustus praedicans circumfususque amplexibus Tiberi sui, commendans illi sua atque ipsius opera, nec quicquam iam de fine, si fata poscerent, recusans, subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus, mox, cum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia Pompeio Apuleioque consulibus septuagesimo sexto anno animam coelestem coelo reddidit.

exspectato revolavit] Amerb. *exspectatore volavit.*

§. 3. *spiritus*] Hanc vocem Krausius spuriam iudicavit, quia pro nominativo habuit; — Cludius, sensu potius quam constructione offensus, delevit, quia monachus *spiritum sanctum* Velleio inferre voluerit, a qua sententia ne Haasius quidem abfuit in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 56. p. 448. Recte vero Orellius iudicat ista voce tenerrimum caritatis affectum significari. Prima huius usus initia habet iam Cicero Philipp. XII, 8, 21. *Populo Romano vilis esse spiritus meus non debet.* Similiter dixerunt hominem dilectum *vitam*, vel *animam;* cf. Ter. Adelph. III, 2, 32. *Aeschinum, nostrarum vitam omnium.* Cic. Epp. ad Famm. XIV, 14, 4. *Vos, meae carissimae animae, quam saepissime ad me scribite.* Sed plane ut Velleius M. Aurelius Imper. ad Fronton. p. 21. ed. Rom. *Vale, spiritus meus.*

Apuleioque consulibus] Ed. pr. et Burer. *Apuleioque cos.;* Amerb. *Apuleioque COSS.*, ex coniectura, ut etiam Burerius vidit scribendum esse. — Pro *Apuleio* Kreyssigius Praef. LXI. maluit *Appuleio*, quod sane usitatius est, sed non unice verum; v. Schneideri Gramm. Lat. I, 2. p. 426.

septuagesimo sexto] Amerb. *septuagesimo et sexto*, quod Kreyssigius Praef. p. LXI. non debebat certius iudicare altero, quod Burerii tacito testimonio confirmatur.

coelo] Amerb. *deo.*

CXXIV, 1. *orbis metus*] Amerb. *urbis metus*, quod quum iam Acidalius coniecisset, nuper perperam probavit Orellius; nam *urbis* nihil aliud foret, quam *populi*, quod praecedit. At Velleius gradationem rhetoricam quaesivit verbis *senatus, populi, orbis.* Praeterea etiam sequentia *cuius orbis ruinam*

CXXIV. Quid tunc homines timuerint, quae 1
senatus trepidatio, quae populi confusio, quis orbis metus, in quam arcto salutis exitique fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat, neque cui vacat potest. Id solum voce publica dixisse satis habeo: cuius orbis ruinam timueramus, eum ne commotum quidem sensimus, tantaque unius viri maiestas fuit, ut nec bonis neque contra malos

timueramus documento sunt, *orbis* vocem, non *urbis* praecessisse.

dixisse satis habeo] Ed. pr. et Amerb. *dixisse habeo.* Excidisse *satis*, quod compendio scriptum hausit praecedens syllaba, acute vidit Ruhnkenius; nam vulgata duabus de caussis ferri non potest. Primum formula *habeo dicere*, i. e. *possum aliquem*, vel *aliquid dicere*, sive *est, quod dicam* (v. Cic. p. Rosc. Am. c. 35, 100. Gronov. ad Senec. Controv. I. p. 89.,) ita comparata est, ut nullo modo infinitivus perfecti in locum praesentis substitui possit; v. quae de hoc usu diximus ad Sall. Iug. c. XXXI, 27. p. 194. Tum ipsum *dicere habeo* a sententia huius loci alienissimum est, ac praecedentibus prorsus repugnat; nam ita Velleius hoc declararet, se praeter id, quod dicturus esset, *nihil praeterea dicere posse.* Sed quum profiteatur, *plurima quidem se dicere posse, sed orationi modum facere*, luce clarius est scripsisse eum *id solum dixisse satis habeo.* cf. supra II, 103, 4. *Laetitiam illius dici, concursumque civitatis — vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere. Contenti simus id unum dixisse, quanti ille omnibus fuerit.* Dictione *satis habere* etiam Sallustius utitur Iug. c. XXXI, 20. — Orellio auctore Vir doctus in margine Aldinae Bernensis coniecit *dixisse aveo.*

cuius orbis] Burerius inconsulto maluit *cuius urbis.*

ut nec bonis, neque contra malos opus armis foret.] Amerb. *ut ne bonis, n. c. m. o. armis forent.* — Cludius coniecit *ut neque bonis contra malos, neque civibus contra hostes armis opus foret;* — Orellius *ut nec bonis contra malos opus armis foret;* — Baiterus apud Orellium

2 opus armis foret. Una tamen veluti luctatio civitatis fuit pugnantis cum Caesare, senatus populique Romani, ut stationi paternae succederet, illius, ut potius aequalem civem quam eminentem liceret agere principem. Tandem magis ratione quam honore victus est, cum quicquid tuendum non suscepisset, perituram videret; solique huic contigit paene diutius recusare principatum, quam, ut occuparent eum, alii
3 armis pugnaverant. Post redditum coelo patrem, et corpus eius humanis honoribus, numen divinis hono-

ut ne bonis quidem contra malos etc.; — Bothius *ut nec foris, neque contra aemulos* etc.; — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 152. *ut nec bonis contra malos, neque opus armis foret.* Abstinuissent viri docti his coniecturis, si Velleiani moris argutas oppositasque sententias quaerendi fuissent memores, de quo v. Prolegg. c. II. p. LIII. *Bonis* vi dativi qui dicitur commodi significat *pro bonis;* quare sensus est: ut neque *ad bonos tuendos*, neque *ad malos coercendos vel opprimendos* opus armis foret.

§. 2. *civitatis*] Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 177, aut *civitatis* delendum censet, aut scribendum *luct. civitatis fuit, et pugnantis cum Caesare senatus;* — Ruhnkenius pro *civitatis* coniecit *civilis*, sublata simul interpunctione post *Caesare*, quam coniecturam Krausius, Cludius et Orellius secuti sunt. Sed quum pronomen *illius* opponatur verbis *senatus populique Rom.*, inde patet haec non coniuncta esse posse cum *pugnantis* participio, ut Ruhnkenius voluit. Loci sanissimi ratio haec est, ut verbis *luctatio civitatis fuit pugnantis* sequentia tanquam per epexegesin adiiciantur, quae brevitatis caussa *appositionis* formam habet. Nam ex vulgari modo, novo verbo in utraque parte posito, sic dicendum erat: una tamen velut luctatio civitatis fuit pugnantis cum Caesare, *senatu populoque Rom. postulante* ut stationi paternae succederet, *illo contendente*, ut potius aequalem civem — liceret agere.

magis ratione] Ita Burer. et Amerb.; in Ed. pr. est *ratione magis*, Rhenani vel typothetae errore.

ratum, primum principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam divus Augustus reliquerat. Quo tempore mihi fratrique 4
meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotalibus viris destinari praetoribus contigit, consecutis, ut neque post nos quemquam divus Augustus, neque ante nos Caesar commendaret Tiberius.

CXXV. Tulit protinus et voti et consilii sui 1
pretium respublica, neque diu latuit aut quid non impetrando passuri fuissemus, aut quid impetrando pro-

§. 3. *numen*] Ed. pr. et Amerb. *nomen*, pro quo Krausius verissime reposuit *numen*. Prorsus inepte enim *corpori* opponitur *nomen;* at *numen* est *animus immortalis in coelum regressus ac deus factus*. Vocabula *nomen* et *numen* confusa vidimus etiam supra II, 25, 4. cf. Drakenborch. ad Liv. VII, 30, 20. et ad Sil. Ital. XVI, 654.

§. 4. *candidatis*] Ed. pr. et Amerb. *candidatos*. Correxit Ed. Basil.

sacerdotalibus] Ed. pr. et Amerb. *sacerdotibus*, pro quo non dubitavimus Schefferi coniecturam in Misc. Obss. Vol. IX. p. 177. propositam recipere. Nam quis Latinorum dixit unquam *miles vir, consul vir, praetor vir, sacerdos vir*, et similia? quae dicendi ratio non nisi eam vim habere posset, ut indicaretur milites, consules, ceteros, non *mulieres* esse, sed *viros*. Legitime autem ipsum *vir* nomen definitur adiectivo, recteque dicitur *vir militaris, vir consularis, vir praetorius, vir sacerdotalis*, quae ratio h. l. eo magis est necessaria, quod adiectivum praecedit, quocum substantivum per *ac* copulam sociari nequit. Corruptelae fons fuit neglectum scribendi compendium; v. Prolegg. c. III. p. XCIX.

consecutis] Amerb. *consecutis que*, unde Orellius fecit *consecutis quoque*, licet Burerius sileat. In promptu est somniasse Amerbachium, quippe qui oculis ad proximum *neque* properaret.

post nos] Amerb. *post annos*.

CXXV, 1. *et voti et consili*] Ed. pr. et Amerb. *ut voti et consilii*, quod probavit Orellius et Huthius in Quaestt. critt.

fecissemus. Quippe exercitus, qui in Germania militabat praesentisque Germanici imperio regebatur, simulque legiones, quae in Illyrico erant, rabie quadam et profunda confundendi omnia cupiditate novum du-
2 cem, novum statum, novam quaerebant rempublicam; quin etiam ausi sunt minari daturos senatui, daturos principi leges; modum stipendi, finem militiae sibi ipsi constituere conati sunt; processum etiam in arma,

p. 9.; — Burmannus coniecit *ut voti ita consilii;* — Ed. Basil. *et voti et consilii,* quod unice verum esse ostendimus ad II, 117, 2.

rabie quadam] Amerb. *rabiem quandam.*

§. 2. *daturos senatui*] Orellius de coniectura scripsit *daturos se senatui.* Pronomine non opus esse recte iudicat Kreyssigius Praef. p. LXII. cf. annotat. nostram ad Sall. Cat. c. XXXI, 7. p. 147. et ad Iug. c. XIV, 3. p. 73. Zumptii Gramm. Lat. c. 80, 7, 2. §. 605. p. 512.

conati sunt] Gruterus *sunt* delendum censet, non obnitente Ruhnkenio. V. Prolegg. c. II. p. LXV.

in ultimum] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *in ultimam.* Vossius maluit *in ultima,* quod Orellius et Kreyssigius Praef. p. LXIII. immerito probarunt, simplicissimae rationi insolentiorem praeferentes; cf. Liv. II, 45, 10. *Rem ad ultimum seditionis erupturam.* II, 56, 5. *Patres ad ultimum dimicationis rati rem venturam.* Ceterum Kreyssigius l. l. recte monuit non cum Krausio coniungenda esse verba *in ultimum gladiorum,* sed *gladiorum impunitas,* ad quam rationem per se certissimam vix opus est conferre haec exempla II, 3, 3. *Hoc initium gladiorum impunitatis fuit;* et II, 22, 2. *Neque licentia gladiorum in mediocris saevitum.* Cic. Philipp. I, 11, 27. Epp. ad Fam. X, 2, 2.

§. 3. *pollicentis, inter*] Krausius in Ed. min. coniecit *pollicentis, et inter,* quod Orellius non damnat, Kreyssigius in Praef. p. LXIV. unice probat. Quo quamquam grammaticae rationi consulitur, quae in vulgata non satis recte procedit, tamen nullum corruptelae vestigium adesse iudicamus, quod verborum mutationem flagitet. Nimirum auctor ipse quodammodo peccavit, dum festinantiâ vel

ferrumque strictum est, et paene in ultimum gladiorum erupit impunitas, defuitque qui contra rempublicam duceret, non qui sequerentur. Sed haec 3
omnia veteris imperatoris maturitas multa inhibentis, aliqua cum gravitate pollicentis, inter severam praepraecipue noxiorum ultionem mitis aliorum castigatio brevi sopiit ac sustulit. Quo quidem tempore ut 4
pleraque ignovit Germanicus, ita Drusus, qui a patre

negligentiâ vocis *maturitas* oblitus in *ἀναχολουθίαν* incidit, novo subiecto in extrema periodi parte illato. Cuius rei caussa in promptu est. Nam vox *maturitas* ita latet inter genitivos *imperatoris — inhibentis*, ut, quum novus accederet genitivus *pollicentis*, facile eo subiecti iam positi recordatio aboleretur; quo factum est, ut auctor novum nominativum, unde praecedentes genitivi penderent, inferret. — Aliam structurae expediendae viam, Ruhnkenio probatam, iniit Gronovius in Obss. II, 23. p. 315. Ed. Lips. coniiciens *miti aliorum castigatione*, quod non magis necessarium aut certum est, quam si quis tentaret *ac mitem aliorum castigationem*, vel si cum Cludio scriberet *in aliorum castigatione*.

noxiorum] Ed. pr. et Amerb. *nostrorum*. Lipsius coniecit *auctorum;* sed verum tetigit Gronovius in Obss. II, 23. p. 315. coniiciens *noxiorum*. Commode interpretes contulerunt Liv. XXXIII, 3, 6. XXVI, 16, 11. XLV, 10, 11. Sall. Iug. c. XXXI, 26. Tacit. Ann. I, 44, 1.

mitis aliorum castigatio] Gronovius l. l. coniecit *miti aliorum castigatione*. V. not. superiorem.

§. 4. *pleraque ignovit*] Ed. pr. et Amerb. *pleraque ignave*, quod non solum a grammatica laborat ob verbi defectum, sed etiam per se falsum est et ceteris Velleii iudiciis de Germanico II, 116, 1. II, 129, 2. II, 130, 3. latis vehementer repugnat. Cui ulceri quamquam aliqua ex parte medetur Ruhnkenii coniectura *pleraque egit nave*, tamen nihil verius est emendatione Editoris Bipont., in textu a nobis expressa, qua pulchriorem haud scio an nemo ad Velleium emaculandum attulerit. Nam *ignovit* pro *ignave* scribendo non solum codicis vestigia accuratissime secutus est grammaticamque structuram rite

in id ipsum plurimo quidem igne emicans incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque se-

explevit, sed historiae congruenter prorsus Velleianum morem in rebus gestis Germanici et Drusi cum acumine referendis restituit, ita quidem, ut utriusque agendi ratio inter se contraria arguta oppositione illustretur. Nam *mitem fuisse Germanicum*, et verbis concitatos militum animos mollire studuisse ac plura iis flagitantibus concessisse auctor est Tacit. Annall. I, 36. *Consultatum ibi de remedio; — periculosa severitas, flagitiosa largitio. Igitur volutatis inter se rationibus, placitum, ut epistolae nomine principis scriberentur; missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari, qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis; legata, quae petiverant, exsolvi duplicarique.* Ibid. I, 52, 2. *Tiberius, quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset (Germanicus), angebatur;* et statim post §. 2. *Cuncta, quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.* — At *Drusum maxima severitate egisse* in comprimenda seditione Pannonica idem testatur Tacitus Annall. I, 29, 3. *Promptum ad asperiora ingenium Druso erat; vocatos Vibulenum et Percennium interfici iubet.* Iam, his in memoriam revocatis, quis dubitat quin Velleius haec sibi opposuerit: *ut pleraque ignovit Germanicus, ita Drusus — prisca antiquaque severitate — obsidentis coercuit?* v. Prolegg. c. II. p. XLIX sqq. De *ut — ita* particulis, ad contrarias sententias componendas adhibitis, v. Handium de Particc. Lat. Vol. III. p. 471. §. 7. — Boeclerus coniecit *pleraque gnave Germanicus;* — Gruterus *pleraque ingnave gerebat Germanicus;* — Bothius *pleraque gnave egit Germ;* — Huthius in Quaest. critt. p. 26. *pleraque ignoverat Germ.*, ut sensus sit nimiam Germanici lenitatem *causam fuisse* tumultus militaris.

Drusus] Ed. pr. et Amerb. *Brutus.* Correxit Ed. Basil.

plurimo quidem] Heinsius coniecit *plurimoque idem*, vel *plurimo pridem*, quod Ed. Bipont. recepit; — Orellius *plurimo iam pridem*, quod probavit Kreyssigius Praef. p. LXIV.; sed nulla mutatione opus est. Nam verbis *plurimo quidem igne emicans* caussa et quodammodo excusatio severitatis a Druso adhibitae continetur, in qua sententia *quidem* valet *sane*, vernacula *freilich.* Nisi malis ista particula simpliciter vim vocis

veritate (minus ancipitia sibi timens quam exemplo perniciosa) et his ipsis militum gladiis, quibus ob-

plurimo augeri, quae ratio vulgaris est; v. ad Sall. Iug. c. LI, 5. p. 287.

tumultus] Heinsius post hanc vocem censet excidisse *restinguendum*.

emicans] Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 47. p. 401. post *emicans* excidisse censet *in Illyrico*, quia necesse fuerit lectorem doceri Drusum ibi fuisse. Sed id omnes tum Romani sciebant, et attentus lector facile ex superioribus coniiciet.

severitate (minus ancipitia sibi timens, quam exemplo perniciosa) et his] Ed. pr. *severitate usus, ancipitia sibi tam re, quam exempli perniciosa, et his;* Burer. et Amerb. *severitate usus ancipitia sibi timere* etc. Loci sanati laus debetur Haasio, qui in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 57. p. 449. coniecit ut edidimus, nisi quod perspicuitatis iuvandae caussa parenthesis signo inclusimus verba, quibus auctor iudicium de Drusi ingenio et virtute narrationi inserit. Periculosam fuisse severitatem flagrante adhuc seditione et per se intelligitur, et diserte memoratur a Tacito Annall. I, 36, 2. Non timuisse autem Drusum res sibi ancipites, atque unice disciplinae restituendae firmandaeque fuisse intentum, pariter confirmatur testimonio Taciti Annall. I, 29, 1. *Drusus nobilitate ingenita negat se terrore et minis vinci; flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet.* Iam vix opus est monere ablativos *prisca antiquaque severitate,* quos Haasius ad participium *timens* retulisse videtur, simul cum sequentibus *et his ipsis militum gladiis* pertinere ad *coërcuit*, neque ullam caussam esse cur *et* (i. e. *et quidem)* deleatur. — Acidalius coniecit *severitate usus, et ancipitia sibi tam re, quam exemplo perniciosa ausus, his ipsis;* — Gruterus *severitate, ausus ancipitia sibi tam re quam exemplo, his ipsis;* — Vossius *severitate, ausus ancipitia, sibi tam re, quam exemplo perniciosa, et his ipsis;* — Boeclerus *severitate, ausus ancipitia sibi tam re, quam exemplo periculosa, his ipsis;* — Heinsius *severitate usus ancipitia sibi tam re, quam exemplo in publicum perniciosa* (vel *exemplo perspeciosa,* vel *ex. periculosa) et his ipsis;* — Burmannus *severitate, ancipiti auso,*

sessus erat, obsidentis coërcuit, singulari adiutore in eo negotio usus Iunio Blaeso, viro nescias utiliore in castris, an meliore in toga. Qui post paucos annos

tam re quam exemplo perniciosa, his ipsis; — Ruhnkenius *severitate usus, amputavit tam re quam exemplo perniciosa, et his ipsis;* — Krausius *severitate usus, ancipitia sibi, tam re quam exemplo perniciosa* * * *, *et his ipsis;* — Ed. Bipont. *sev. usus, ancipiti sibi tam re, quam ex. perniciosa, et his ipsis,* — Cludius *severitate, ausus ancipitia sibi, tam re, quam ex. perniciosa, et his ipsis;* — Orellius *severitate, ausus ancipitia sibi, rescidit tam re, quam ex. perniciosa, et his ipsis;* — Perizonius in Epp. Syll. Vol. IV. p. 772. *severitate, ausus ancipitia sibi tam re, quam ex. speciosa, et his ipsis,* — vel *severitate usus, ancipiti sibi tam re, quam exemplo speciosa, et his ipsis;* — Gronovius Obss. II, 23. p. 315. *severitate, ausus ancipitia sibi tam re, quam ex. perniciosa, his ipsis;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 26 sq. *severitate usus, ancipitia sibi tam re, quam exemplo operuit ausa;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 177. *sev. usus ancipitia sibi, et timore, quam exemplo perniciosa istis ipsis;* — Halmius in Annall. critt. Berol. a. 1836. Vol. I. No. 43. p. 343. *severitate usus, arma compescuit tam re, quam* etc.; — Laurentius in Locis Vell. p. 125. *severitate ratus ancipitia sibi timore quam extemplo perniciosiora esse his ipsis;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 47. p. 401. *severitate usus, ancipitia ascivit remedia, quam exemplo perniciosa, et his ipsis;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 152. *severitate usus, ancipitia sistit, tam re quam* etc.; — Sauppius in Mus. Helv. a. 1837. I, 2. p. 167. *severitate usus, incepta inhibuit tam re quam* etc.; — Bothius totum locum sic immutavit: *ut pleraque gnave egit Germanicus prisca antiquaque severitate, ita Drusus, qui a patre in id ipsum, plurimo pridem igne emicans incendium mil. tum. missus erat, ausus ancipitia sibi et tam re quam ex. perniciosa his ipsis.*

Blaeso] Ed. pr. et Amerb. *Bleso.* Veriorem scripturam exhibuit Ed. Bipont., quamquam non ex coniectura; nam pro *ae* saepissime in codd. *e* scribitur; v. ad. II, 28, 3.

proconsul in Africa ornamenta triumphalia cum appellatione imperatoria meruit. At Hispanias exercitumque virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia, ut

§. 5. *imperatoria*] Bothius coniecit *imperatoris.*

At Hispanias etc.] Ita Amerb., a quo non multum differt Ed. pr. *ac Hispanias;* Burer. *ad Hispanias.* Ad huius loci veram scripturam restituendam ante omnia tenendum est de *Iunio Blaeso* in hac periodo sermonem esse. Nam quum Velleius paullo ante dixisset incertum esse, utrum is utilior in castris, an melior in toga fuerit, utriusque rei documentum affert, bellicae virtutis proconsulatum Africanum, sapientiae a togato praestitae Hispaniarum administrationem, ad quam legitime *at* particulâ transitus fit. Ante *praediximus* excidisse *ut* luce clarius est, et iam vidit Burerius. Non minus recte Ruhnkenius pro *cum imperio obtineret* scripsit *cum imperio obtinens;* nam quum constanti usu dicatur *cum imperio esse,* vel *provinciam cum imperio obtinere* (v. annotat. nostram ad Sall. Iug. c. III, 1. p. 13. Cic. Epp. ad Famm. I, 9, 29. or. Philipp. V, 16, 45.,) per se patet *cum* esse praepositionem; quam quum librarius pro coniunctione haberet, *obtinens* in *obtineret* mutavit, eo procliviore errore, quod *ns* a *re* et *ret* vix discerni potest; cf. I, 16, 2. p. 66. et in hoc ipso cap. §. 4. Structura verborum autem ita comparata est, ut ablativi *virtutibus* et *militia* pertineant ad *obtinens,* caussae potestate positi, de qua v. quae diximus ad Sall. Cat. c. XXXI, 3. p. 142. et Reisigii Gramm. Lat. §. 391. p. 701. Totius igitur loci sensus hic est: Blaesus et in *castris* et in *toga* insignis fuit; nam *in Africa* ornamenta *triumphalia meruit; at Hispanias* exercitumque, quas *propter* virtutes suas et celeberrimam in Illyrico militiam, ut praediximus, *cum imperio* obtinebat, *in summa pace et quiete continuit* etc. — Rhenanus coniecit: *ac Hispanias exercitumque virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militia praeditum, quum imperio obtineret* etc.; Burerius *ac Hispaniam exercitumque virtutibus celeberrimamque in Illyrico militiam, ut praediximus, cum imperio obtineret* etc.; — Acidalius *ac Hispaniam — cum imperio obtinuit et in summa pace quiete continuit;* — Ruhnkenius *atque Hispanias — ut praediximus cum imperio obtinens in s. p. ac quiete;* — Krausius *atque Hispanias — in Illyrico militia *** ut praediximus, cum imperio obtinens* etc., post *militia* excidisse censens *meritus;* — Clu-

praediximus, cum imperio obtinens, in summa pace et quiete continuit, cum ei pietas rectissima sentiendi, et auctoritas quae sentiebat obtinendi superesset. Cuius curam ac fidem Dolabella quoque, vir simplicitatis ge-

dius *ac quum Hispanias — cum imperio obtineret, in s. pace quiete c.;* — Orellius *at Hispanias exercitumque viribus celeberrimum atque in Illyrico militia, ut praediximus, c. imp. obtinens, in s. p. et quiete;* — Baiterus apud Orellium, *at Hispanias exercitumque, virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militia, ut praediximus, cum imperium obtineret, in s. p. et quiete*; — Bothius *atque Hispanias, exercitusque virtutibus, celeberrimusque in Ill. mil., ut praed., c. imp. obtinens in s. p. et quiete;*— Ed. Bipont. *ac Hispanias exercitusque virtutibus celeberrimaque in Ill. mil. ut praed. c. imp. obtineret, ut in s. p. quiete;* — Laurentius in Locis Vell. p. 125. *ad Hispanias exercitum, quem Drusi virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia devictum praediximus, cum imp. obtineret, in s. p. quiete;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 152. *ac quum Hispanias exercitumque, virtutum eius celeberrimaeque in Illyrico militiae praemium, c. imp. obtineret* etc.; — Huthius in Quaestt. critt. p. 27. *atque Hispanias, exercituumque virtutibus celeberrimaque in Ill. mil. paratissimus, cum imperio obniterentur, summa pacis quiete*; — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. 1836. No. 57. p. 450. *at Hispanias ex. virt. c. in Ill. militia illustris Messalinus, ut praediximus, c. imp. obtinens, in summa quiete continuit;* — Sauppius in Museo Helvet. a. 1837. Vol. I, 2. p. 167. *at Ael. Lamia Pannoniam exercitumque (de virtutibus cel. in Ill. militia praediximus) c. imp. obtinens in s. p. et quiete continuit.*

ut praediximus] Ed. pr. et Amerb. *praediximus.* V. annot. superiorem.

obtinens] Ed. pr. et Amerb. *obtineret.* V. annot. super.

pace et quiete] Ed. pr. et Amerb. *pace quiete,* quod tuentur Ed. Basil. et Cludius, *quiete* pro adverbio habentes. Recte Orellius interposuit *et;* — Ruhnkenio placuit *ac;* — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. Vol. I. No. 57. p. 450. *pace* pro glossemate habet, quod non plane est improbabile.

nerosissimae, in maritima parte Illyrici per omnia imitatus est.

CXXVI. Horum sedecim annorum opera quis, 1 cum inhaereant oculis animisque omnium, in partibus

obtinendi] Herelius p. 576. coniecit *iubendi*, vel *exsequendi*; scilicet quia praecedit *obtinens*. v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

maritima parte] In ed. Aldi Nep. operarum errore legitur *maxima parte*, quod pessime amplexus est Burmannus.

CXXVI, 1. *cum inhaereant oculis*] Ed. pr. *cum inserta sint oculis*, ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *cum insera oculis*, in qua scriptura *insera* aperte depravatum est ex *inhaereant*, ad quam vocem quum ipsa forma ducit, nam haud dubie olim scriptum fuit *inh^{s}eāt*, tum maxime sensus et Velleii consuetudo; cf. I, 14, 1. *Cum facilius cuiusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus oculis animisque inhaereat.* II, 36, 3. *Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio.* Quod multi editores autem putarunt in priore periodi parte requiri vocabulum *universa*, quia sequitur *in partibus*, non plane verum est. Nam licet negari nequeat, Velleium h. l. opponere inter se *universum* et *partes*, (v. ad II, 38, 1.) tamen ista oppositio satis iam declaratur verbis *horum sedecim annorum opera*; quae quum in unum coniuncta cogitentur, *poterat* quidem maioris perspicuitatis caussa, ut etiam in aliis sententiis fit saepissime, *universa* vox addi, sed minime *fuit necesse*. — Heinsius coniecit *quis universa, inquam, inserta oculis*; — Ruhnkenius *quum universa sint in oculis*; — Grunerus *cum inserta sint oculis animisque omnibus ex partibus*; — Krausius *cum universa *** oculis*; — Orellius *cum inhaereant universa oculis*; — Bothius *cum insint oculis*; — Ed. Bipont. *quis, universa in oculis a. o., partibus*; — Kreyssigius Praef. p. LXIV. *cum ingerantur oculis*; — Laurentius in Locis Vell. p. 126. *cum insidant oculis*; idemque p. 148. *cum inscripta oculis an. om. sint, partibus.*

in partibus] Vossius *in* delevit, quem fere omnes editores secuti sunt. Praepositionem recte tuetur Handius de Particc. Lat. Vol. III. p. 277.

eloquatur? Sacravit parentem suum Caesar non imperio, sed religione, non appellavit eum, sed fecit
2 deum. Revocata in forum fides, summota e foro seditio, ambitio campo, discordia curia, sepultaeque

non appellavit eum] Grutero auctore plerique editores omiserunt *eum*, in quo ne minima quidem offensio est. — Burerius coniecit *non appellavit deum, s. f. deum;* — Iacobsius in Praef. p. XXXII. *non appellavit solum*, quo sententia falsa infertur. De vi particularum *non — sed* v. supra ad II, 22, 2. et ad Sall. Iug. c. C, 4. p. 533. Sensus loci est: non *inane* dei *nomen* ei tribuit, sed (cultu divino instituto, de quo v. Tacit. Ann. I, 54.) *verum deum* fecit.

§. 2. *in forum*] Krausius haec a librario intrusa censet; — Cludius coniecit *in totum;* — Withofius in Obss. critt. ad Horat. aliosque scriptt. latt. Fasc. III. p 110. *in torum;* — Adimarius, auctore Orellio, *in pomoerium.* Vulgata sanissima est. *Fides* enim intelligitur rerum creditarum solutio; quae res quum in *foro* transigerentur, quia ibi erant argentariorum tabernae (v. Adami Antiqq. Rom. Vol. II. p. 377. ed. IV. et Ernestii Clav. Cic. v. *forum*), paene legitime et ex formula dicitur *fides fori;* cf. Cic. de lege Agr. I, 8, 23. *Fidem de foro, dignitatem de republica sustulistis.* II, 3, 8. *Sublata erat de foro fides.* Pro imp. Cn. Pomp. c. 7, 19. *Haec fides atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur, implicita est cum illis pecuniis Asiaticis.* Velleius igitur, more suo argutam oppositionem quaerens (v. Prolegg. c. II. p. XLIX sqq.) Tiberium ita laudat, ut narret eum rem saluberrimam, quae aberat *a foro*, in id revocasse, rem pessimam, quae vigebat *in foro*, inde summovisse.

summota e foro seditio] Rhenanus coniecit *summotae foro seditio, ambitio campo; discordia curiae sepulta.* Praepositionem tuetur oppositionis ratio *in forum — e foro;* cf. II, 91, 2. *Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Caepio et ante hoc erat pessimus.* II, 121, 2. *Absurdum erat non esse sub illo, quae ab illo vindicabantur.* II, 23, 5. *Animos extra moenia, corpora intra muros habebant.* Quae stricta oppositio quum non pertineat ad cetera nomina, per se patet non opus esse repetita praepositione; quam quum desideret Orellius in codicis scriptura, Rhenani coniecturam recepit.

ac situ obsitae iustitia, aequitas, industria civitati redditae; accessit magistratibus auctoritas, senatui maiestas, iudiciis gravitas; compressa theatralis seditio, recte faciendi omnibus aut incussa voluntas,

Bothius scripsit *summotae foris seditio;* — Herelius p. 576. delenda censet verba *e foro seditio;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 177. scribi vult *summota theatro seditio*, deletis infra verbis *compressa theatralis seditio*, vel *summota e foco seditio;* — Ruhnkenio denique *seditio* de mendo suspectum est, quia non intelligatur quae sit *seditio in foro.* Sed Velleium ista voce significare dissensiones, turbas, tumultus, in foro plerumque oriri solita, quod eo omnes otiosi, egentes, turbulenti iam antiquiore tempore confluebant (v. Liv. IX, 46, 14 sqq. et Fussii Antiqq. Rom. §. 143. p. 128. ac §. 400. p. 401.) recte monuit Orellius, collato Tacito Hist. II, 38. *In urbe ac foro tentamenta civilium bellorum.* De re ipsa v. Sueton. Aug. c. 34. et Tiber. c. 37.

sepultaeque ac] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr. *sepultae; ac.*

obsitae] Ed. pr., Burer. et Amerb. *oppositae.* Correxit Ed. Basil. *Obsitus* et *oppositus* confunditur etiam apud Livium XXIV, 39, 1. v. Prolegg. c. III. p. C.

magistratibus] Ed. pr. et Amerb. *militibus*, quod Ed. Basil. optime emendavit. Etsi enim *magistratibus* longius recedit a *militibus*, tamen nec res ipsa quemquam de hac correctione dubitare sinit, nec Sueton. Tiber. c. 30. *Quin etiam speciem libertatis quandam induxit, conservatis senatui et magistratibus et maiestate pristina et potestate.* Ruhnkenius.

maiestas] Ita Amerb. a sec. manu; *maiestatis* a pr. m.

compressa theatralis seditio] Bothius haec tanquam spuria uncinis inclusit.

incussa] Heinsius maluit *iniussa;* — Ruhnkenius *infusa;* — Cludius *excitata* vel *insinuata.* Vulgatam scite defendit Krausius, observans Velleium, quippe qui ponderosioribus Augustum et Tiberium verbis laudet, consulto adhibuisse *incutere* vocem, ad vim et efficaciam correctionis a Tiberio susceptae exprimendam. Similiter *incutere amorem* dixit Lucretius I, 20. et I, 922., *pudorem* Horatius Epp. I, 18, 77., *desiderium* id. ib. I, 14, 22., *odium* Iustinus XXXVIII, 7, 8., *metum* id. XLII, 5, 10., *voluptatem* Lactant. Instt. V, 1, 7.

aut imposita necessitas; honorantur recta, prava pu-
3 niuntur; suspicit potentem humilis, non timet; ante-
cedit, non contemnit humiliorem potens. Quando
annona moderatior, quando pax laetior? Diffusa in
orientis occidentisque tractus et quicquid meridiano
aut septentrione finitur pax augusta per omnis ter-
rarum orbis angulos a latrociniorum metu servat im-
4 munis; fortuita non civium tantummodo, sed urbium
damna principis munificentia vindicat. Restitutae ur-
bes Asiae, vindicatae ab iniuriis magistratuum pro-

§. 3. *meridiano*] Cludius maluit *meridie*, sine caussa idonea; nam *meridianus*, sc. circulus, pro *meridie* dicitur. cf. Flor. IV, 12, 40. *Haec ad septentrionem. Sub meridiano magis tumultuatum est, quam bellatum;* ubi v. Duker. et Gronov. Obss. in Scriptt. Eccl. 24. p. 263.

per omnis terrarum orbis angulos] Heinsius coniecit *p. o. t. o. angulos nos;* — Ruhnkenius *per omnia omnis t. o. angulos;* — Orellius *pax augusta populi Romani omnis t. orb. ang.;* — quae coniecturae natae sunt ex ignoratione structurae. Nam obiectum desiderantes editores non viderunt *immunis* vocabulum non pertinere ad verba *omnis angulos,* sed absolute ac vi substantivi positum designare *homines immunes.* Sensus igitur est: pax augusta in remotissimis orbis terrarum partibus homines a metu latrociniorum servat immunes. — Bothius verba *per omnis terrarum orbis angulos* ut glossema uncis inclusit.

immunis] Lipsius coniecit *immune.*

§. 4. *vindicat*] Herelius, offensus recursu vocis *vindicatae,* p. 576 coniecit *pensat,* vel *mitigat;* — Orellius *medicatur;* — Bothius *ventilat.* Offensionis caussam vanam esse patebit ex Prolegg. c. II. p. LXVII sqq. *Vindicat* Krausius recte interpretatur *resarcit,* quae significatio quamquam est inusitatior, tamen nihil habet vitiosi, quippe repetita ab ea, qua verbum valet *defendere, arcere, liberare;* nam quum damnis, *quae facta sunt,* liberat munificentia eaque repellit, id profecto non alia re fit quam *resarciendo.* Cludius totum locum sit scribendum suspicatur: *fortuita non civium tantummodo, sed et urbium*

vinciae; honor dignis paratissimus, poena in malos sera, sed aliqua; superatur aequitate gratia, ambitio virtute. Nam facere recte civis suos princeps optimus faciendo docet, cumque sit imperio maximus, exemplo maior est.

CXXVII. Raro eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt, ut duo Scipiones duobus Laeliis, quos per omnia aequaverunt sibi, ut divus Augustus M. Agrippa, et proxime ab eo Statilio Tauro, quibus novitas fa-

damna principis munificentiam indicant, vel *incitant*. De particulis *non tantummodo — sed*, quas ille non intellexit, v. ad II, 28, 4.

sed aliqua] Lipsius coniecit *sed aequa;* — Bothius *sed digna*. Sensus est: poena in malos dilata quidem, sed non prorsus omissa, ita ut *certe aliqua* esset, quamquam non continua.

§. 5. *princeps*] Amerb. *principes*, haud dubie falsa constructione deceptus; v. Prolegg. c. III. p. CVII. Orellius inde fecit *princeps ipse*, cui coniecturae et sensus obstat, et Burerii tacitus cum Ed. pr. consensus.

CXXVII, 1. *usi sunt*] Amerb. *uisi sunt*.

Agrippa, et proxime ab eo Statilio] Ed. pr. et Amerb. *Agrippa, et maxime ab eo Statilio*, quam scripturam, neque re neque verbis probam, verissime emendavit Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 177. Similiter *proxime* in *maxime* depravatum est supra II, 36, 3. ubi v. Eadem dicendi ratione usus est Velleius II, 76, 4. *Salvidienus parum habebat proximus a Cn. Pompeio ipsoque Caesare ex equestri ordine consul creatus esse.* II, 124, 4. *Mihi fratrique meo proxime a nobilissimis ac sacerdotalibus viris destinari praetoribus contigit.* — Acidalius coniecit *Agrippa maxime, et ab eo Statilio;* — Lipsius *Agrippa et Maximo Fabio, Statilio;* — Gronovius in Obss. II, 23. p. 316. *Agrippa, et Maecenate, et Statilio;* — Laurentius in Locis Vell. p. 126. *Agrippa, et maxime adeo Statilio.*

miliae haud obstitit, quominus ad multiplicis consulatus triumphosque et complura eveherentur sacer-
2 dotia. Etenim magna negotia magnis adiutoribus egent, (neque in parva paucitas ministeria deficit,) interestque reipublicae, quod usu necessarium, et

haud obstitit, quominus] Amerb. *aut stitit dominus.*

consulatus triumphosque] Amerb. *consulatos*, omisso *triumphosque.*

complura eveherentur] Ed. pr. *complura enumerarentur;* Burer. et Amerb. *complurae numerentur*, unde veram scripturam egregie eruit Vascosanus. De usu dictionis *evehi in* vel *ad honorem* v. ad II, 4, 7. — Ed. Basil. coniecit *eniterentur;* — Heinsius *quominus et multiplicis consulatus triumphosque et compl. emererentur sacerdotia.*

§. 2. *adiutoribus*] Heinsius maluit *adiutoriis*, quia *adiutoribus* proxime praecessit. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

(neque in parva paucitas ministeria deficit)] Ed. pr. et Amerb. *neque in parvo paucitas ministeria defecit.* Hunc locum, varie a criticis tentatum, simplicissima medela sanasse nos confidimus, parenthesis signo apposito et verbis *parvo — defecit* mutatis in *parva — deficit*, quae quam levia sint, si litteras spectes, patebit ex Prolegg. c. III. p. LXXXVIII et XC., ubi saepissime has litteras confundi ostendimus. Ad sensum quod attinet, tenendum est, id quod Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 203. primus vidit, eandem rem a Velleio pro more suo, de quo v. Prolegg. c. II. p. LV sqq., tribus modis enunciari, ac secundum membrum nihil aliud continere, quam prioris sententiam inversam. Propter id ipsum autem obiter tantum per parenthesin praecedenti adhaeret, in quo nexu *neque* valet *nam — non* vel *quippe — non*, *paucitas* vero respondet notioni *magnorum adiutorum*, *deficere* denique absolute positum contrarium est verbi *sufficere.* Quibus recte intellectis haec prodit sententia: *magna* negotia *magnis* adiutoribus egent (quippe in *parva* ministeria *paucitas* non deficit) i. e. *parvis negotiis gerendis pauci sufficiunt*, sive: ad *parva* negotia *pauci*, vel *adeo unus*, *non deficiunt*, i. e. iis sufficiunt et pares sunt. — Boeclerus verba omnia pro inepto glossemate habet,

dignitate eminere, utilitatemque auctoritate muniri. Sub his exemplis Ti. Caesar Seianum Aelium, prin- 4
cipe equestris ordinis patre natum, materno vero genere clarissimas veteresque et insignis honoribus complexum familias, habentem consularis fratres, con-

Krausio non dissentiente; — Vossius coniecit *namque in parvo parvitas ministerio sufficit;* — Thysius *neque in parvo paucitas ministerii deficit;* — Heinsius *neque in parvo favor proavita ministeria defecit;* vel: *neque impar favor proavita m. defecit;* — Cludius *neque impar paucitas ministeria deficiat;* vel: *neque in parvis paucitas ministrorum idoneorum obsit;* — Orellius *atque etiam parva paucitas ministerii deficit;* — Bothius *neque non in parvo paucitas ministeria deficit;* — Herelius p. 577. verbis transpositis: *eveherentur sacerdotia, neque iis proavorum paucitas ministeria defecit. Etenim* etc.; — Laurentius in Locis Vell. p. 127. *neque in parvis paucitas ministeria deficit;* — Kreyssigius Praef. p. LXVI. *neque in parva paucitas ministerii sufficit;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 152. *neque in parvis raro paucitas ministeria deficit;* — Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 203. *nam quae impar operi auctoritas, ministerio deficit,* vel: *neque par operi auctoritas m. deficit;* — Schefferus in Misc. Obss. Vol. IX. p. 178. *neque in parvo paucitas ministeria deficit;* — Graevius in Epp. Syllog. Vol. IV. p. 374. de verbis nihil constituens sensum loci hunc esse vult: non solum magna negotia sine *magnis* adiutoribus geri et administrari non possunt, sed ne parva quidem sine *bonis* ministris recte curantur.

necessarium, et dignitate] Amerb. *necessarium e dignitate.* — Ruhnkenius coniecit *nec. est, dignitate;* — Orellius *nec. est, et dignitate.* Sed nulla caussa est, cur a scriptura Ed. pr. discedatur; nam *est* omissum, ut saepissime, v. ad II, 55, 1.

utilitatemque] Burmannus coniecit *vilitatemque.*

muniri] Ed. pr. et Amerb. *munire.* Correxit Ed. Basil.

§. 3. *Ti. Caesar*] Amerb. *T. Caesar.*

equestris] Amerb. *equestri.*

sobrinos, avunculum, ipsum vero laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium operum adiutorem
4 in omnia habuit atque habet, virum severitatis laetissimae, hilaritatis priscae, actu otiosis simillimum, nihil sibi vindicantem eoque assequentem omnia, semperque infra aliorum aestimationes se metientem, voltu vitaque tranquillum, animo exsomnem.

vigori] Amerb. *vigore.*

operum] Ed. pr. et Amerb. *onerum*, quod aperte falsum est; nam *onera* non *adiuvantur*, sed *opera*, ut bene vidit Kreyssigius Praef. p. LXVI., cuius verissimam esse emendationem tum per se elucet, tum egregie confirmatur aliis Velleii locis; cf. II, 95, 1. *Neronem Caesar haud mediocris belli mole experiri statuit, adiutore operis dato fratre.* II, 104, 3. *Coelestissimorum eius operum — pro captu mediocritatis meae adiutor fui.* II, 124, 3. *Primum principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum.* Eadem vocum *onus* et *opus* confusio etiam facta est II, 114, 1. et II, 128, 4.

§. 4. *severitatis laetissimae, hilaritatis priscae*] Bothius scripsit *priscae severitatis, laetissimae hilaritatis*, non assecutus Velleium exquisitiore modo ita laudare Seianum, ut ei non simpliciter tribueret severitatem hilaritatemque, sed utramque temperatum contrariis quibusdam virtutibus. Ut igitur *severitas* eius non fuit austera ac tristis, sed *laetissima*, i. e. comis et serena, ita *hilaritas* non fuit levis quaedam et inepta, qualem illo tempore insuevisse est credibile, sed gravis, qualis priscorum fuit hominum. Haud inopportune Krausius contulit Cic. p. Mur. c. 31, 66. *Quis C. Laelio comior, quis iucundior? quis illo gravior, sapientior?*

semperque] Ita Burer. et Amerb.; Ed. pr. *semper.*

exsomnem] Amerb. *ex omnem.* — Burerius maluit *tranquillus — exsomnis.*

CXXVIII, 1. *virtutum aestimatione*] Ita Ed. pr. et Amerb., fortasse ex coniectura, sed ea certissima; nam Burer. *virtutem, aestimationem* in cod. Murb. exstare dicit. — Vossius coniecit *virtutum aestimationem;* — Ruhnkenius *viri virtutum ae-*

CXXVIII. In huius virtutum aestimatione iam 1
pridem iudicia civitatis cum iudiciis principis certant, neque novus hic mos senatus populique Romani est putandi quod optimum sit, esse nobilissimum. Nam et illi antiqui, qui ante primum bellum Punicum abhinc annos trecentos Ti. Coruncanium, hominem novum cum aliis omnibus honoribus, tum pontificatu etiam maximo ad principale extulere fastigium, et 2

stimatione, multis, ac nuper etiam Orellio, probantibus. Quibus omnibus accidit, ut id quod fieri *potuisset*, haberent pro *vere facto*.

cum iudiciis principis] Bothius scripsit *cum principis*, quia *iudiciis* omitti possit. — Potest sane, sed non est necesse.

illi antiqui, qui ante primum bellum] Ed. pr. *illi antiqui ante primum bellum;* Amerb. *illi primi ante bellum.* Huius loci rationem ac structuram ita comparatam esse, ut inde a subiecto *illi antiqui*, cui illustrando quinque enunciationes relativae copula iunctae subiiciuntur, uno tenore omnia decurrant usque ad praedicatum *profecto hoc senserunt*, primus vidit Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 41. p. 339.; sed quod ad restituendam Velleii manum coniecit *illi Romani, qui ante pr. b.*, id non solum nimis longe a cod. scriptura recedit, sed etiam oppositione, quae est inter *novus mos* et *illi antiqui*, sublata deteriorem facit orationem, et ipsa commemoratione nominis *Romani* offendit. Perfectae emendationis laus debetur Halmio, qui in Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1837. No. 110. p. 900 sq. Froehlichii vestigia secutus feliciter perspexit *qui* excidisse post *antiqui;* qua voce, quam praecedens syllaba abstulit (v. Prolegg. c. III, p. CIX.), reposita, omnia, ut poscit instituta argumentatio et Velleii consilium, aequabiliter procedunt. De simili membrorum iunctura per *et* quater repetitum facta v. ad II, 69, 5. — Orellius, a dormitante Amerbachio seductus, coniecit *illi prisci primum ante bellum.*

Ti. Coruncanium] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. est *T. Coruncanum;* falso; cf. Cic. p. Sulla c. 7, 23. et Livii Epit. lib. XVIII. ubi v. Drakenborch. et Fastos triumph. apud Pighium ad a. 473.

honoribus, tum pontificatu] Amerb. *honoribus pontificatum.*

qui equestri loco natum Sp. Carvilium et mox M. Catonem, novum etiam Tusculo urbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in consulatus, censuras et
3 triumphos provexere, et qui C. Marium ignotae originis usque ad sextum consulatum sine dubitatione Romani nominis habuere principem, et qui M. Tullio tantum tribuere, ut paene assentatione sua quibus vellet principatus conciliaret, quique nihil Asinio Pol-

§. 2. *et qui equestri*] Ed. pr. *et equestri;* Amerb. *et eque aequestri,* unde Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 41. p. 339. recte eruit relativum, ad aequalem membrorum rationem necessarium. Quod Burerius cum Rhenano consentit, uterque autem ab Amerbachio discrepat, eius rei haec caussa videtur, quod depravatum vocabulum *eque* ita scriptum fuit, ut putarent id a librario ipso damnatum non ad Velleii verba pertinere.

etiam Tusculo] Lipsius coniecit *et a Tusculo;* — Ed. Bipont. *ex Tusculano;* — Laurentius in Locis Vell. p. 127. *etiam Tusculi.* Vulgatam bene defendit Krausius, verba interpretatus *urbis Romae inquilinum e Tusculo municipio venientem.*

provexere] In edd. omnibus post hoc verbum puncto distinguitur, cuius perversae rationis caussa posita est in defectu pronominis, Froehlichii acumine restituti. V. not. superiorem.

§. 3. *Marium ignotae originis*] Orellius suspicatur Velleium scripsisse *Marium, virum ignotae orig.* V. ad II, 79, 1.

M. Tullio] Ed. pr. et Amerb. *M. Fulvio.* Palmari coniectura ac nemini dubia Lipsius restituit *M. Tullio.*

assentatione] Lipsius maluit *assensione,* vel *assertione;* — Bothius *assectatione.* Frustra. Ut supra II, 48, 1. *assentari* dicebatur pro *assentiri,* ita h. l. *assentatio* dicitur pro *assensione.* Acidalius praeterea comparavit Petron. c. XVII. *Tacentibus adhuc nobis et ad neutram partem assentationem flectentibus.*

principatus] Kreyssigius Praef. p. LXVI. coniecit *princi-*

lioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret, profecto hoc senserunt, in cuiuscunque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Haec naturalis exempli imitatio ad ex- 4
periendum Seianum Caesarem, ad iuvanda vero opera principis Seianum protulit, senatumque et populum Romanum eo perduxit, ut, quod usu optimum intellegit, id in tutelam securitatis suae libenter advocet.

patum, quo non opus esse iam perspicitur ex plurali *quibus,* ut recte monuit Haasius in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 101. p. 196.; nam quum Cicero dicatur variis temporibus modo huic, modo illi principatum conciliasse, isti profecto plures principatus fuere; cf. Nep. Chabr. c. 1, 3. *Ex quo factum est, ut postea athletae ceterique artifices his statibus in statuis ponendis uterentur, quibus victoriam essent adepti.* v. annotat. nostram ad Sall. Catil. c. XIV, 5. p. 73. ad Iug. c. LXIV, 6. p. 350. et Haasium ad Reisigii Gramm. Lat. §. 90. not. 151. p. 134.

in cuiuscunque animo] Heinsius *in* deleri vult. V. ad Sall. Cat. c. XVII, 2. p. 82.

§. 4. *ad iuvanda vero opera*] Ed. pr. et Amerb. *ad iuvanda vero onera.* Vere Kreyssigius Praef. p. LXVI. pro *onera* reposuit *opera;* v. ad II, 127, 3. Non agi de *oneribus* ex eo maxime intelligitur, quod Velleius et hoc et praecedente capite unice hoc probare studet, Seianum iure meritoque a Tiberio *adiutorem et socium maximorum negotiorum gerendorum* assumptum esse; — Cludius scripsit *ad levanda vero onera.*

protulit] Acidalius coniecit *propulit;* — Cludius *perpulit.* Sed iam Burmannus vidit zeugma h. l. obtinere, siquidem verbum proxime ad *Seianum* pertinet, quem illa exempli vis revera *protulit,* i. e. in lucem protraxit et in summum locum evexit. Ad prius membrum cogitatione inde eliciendum est *impulit* vel simile vocabulum. V. ad II, 85, 6.

perduxit] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *produxit,* quod falsum esse patebit ex annotatis ad II, 105, 3.

1 CXXIX. Sed proposita quasi universa principatus Ti. Caesaris forma singula recenseamus. Qua ille prudentia Rhascupolim, interemptorem fratris sui fili Cotyis consortisque eiusdem imperi, evocavit? singulari in eo negotio usus opera Flacci Pomponi,

CXXIX, 1. *quasi universa*] Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 153. coniecit *imagine universa.* V. not. seq.

Ti. Caesaris forma] Ed. pr. *Tib. Caesaris*, Amerb. *T. Caesaris*, sine voce *forma.* Quam quum Rhenanus, veritatis quodam sensu ductus, coniecisset inserendam, Burerius acutissime vidit non excidisse, sed incuria librarii in inferiorem versum decidisse (v. paullo infra); qua inde retracta et in suam sedem reposita, utrique loco consulitur, siquidem id, quod hic deest, illic superest, mutata ratione ad iustum orationis modum revocatur. — Bothius coniecit *Ti. Caesaris figura;* — Cludius *proposito quasi universo principatu Ti. Caesaris singula.*

singula recenseamus] Amerb. *singulare censeamus.*

Cotyis] Ed. pr. *Cotys;* Amerb. *Cotyss.* Legitimam genitivi formam restituit Heinsius.

imperi evocavit] Ed. pr., Burer., et Amerb. *imperii formam evocavit.* De facta huius loci emendatione per Burerium paullo ante diximus. — Rhenanus coniecit *imperii per amicitiae formam evocavit;* — Ursinus *imperii Romam evocavit,* quod Orellius amplexus est, non recordatus *evocavit* absolute positum praegnanti sensu h. l. significare *ex suo regno excivit et in urbem venire iussit;* nam propria verbi vis est, ut in universum significet *iubere aliquem praesto esse.* Similiter infra §. 3. *egredi* de Marobodno dictum valet *e regno suo excedere et Romam venire.* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 153. tentavit *imperii foras evocavit;* — Ieepius in Emendd. Vell. p. 5. *imperii in forum Romam evocavit.*

quae recte facienda sunt] Acidalius coniecit *quae recta faciendo sunt;* — Salmasius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828. No. 36. p. 288. *quae recte faciendi sunt;* — Orellius *quae recte sentienti facienda sunt;* — Halmius in Emendd. Vell. p. 23. *quae facienda sunt, recte facienda.* Aliam coniecturam si quis quaerat, possit tentare *quae recta sunt, facienda.* Sed vulgata integra est. Nimirum pro more suo argutias quaesivit Velleius, *recte* verbo, in quo uno sententiae vis inest, praegnanti

consularis viri, nati ad omnia, quae recte facienda sunt, simplicique virtute merentis semper, nunquam captantis gloriam? Cum quanta gravitate ut senator 2
et iudex, non ut princeps, * * * et causas pressius audit? Quam celeriter ingratum et nova molientem

sensu ita usus, ut non valeat *honeste*, sed *perite, dextre, ingeniose*. Sententia igitur haec est: *usus opera Flacci Pomponi, nati ad omnia ea facienda, quae sine summa peritia et sollertia perfici non possunt.*

nunquam captantis] Ed. pr. et Amerb. *quam captantis*, in quo paene omnes *magis* vel *potius* omissum esse dicunt; sed quomodo id cum *semper* voce conciliari queat, nemo dixit, nec dicere potuit. Velleius enim, antithesin captans (v. Prolegg. c. II. p. XLIX sqq.), pro *quam* scripsit *nunquam*, ut verissime coniecit Orellius. De corruptelae genere v. Prolegg. c. III. p. CIX. — Cludius scripsit *non captantis;* — Vascosanus *magis, quam captantis.*

§. 2. *Cum quanta gravitate*] *Cum* particula offensus Heinsius coniecit *tum quanta gravitate;* — Ruhnkenius *iam qu. grav.;* — Krausius *quanta cum grav.* Quod cur vulgata praestet, ratio nulla cogitari potest; v. Zumptii Gramm. Lat. c. 74, 11. §. 472. p. 413. ed. VIII.

*non ut princeps * * * et causas pressius audit? Quam celeriter*] Ed. pr. *non ut princeps, et causas pressius audit quam celeriter?* Amerb. *non ut princeps, et causas pressius audit? quam celeriter* etc. In loco vexatissimo primum hoc tenendum est, verba *quam celeriter* non cum Rhenano referri posse ad *pressius* comparativum, sed novam enunciationem incipere. Deinde *et* ante *causas* certissimo indicio est mancam esse orationem membrumque aliquod excidisse. Quod quale fuerit quum certo definiri nullo modo possit, satius putavimus asteriscis defectum notare, quam vanam scripturam exhibere. Ceterum in lacuna statuenda aliis aliud visum est. Krausius coniecit *non ut princeps et Caesar causas pressius audit * * *;* — Cludius *non ut pr. et causas pr. audit * * *,* excidisse putans *et aequius diiudicat*, vel *et severius iudicat;* — Orellius *non ut pr. et causas pressius audit, quam ceteri, et sanctius diiudicat;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 47. p. 402. *non ut princeps et causas perorat, et per-*

** oppressit? Quibus praeceptis instructum Germanicum suum imbutumque rudimentis militiae secum actae domitorem recepit Germaniae? Quibus iuventam eius exaggeravit honoribus, respondente cultu triumphi re-
3 rum, quas gesserat, magnitudini? Quotiens populum congiariis honoravit, senatorumque censum, cum id

orantes audit. Alii, nulla lacuna admissa, verborum mutatione locum sanare studuerunt. Aldus Nepos enim *et* delevit; — Acidalius coniecit *non ut princeps et praeses causas audit;* — Lipsius *non ut princeps etiam causas praesens audit;* — Ed. Bipont. *non ut pr. et Caesar etiam causas praesens audit;* — Laurentius in Locis Vell. p. 148. *non ut princeps et Imperator causas pressius audit.*

pressius] Heinsius coniecit *pensius*, vel *perpensius*, vel *P. R. spissius.* — De sensu vocis Ruhnkenius ita disputat: „Unus Perizonius in Epp. Syllog. Vol. IV. p. 787. vidit *pressius* poni pro *accuratius.* Cic. Tuscc. IV, 7, 14. *Itaque perturbationes definiunt pressius.* Gellius I, 3. *Theophrastus autem anquisitius super hac re ipsa et exactius pressiusque quam Cicero disserit.* Frequens hac potestate Macrobio, v. c. in Somn. Scip. I, 14. *Invenietur pressius intuenti nusquam interrupta connexio.* Reliqua eius loca dedit Iac. Gronov. ad p. 26. Sic etiam ceperim in Seneca de Tranq. an. 1. *pressius iudicium;* in Apuleio Met. V. p. 91. *pressiorem cautelam;* p. 95. *pressiores cogitationes.*“

*ingratum et nova molientem * * oppressit*] Ed. pr. et Amerb. *ingratum et nova molientem oppressit.* Haec verba Rhenanus, quum voces *quam celeriter* praecedentibus adiunxisset, (v. not. superiorem,) in §. 1. post *evocavit* censuit transponenda, ut ad *Rhascupolim* pertineant. Excidisse nomen proprium tam manifestum est, ut a nullo editorum, excepto Bipont., qui Rhenanum secutus est, ambigatur; sed quale exciderit, et quo loco, de eo discrepant. Ed. Basil. coniecit *Libonem ingratum* etc.; — Ruhnkenius *ingratum — oppressit Libonem;* — Orellius *ingratum — Libonem oppressit;* — Vossius *Clementem ingratum* etc.; — Krausius *Archelaum ingratum* etc. Sed errant profecto, qui nomen viri, quem *Libonem* esse

senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit, ut neque luxuriam invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui? Quanto cum honore Germanicum suum in transmarinas misit provincias? Qua vi consiliorum suorum, ministro et adiutore usus Druso filio suo, Maroboduum, inhaerentem occupati

volunt, similitudine proximae vocis absorptum dicunt. Nam quum etiam in praecedente versu aliquid desit, in promptu est casu aliquo duorum versuum pauca vocabula in eo codice, unde Murbacensis fluxit, deleta esse vel evanuisse. Quare nomen illud, sive post *celeriter*, sive post *molientem* positum fuit, neque ex vocum similitudine potest elici, neque alia via certa restitui. — Bothius totam enunciationem *quam celeriter — oppressit* transposuit in locum inferiorem post verba *in transm. misit provincias.*

oppressit. Quibus] Bothius hic interposuit quae infra leguntur verba *Quotiens populum — dignitate destitui.*

exaggeravit] Cludius suspicatur *exornavit.*

respondente] Ita Ed. pr. ex tacita Rhenani correctione; Burer. et Amerb. *respondentem*, quae scriptura orta est ex falsa constructione; v. Prolegg. c. III. p. CVII. Burerius coniecit *respondente cultui triumphi rerum, quas gesserat, magnitudine.*

§. 3. *Germanicum suum*] Haec verba Bothius, repetitione offensus, ut glossema expulit; v. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

Qua vi consiliorum suorum] Interpunctionem, quae in Ed. pr. nulla est, in ed. Basil. et sequentibus post *vi* habetur, Ruhnkenius recte posuit post *suorum.* — Quia mox recurrunt verba *consiliorum suorum* Orellius coniecit *qua vi cogitationum suarum;* — Bothius ea delevit. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq. Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 47. p. 403. coniecit *quali consiliorum suorum ministro,* seductus discrepantia Suetonii in Tiber. c. 37. et Taciti Ann. II, 63.; scilicet non reputavit aliter de istis rebus Velleium iudicare, omnia in Tiberii laudes componentem, aliter Suetonium et Tacitum, nudae rerum veritati studentes. — Vulgata significat *quam efficacibus consiliis* etc.

regni finibus, pace maiestatis eius dixerim, velut serpentem abstrusam terrae, salubribus consiliorum suorum medicamentis coëgit egredi? Quam illum et honorate nec secure continet? Quantae molis bellum, principe Galliarum ciente Sacroviro Floroque Iulio, mira celeritate ac virtute compressit, ut ante populus Romanus vicisse se quam bellare cognosceret, nun-

terrae] Cludius scripsit *terra*, probante Kreyssigio Praef. p. LXVII. Vulgatam minime sollicitandam esse scite docuit Klotzius in Nov. Annall. Phil. et Paedag. Vol. XVII. Fasc. 6. p. 204. remittens ad Zimmermanni Annall. Studd. antiq. a. 1835. No. 92. p. 741. ubi probare studuit, genitivos tum urbium nominum, tum aliorum vocabulorum, quibus locus, ubi aliquid est, designatur, primitus ablativos fuisse, qui, antiquissima *loci* potestate retenta, falso pro genitivis habiti sint. coll. Liv. V, 51, 9. *Sacra in ruina rerum nostrarum alia terrae celavimus* etc. Virg. Aen. XI, 87. *Proiectus terrae.* ibid. XII, 382. *Truncumque reliquit arenae.* Plura exempla v. apud Ruddimann. Instt. Gramm. Vol. II. p. 274. Uberius rem illustravit Haasius ad Reisigii Gramm. Lat. §. 347. not. 520. p. 629 sq. in hac dicendi ratione antiquum casum locativum agnoscens.

consiliorum suorum] Ruhnkenius haec, ex praecedentibus repetita ratus, expellenda censuit, obsequentibus Cludio et Kreyssigio Praef. p. LXVIII. At bene vindicavit Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 67. p. 563., docens Velleium perspicuitatis caussa de industria ita scripsisse, ne verba *salubribus medicamentis* proprio sensu intelligantur, quod plane necesse est, nisi genitivo addito translata potestas indicatur. Ex quo patet ista verba non magis externa codicis auctoritate, quam interna sensus ratione sustentari.

et honorate nec secure] Ed. pr. et Amerb. *ut hon. nec secure.* Verissime correxit Ed. Basil. *et — nec.* De corruptelae genere v. ad II, 117, 2., de particulis ipsis cf. II, 33, 4. et annotat. nostram ad Sall. Iug. c. I, 5. p. 8. — Burmannus coniecit *ut honorate, sic secure;* — Ruhnkenius *ut honorate, ita nec secure;* — Huthius in Quaestt. critt. p. 9. vulgatam defendit, quamquam hic ipse locus eum poterat docere, falsum esse quod

ciosque periculi victoriae praecederet nuncius? Magni 4
etiam terroris bellum Africum et cotidiano auctu maius auspiciis consiliisque eius brevi sepultum est.

CXXX. Quanta suo suorumque nomine ex- 1
struxit opera? Quam pia munificentia superque humanam evecta fidem templum patri molitur? Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompei

contendit in brevioribus enunciatis Velleium pro *ut — ita* dicere *ut — et*, in qua ratione *ita* particula omittatur, *et* valeat *etiam*. Quod quum hoc sibi velit, nostro loco verba *ut honorate nec secure* significare *ut honorate, ita etiam non secure*, quivis videt quantum id a linguae latinae ingenio sit alienum.

Floroque Iulio] Ruhnkenius suspicatur *Floroque Iuliis*, quia utrique nomen *Iulio* fuit; v. Tacit. Ann. III, 40.

populus Romanus] Vascosanus edidit *populum Romanum*.

vicisse se] Amerb. *vicisse*.

§. 4. *cotidiano auctu maius*] Bothius scripsit *quotidiano auctum in maius*.

CXXX, 1. *suo suorumque nomine*] Ed. pr. et Amerb. *sua suorumque nomine*. Correctio loci simplicissima (v. Prolegg. c. III. p. XC.) ac verissima, *sua* pronomine in *suo* mutato, debetur Acidalio; quippe *suo* nomine exstruxit templum Augusto; quae *suorum* nomine exstruxit, ea intelligendus est absolvisse, ab illis incepta; cf. Dion. Cass. LVII, 10. p. 854. *Καὶ ἔν τε τούτῳ τὸν Αὔγουστον ἤγαλλε, καὶ ὅτι τὰ οἰκοδομήματα, ἃ προκατεβάλλετο μὲν, οὐκ ἐξετέλεσε δὲ, ἐκποιῶν τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπέγραφεν σφίσιν. — Τοῦτο δὲ τὸ κατὰ τὰς ἐπιγραφὰς οὐκ ἐπ' ἐκείνοις μόνοις τοῖς τοῦ Αὐγούστου ἔργοις, ἀλλ' ἐπὶ πᾶσιν ὁμοίως τοῖς ἐπισκευῆς τινος δεηθεῖσιν, ἐποίησε. Πάντα γὰρ τὰ πεπονηκότα ἀνακτησάμενος (αὐτὸς γὰρ οὐδὲν τὸ παράπαν ἐκ καινῆς, πλὴν τοῦ Αὐγουστείου, κατεσκευάσατο) οὐδὲν αὐτῶν ἰδιώσατο, ἀλλὰ τὰ τῶν πρώτων οἰκοδομησάντων αὐτὰ ὀνόματα πᾶσι σφίσιν ἀπέδωκεν.* — Vascosanus coniecit *suo aliorumque nomine*; quod ne quis verum putet propter Dionis verba ascripta, tenendum est, quicunque illi fuerunt, certe ex Tiberii amicis vel cognatis fuisse; — Bothius *sua re quam nomine*.

munera absumpta igni restituit? qui quod unquam claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuen-
2 dum. Qua liberalitate cum alias, tum proxime incenso monte Coelio omnis ordinis hominum iacturae patrimonio succurrit suo? Quanta cum quiete homi-

qui quod unquam] Ed. pr. et Amerb. *qui quidem quam*, quod proclivi depravatione ortum ex ea scriptura, quam de coniectura nostra in textu exhibuimus. Nam syllaba *un* avulsa (v. Prolegg. c. III. p. CIII.) et cum praecedente voce conglutinata, in summa litterarum *i* et *o* similitudine (v. Prolegg. c. III. p. LXXXIX.) nihil facilius erat, quam ut ex *quodun* fieret *quidem*. — Rhenanus coniecit *qui quicquid unquam*; — Heinsius *quin quicquid*.

§. 2. *Coelio*] Ed. pr. *Caeli*; Amerb. *Caelio*, fortasse ex coniectura, sed ea certissima; nam *o* prima sequentis vocabuli littera interceptum esse patet; cf. Prolegg. c. III. p. CIX. — Vossius genitivum tuetur.

cum quiete hominum] Laurentius in Locis Vell. p. 128. coniecit *cum quiete omnium*, idque recepit Kreyssigius.

sine trepidatione delectus] Ruhnkenius coniecit *sine detrectatione delectus*; — Krausius suspicatur haec tria verba glossam esse praecedentium *quanta cum quiete hominum*, alieno loco in textum illatam. Uterque falsus; Velleius suo more eandem rem duobus modis extulit, v. Prolegg. c. II. p. LV sqq. Sensus est: quanta c. q. hom. supplementum providet, ita, *ut nulla trepidatio sit, ubi delectus agitur, vel agendus indicitur.*

delectus] Amerb. *dilectus*; v. ad II, 111, 1.

§. 3. *Si aut natura*] Krausius transeundi particulam adversativam desiderans *at* excidisse censet, quod ipsum Cludius in textum recepit, non recordati Velleium saepius abrupto uti orationis genere; cf. ad II, 110, 1. II, 118, 4. II, 123, 2.

audeo cum deis queri] Ed. pr. et Amerb. *auro deo cum de his queri*. Locum corruptissimum ex acuta Heinsii emendatione refingere eo minus dubitavimus, quo simplicior est medela ab eo adhibita. Nimirum depravatio orta est ex vocabulorum distractione, uberrimo corruptelarum fonte; v. Prolegg. c. III. p. CIV. Divulso igitur *audeo* in *au deo*, quorum alterum integram vocem efficit, librarius alteram partem coniectura explevit, contentus vocabulum aliquod effinxisse, de sententia securus.

num rem perpetui praecipuique timoris, supplementum, sine trepidatione delectus providet? Si aut natura 3
patitur, aut mediocritas recipit hominum, audeo cum deis queri. Quid hic meruit, primum ut scelerata Drusus Libo iniret consilia? deinde ut Silium Piso-

Neque alia ratio est *deis* vocabuli; quo primum in *de is* dissoluto, deinde a librario faciliore etiam mutatione factum est *de his*. Similiter apud Tacitum Hist. III, 77, 1. *traditurum (tradi turum)* corruptum in *tradi futurum*. De sententia vix est quod dicatur; nam his ipsis verbis Velleius aulico prorsus modo transitum paravit ab egregiis Tiberii factis ad ea, in quibus fortunae quandam invidiam expertus esse videri posset admiratoribus suis. Dictionis *queri cum aliquo* naturam bene illustravit Handius de Particc. Latt. Vol. II. p. 148; exempla contulit Heinsius haec, Cic. Acadd. II, 25, 81. Coelii in Cic. Epp. ad Famm. VIII, 9, 13. Valer. Max. IX, 2. Seneca Controv. IV. — Ed. Basil. coniecit *apud aures deorum de his queri;* — Ursinus *de deo cum deis queri;* — Lipsius *apud aures deorum de diis queri;* — Vossius *auribus deorum de his queri;* — Burmannus *aut horror* (vel *honor) deorum de his queri;* — Ed. Bipont. *cum Averrunco deo de his queri;* — Grunerus *audere eos, de his queri;* — Orellius *aut ratio deorum cum dis queri;* — Bothius *ad aures deorum de diis queri;* — Herelius p. 578. *verecunde cum deis queri*, quod probavit Morgensternius in Probabb. critt.; — Luxdorphius in Nov. Ann. Philol. et Paedag. Suppl. Vol. I, 2. p. 173. *ante ora deorum de his queri;* — Laurentius in Locis Vell. p. 128. *aut deorum cura de his queri;* — Faehsius in Sylloge Lectt. in Glos. *aut cura deorum de his queri;* — Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 153. *auso odiosum cum deis queri;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 47. p. 404. *de futuro deo cum dis queri;* — Ruhnkenius quomodo verba emendanda sint se nescire fatetur.

*Silium Pisonemque tam *** alterius*] Ed. pr. unum asteriscum, lacunae signum, habet post *tam*, Amerb. isto signo caret. Revera autem excidisse nonnulla verba, tum ex mutata ratione casuum, tum ex *tam* particula ita elucet, ut nemini dubium esse possit. Quem defectum quamquam sic supplere possis, *ut Silium Pisonemque tam ingratos experiretur, quorum alte-*

nemque tam *** alterius dignitatem constituit, auxit alterius. Ut ad maiora transcendam, quamquam et haec ille dixit maxima, quid, ut iuvenes amitteret
4 filios? quid, ut nepotem ex Druso suo? Dolenda adhuc retulimus; veniendum ad erubescenda est. Quantis hoc triennium, M. Vinici, doloribus laceravit animum eius? quam diu abstruso, quod miserrimum est, pectus eius flagravit incendio, quod ex nuru,

rius, — vel cum Burmanno *ut Silium Pisonemque tam infestos haberet, quorum alterius*, — vel cum Orellio *ut Silium Pisonemque tam alienatos haberet, quorum alterius*, tamen nihil verius est Ruhnkenii iudicio, qui „Hic verba quaedam, inquit, exciderunt, in quibus supplendis vanum sit coniecturas exercere.“ — Ed. Basil. coniecit *ut Silius et Piso, quorum alterius*; — Vossius *ut Silius Pisoque, quorum alterius*; — Heinsius *ut Silius Pisoque. At quantum alterius*; — Laurentius in Locis Vell. p. 129. *ut Silium Pisonemque tantam alterius*; — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 47. p. 404. *ut Silius cum Pisone, quorum alterius*; — Ieepius in Emendd. Vell. p. 15. *deinde ut Silium Pisonemque taceam (alterius dign. const. auxit alterius), et ad mai. transcendam, quanq. — maxima, quid*; — Bothius *deinde (ut sileam Silium Pisonemque, quorum alterius dign. const. auxit alterius, et ad maiora tr., quanq. — maxima) quid* etc.

auxit] Burerius, in praecedentibus codicis scripturam secutus, coniecit *quam auxit*.

dixit] Rhenanus coniecit *duxit*, quod immerito omnes editiones invasit. *Dixit* enim ad auctoritatem rei narratae conciliandam multo est accommodatius, quod solus vidit Laurentius in Locis Vell. p. 130.

ex Druso suo] Ed. pr. et Amerb. *ex Druso*; Burerius *ex Drusuo*, unde idem verissima coniectura restituit Velleii manum, in textu a nobis expressam; cf. ad II. 11, 2.

§. 4. *ad erubescenda est.*] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. *est* desideratur, vel Rhenani errore, vel tyographi negligentia.

M. Vinici] Ita Ed. pr. et Amerb.; Burer. *M. Vinicii*.

quod ex nepote dolere, indignari, erubescere coactus est! Cuius temporis aegritudinem auxit amissa ma- 5
ter, eminentissima et per omnia deis quam hominibus similior femina, cuius potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi aut accessione dignitatis.

CXXXI. Voto finiendum volumen sit. Iuppiter 1
Capitoline, et auctor ac stator Romani nominis Gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, et

animum eius] Herelius p. 578. coniecit *animum Caesaris*. Scilicet quia *eius* mox recurrit. V. Prolegg. c. II. p. LXVII sqq.

erubescere] Ita Burer. et Amerb. In Ed. pr. hoc verbum deest, delendumque censet Bothius.

§. 5. *aegritudinem*] Amerb. *egreditudinem;* v. Prolegg. c. III. p. C.

mater, eminentissima] Vulgo pessime coniungitur *mater eminentissima*. In promptu est copulâ non iungi substantiva *mater* et *femina*, sed duo vocis *femina* attributa.

CXXXI, 1. *volumen sit*] Orellius scripsit *vol. est*, sine ulla caussa, et contra Velleii consuetudinem; v. ad II, 7, 4. Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 153. *Voto finiendum volumen. Sic Iuppiter — custodite* etc., ut *sic* sit particula voti.

Capitoline, et auctor ac stator] Ita Burerius; Ed. pr. et Amerb. *Cap. et auctor et stator*. — Puteanus coniecit *Capitoline et Stator, et auctor;* — Ursinus *Capitoline, et auctor ac sator*. — Cur et hi, et praeter alios etiam Ruhnkenius, Krausius et Orellius in vulgata offenderent, caussa haec fuit, quod opinati sunt, quemadmodum *Iovi* cognomen *Statori* est, ita *Martem* quoque hic dici *Statorem;* quod sane non ferendum foret, quum belli deus nunquam cognomentum *Statoris* habuerit. Sed Velleius ea voce non ut nomine proprio, vel titulo Martis peculiari, sed ut appellativo usus est, quod clarissime perspicitur tum ex coniunctis vocabulis *auctor ac stator*, tum ex genitivo addito, unde ea simul pendent. *Auctor* igitur *Romani nominis* dicitur Mars, quia Romulus eo genitus esse creditus est; idemque *stator Romani nominis* vocatur, quia res Romana non alia re magis, quam virtute bellica et stetit et confirmata est. Quare quum *stator* h. l. nihil aliud significet quam *stabilitor*, quemad-

quicquid numinum hanc Romani imperi molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor, custodite, servate, pro-
2 tegite hunc statum, hunc principem, eique functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos, sed eos, quorum cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quam huius suffecisse sensimus, consiliaque omnium civium aut pia * * * * * * *

modum etiam Heinsius cepit, coll. Seneca de Beneff. IV, 7., non temere a vulgata discedendum est.

numinum hanc Romani] Ita Ed. pr. ex tacita, sed felicissima Rhenani correctione, v. Prolegg. c. III. p. CIII.; Burer. et Amerb. *nominum honor omni.* — Heinsius tentavit *numinum honoram Romani.*

extulit] Heinsius maluit *extulistis.*

hunc principem] Ed. pr. et Amerb. *hanc pacem.* Quod quum neque per se praecedentium sententiarum nexui bene conveniat, et cum sequentibus ita discordet, ut plane aliud quid a Velleio scriptum esse appareat, (nam verbo *cique functo* ostendunt de *Tiberio* actum fuisse,) Vossius sagacissima coniectura vidit vitiosam scripturam *hanc pacem* fluxisse ex male intellecto compendio verborum *hunc principem;* v. Prolegg. c. III. p. XCIX. Quibus repositis omnia tam egregie procedunt, ut nulla emendatio certior habenda sit. — Perizonius in Epp. Syllog. Vol. IV. p. 738. coniecit *hunc ducem;* — Lipsius *hanc pacem, hunc principem;* — Heinsius *hanc pacem, hunc ducem,* vel *hunc pacis auctorem;* — Popma *hanc pacem, Caesarique functo;* — Froehlichius in Diurnis doctt. Monacc. a. 1837. No. 47. p. 404. *hanc pacem; principique functo* etc.

§. 2. *aut pia* * * *] De extremorum verborum defectu Rhenanus p. 70. haec annotavit: Videtur hic parum deesse in hac peroratiuncula notitia. Nam in exemplari *versus aliquot erant erasi,* forsan ab aliquo nebulone facturo periculo, an illitae membranis notae expungi possint. — Ceterum Rhenanus lacunam sic explevit *aut salutaria in felicem exitum provehite;* — Vossius *aut pia fovete, aut impia opprimite;* — Orellius *aut pia fortunate, aut scelerata frustramini;* — Bothius *consiliaque omnium civium ad pia dirigite.*

I. INDEX

RERUM IN VELLEII HISTORIA ROMANA MEMORABILIUM.

A.

Acanthus in apparatu triumphi Pontici Iul. Caesaris adhibita. II, 56, 2.

Acerranis civitas data. I, 14, 4.

Achaei ex Laconica pulsi. I, 3, 3. a Q. Metello fracti. I, 12, 1. a L. Mummio devicti. I, 13, 1. Achaei ad Pontum Euxinum. II, 40, 1.

Achaia ab Achaeis occupata. I, 3, 1. provincia facta a L. Mummio I, 13, 2. II, 38, 5. Achaia provincia II, 33, 3.

Achaicus L. Mummius cognominatus. I, 13, 1.

Achillas, Pompeii necandi auctor. II, 53, 2. a I. Caesare supplicis affectus. 2, 54, 1.

Achilles, Pyrrhi pater. I, 1, 3. auctor materni generis Alexandri M. I, 6, 5.

Acidinus Manlius adoptavit Fulvii Flacci filium. II, 8, 2.

Actium. II, 84, 1. proelium apud Actium inter Octavianum et Antonium. II, 85. Actiacum bellum. II, 86, 3. II, 88, 1.

Adduus C. Caesarem vulnerat in Armenia. II, 102, 2.

Adoptio Octavii per testamentum I. Caesaris. II, 59, 1. C. et L. Caesarum Agrippae filiorum, ab Augusto facta. II, 96, 1. Tiberii et Agrippae Postumi ab eodem. II, 103, 3. et 104, 1.

Aedes VI millibus HS. conductae Aemilio Lepido a censoribus crimini datae. II, 10, 1.

Aegaei maris insulae ab Ionibus occupatae. I, 4, 3.
Aegisthus Agamemnonem obtruncat. I, 1, 2. VII annos regnavit. *ibid.* ab Oreste necatus. *ibid.* 3.
Aegyptus ab Augusto stipendiaria facta. II, 39, 2.
Aelio Cato consule Tiberius ab Augusto adoptatus. II, 103, 2.
Aemilius Sura scripsit de annis P. R. I, 6, 6.
L. Aemilius Paullus, qui ad Cannas infeliciter pugnans obiit. I, 9, 3.
L. Aemilius Paullus, *praecedentis fil.*, consul Perseum devicit. I, 9, 3. eius filii eorumque obitus et dictum patris memorabile. I, 10, 3 sqq.
Aenaria insula. II, 19, 4.
Aeoliorum migratio in Asiam et coloniae. I, 4, 4.
Aerarium e manubiis auctum ab Aemilio Paullo. I, 9, 6. a Pompeio M. II, 40, 3. a I. Caesare. II, 56, 2. aerarii reditus aucti a Iul. Caesare et Augusto. II, 39, 2. publicae pecuniae, a publicanis fraudibus interceptae, a C. Sentio Saturnino in aerarium regestae. II, 92, 2.
Aeschylus illustrat tragoediam. I, 16, 3.
Aesernia colonia deducta. I, 14, 8.
Aesulum colonia deducta. I, 14, 8.
Aetolia a Fulvio Nobiliore subacta. II, 38, 5.
Afranius comicus. I, 17, 1. in togatis comoediis clarus. II, 9, 3.
Afranius legatus Cn. Pompeii in Hispania. II, 48, 1. II, 50, 4.
Africa primum intrata a Regulo. II, 38, 2.
Africanus, P. Scipio, maior. I, 10, 3. I, 12, 3. eius filius adoptavit Paulli Aemilii filium. *ibid.* I, 12, 3. Africanus hic Scipio Aemilianus cognominatus. I, 13, 2. sub hoc apud Numantiam Lucilius poëta, Marius et Iugurtha stipendia fecerunt. II, 9, 4. Cf. Scipiones.
Africi triumphi I. Caesaris apparatus ex ebore. II, 56, 2.
Agamemnon e Troia redux tres urbes in Creta condidit I, 1, 2. ab uxore et Aegistho occiditur. *ibid.*
M. Vipsanius Agrippa, eius ingenium et mores. II, 79, 1. classem et exercitum Octaviano parat et exercet. *ibid.* et 2. apud Mylas cum Sex. Pompeio prospere pugnat. *ibid.* 4. improspere apud Tauromenium. *ib.* tandem exuit Pompeium navibus. *ibid.* 5. classica corona primus donatus est. II, 81, 3. Leucadem, Patras, Corinthum expugnat contra Antonium dux. II, 84, 3. eumque bis classe superat. *ibid.* praeest classi in proelio Actiaco. II, 85, 1. Augusto carus. II, 88, 2. 90, 1. adiutor eius eidemque aequatus. II, 127, 1. ad consulatum III.

et tribuniciam potestatem ab eodem evectus. II, 90, 1. Hispanias pacat. *ibid.* ob contentiones cum M. Marcello secedit in Asiam. II, 93. 3. reversus Iuliam Augusti filiam ducit. *ibid.* moritur. II, 96, 1. novus homo. *ibid.* II, 127, 1. Tiberii socer. II, 96, 1. eius filii. *ibid.* Pannonicum bellum ab eo inchoatum. *ibid.* 2.

M. Agrippa Postumus, *praecedentis filius*, ab Augusto adoptatus. II, 104, 1. 112, 7. pravitate sua animum Augusti sibi alienavit. II, 112, 7. interfectus. *ibid.*

Alba colonia deducta. I, 14, 5.

Albania a Cn. Pompeio penetrata cum victoria. II, 40, 1.

Albis fines Semnonum et Hermundurorum praeterfluit. II, 106, 2. quantum distet a Rheno. *ibid.* classis Romana ex Oceano eo subvecta. *ibid.* 3.

Alcmaeon ultimus Archontum Atheniensium perpetuorum. I, 8, 3.

Alcman poeta Laco non fuit. I, 18, 3.

Alesia a I. Caesare capta. II, 47, 1.

Aletes, Hippotis filius, sextus ab Hercule. I, 3, 3. Corinthi conditor. *ibid.* I, 13, 1.

Alexander M., septimus decimus a Carano. I, 6, 5. genus ab Hercule et Achille derivabat. *ibid.* eius effigies cum equitibus ad Granicum occisis a Lysippo statua expressa. I, 11, 4. ebrietati et iracundiae deditus. II, 41, 1.

Alexandria condita. I, 14, 4.

Alexandrini triumphi I. Caesaris apparatus e testudine. II, 56, 2.

Aliso, castellum Germaniae II, 120, 2.

Allobrogicus. vid. Fabius.

Alpes feris incultisque nationibus celebres. II, 90, 1. hieme obstructae. II, 105, 3. Italiam terminant. II, 109, 4.

Alsium colonia deducta. I, 14, 8.

Altinum oppidum. II, 76, 2.

Ambitus a Pompeio Magno cos. III. coërcitus. II, 47, 3.

Amnestia Athenis olim decreta, post I. Caesaris necem auctore Cicerone Romae comprobata a senatu. II, 58, 3.

T. Ampius, trib. pl. de Pompeio honorando legem tulit. II, 40, 4.

Amyntas rex ab Antonio ad Octavianum transfugit. II, 84, 3.

Anchises, gentis Iuliae auctor. II, 41, 2.

Andrus insula ab Ionibus occupata. I, 4, 3.

L. Anicius de Gentio Illyriorum rege triumphat. I, 9, 5.

Annia, Cinnae uxor, deinde M. Pisonis. II, 41, 2.

Antiochus (Epiphanes) Olympieum, Athenis inchoavit. I, 10, 1. a M. Popillio Laenate abstinere Aegypto iussus. *ibid.*

Antiochus *(Magnus)* a L. Scipione Asia privatus. II, 38, 5.
Antistius, aedilicius, a Damasippo praetore trucidatus. II, 26, 2. 88, 3.
Antistius Vetus, propraetor Hispaniae. II, 43, 4.
Antistius Vetus *(praeced. nepos)* consularis et pontifex. *ibid.*
C. Antistius, legatus Augusti in Hispania. II, 30, 4.
C. Antonius *(M. Triumviri frater)* cui M. Brutus legiones in Macedonia extorsit. II, 69, 3.
L. Antonius, *(prioris frater)* consul, bellum Perusinum movet. II, 74, 2. Perusia capta ab Octaviano dimittitur. *ibid.* 4.
M. Antonius *(Triumviri avus)* orator. II, 9, 1. Marii Cinnaeque iussu confossus. II, 22, 2.
M. Antonius, *praeced. filius,* praetor, contra piratas orae maritimae, qua patebat imperium Rom. praefectus. II, 31, 1.
M. Antonius, *praeced. filius*, Triumvir constituendae reip. II, 65, 2. 88, 1. ebrietati deditus. II, 63, 1. virtutum non plane expers. II, 74, 2. bonus imperator. II, 63, 1. Iul. Caesari diadema in Lupercalibus imponit. II, 56, 4. neci cum Caesare destinatus a M. Bruto periculo liberatus. II, 58, 2. interfectoribus Caesaris tuto descendendi de capitolio fidem dat. *ibid.* 3. superbe excipit Octavianum et insidiarum arguit. II, 60, 3. eius et Dolabellae consulum furens dominatio. *ibid.* 4. II, 61, 1. Iul. Caesaris pecuniam ad aedem Opis depositam occupat, eiusdem commentarios corrumpit. II, 60, 4. Galliam D. Bruto armis eripere statuit. *ibid.* 5. eius odium et insidiae Octaviani. *ibid.* legionibus e Macedonia accitis privatus. II, 61, 2. ad Mutinam profligatur trans Alpes. *ibid.* 4. 73, 2. cum Lepido se iungit in Gallia. II, 63, 1. hostis iudicatus. *ibid.* II, 64, 4. D. Brutum per emissarios iugulat. II, 64, 1. a Cicerone orationibus pessime notatus. *ibid.* 3. Octaviano pacis conditiones offert. II, 65, 1. triumviratu inito, eidem privignam despondet. *ibid.* 3. a Velleio ob Ciceronem proscriptum graviter accusatus. II, 66, 3 sq. L. Caesarem avunculum proscribit. II, 67, 3. in Macedoniam cum M. Bruto et Cassio bellaturus traiicit. II, 70, 1. Orientis provincias obit. II, 74, 1. Domitii classe firmior fit. II, 76, 2. in Italiam adversus Caesarem Octavianum pervenit. *ibid.* 3. apud Brundusium paciscitur cum eo. *ib.* pacem apud Misenum cum Sex. Pompeio init. II, 77, 1. ibi ab eodem coena et acerbo dicterio ob Pompeii M. domum in Carinis exceptus. *ibid.* Octaviam ducit. II, 78, 1. Sex. Pompeium contra fidem datam iugulari iubet. II, 79, 2. 87, 2. a Parthis clade affectus. II, 82, 1—3. 91, 1. Artavasden,

Armeniae regem, catenis aureis vincit. *ibid.* Cleopatrae amore corruptus patriae bellum inferre statuit. *ibid.* 4. Bacchi nomen et habitum assumit. *ibid.* 5. eius vires et classis apud Actium. II, 84, 2. victus Cleopatram fugientem sequitur et milites suos deserit. II, 85, 3 sq. Alexandriae se interimit. II, 87, 1.

Iulius Antonius, *Triumviri fil.*, adulter Iuliae, se interimit. II, 100, 4.

Apollinis Pythii responsum Lacedaemoniis de victoria, Codro rege, datum. I, 2, 2.

Apollinis templum cum porticu ab Augusto exstructum. II, 81, 3.

Apollonia, magistra studiorum Augusti. II, 59, 4.

Appius, Crassus, *Caeci fil.*, consul. I, 14, 4.

Appius Claudius Caudex primus traiecit in Siciliam II, 38, 2.

Appius Claudius Pulcher, *Ti. Gracchi socer*, IIIvir agris dividendis. II, 2, extr.

Appius Claudius, Iuliae adulter. II, 100, 5.

L. Apronii bello Delmatico virtus. II, 116, 2.

L. Apuleius Saturninus, trib. pl. seditiosus, in curia Hostilia Mario cos. VI necatus. II, 12, 6.

Aquae Sextiae a Sextio Calvino conditae et dictae I, 15, 4. Teutoni apud easdem a Mario cos. IV victi. II, 12, 4.

Aquileia colonia condita I, 15, 2.

M'. Aquilius Aristonicum in triumpho duxit. II, 4, 1.

M'. Aquilius, *praeced. fil.*, a Mytilenaeis Mithridati proditus. II, 18, 3.

Arbaces, Medus, Sardanapalum imperio et vita privat. I, 6, 3.

Archilochus, poëta, perfectissimus operis sui auctor. I, 5, 2.

Archon primus Atheniensium quis fuerit? I, 2, 4. Archontes perpetui fuerunt usque ad Charopem. *ibid.* decennales quando coeperint? I, 8, 3. quando annui? *ibid.*

Argentum rasile apparatus triumphi Iul. Caesaris materies. II, 56, 2.

Argivus nemo orator. I, 18, 2.

Aricini in civitatem recepti I, 14, 2.

Ariminum colonia condita. I, 14, 7.

Aristodemus, abnepos Herculis, Heraclidarum Peloponnesum invadentium dux. I, 2, 1.

Aristonicus Asiam occupat. II, 4, 1. Crassum Mucianum proconsulem interemerat. *ibid.* victus et captus M. Perperna. *ibid.* II, 38, 5. a M'. Aquilio in triumpho ductus. II, 4, 1.

Aristophanes, comoediae veteris poëta. I, 16, 3.

Aristoteles, Socraticus. I, 16, 4.

Armenia a Pompeio M. bello petita. II, 37, 2. Tigrani in pace relicta. *ibid.* 5. a M. Antonio intrata et rege privata. II, 82, 1 et 3. a Tiberio in potestatem P. R. redacta et Tigrani data. II, 94, 4. 122, 2. a C. Caesare, Agrippae filio, bello petita. II, 102, 2.

Arminius, Sigimeri filius. II, 118, 2.

Artagera, Armeniae urbs. II, 102, 3.

Artavasdes, Armeniae rex, ab Antonio catenis aureis vinctus. II, 82, 3. Artavasdi alii regnum a Tiberio eripitur. II, 94, 4.

Artorius, medicus Octaviani. II, 70, 1.

L. Arruntius pace apud Misenum per Sex. Pompeium reip. restitutus. II, 77, 3. apud Actium laevum classis Octavianae cornu ducit. II, 85, 2. Sosium Octaviano reconciliat. II, 86, 2.

Asculani belli Italici auctores. II, 15, 2.

Asculum a Cn. Pompeio, Magni patre, captum. II, 21, 1.

Asia provincia, ab Attalo populo Rom. hereditate relicta. II, 4, 1. a L. Scipione Africani fratre Antiocho erepta, ab Attalis possessa et a M. Perperna tributaria facta. II, 38, 5.

Asiae imperium ab Assyriis ad Medos translatum. I, 6, 1.

Asinius Pollio orator. II, 36, 2. Pompeianis infestus M. Antonio exercitum tradit. II, 63, 3. praetorius adversus Sex. Pompeium in Hispania bellum gerit. II, 73, 2. M. Antonio deditissimus Venetiam in eius potestate retinet, et Cn. Domitium ei iungit. II, 76, 2. post pacem Brundusinam in Italia se retinet, et nullius se partibus miscet. II, 86, 3. homo novus ad summos honores evectus. II, 128, 3.

L. Asprenas, Vari legatus. II, 120, 1.

Assyrii imperio Asiae a Medis privati. I, 6, 1.

Athenarum rex ultimus Codrus. I, 2, 2. Athenas Pelasgi commigravere. I, 3, 1. Athenis profecti Iones. I, 4, 3. Athenis Olympieum ab Antiocho Epiph. inchoatum. I, 10, 1. Athenae Graecarum civitatum solae eloquentia et ingeniis floruerunt. I, 18, 1. a Sulla Mithridati ereptae. II, 23, 4.

Athenienses Chalcida et Eretriam in Euboea condunt. I, 4, 1. Atheniensium in bello Mithridatico in Romanos fides. II, 23, 4. eorum decretum de oblivione rerum praeteritarum. II, 58, 4.

Atia Iuliae, I. Caesaris sororis, filia. II, 59, 2. Augusti mater. *ibid.* II, 60, 1.

C. Atilius, cos. sub quo Pompeius natus est. II, 53, 4.

Atreus Pelopi patri ludos funebres Olympicos instituit. I, 8, 2.

Attalus Asiam populo R. hereditariam reliquit. II, 4, 1.

Attica fides in proverbium abiit. II, 23, 4.

Attius tragicus Rom. I, 17, 1. II, 9, 3.
Attuarii a Tiberio subacti. II, 105, 1.
Augusta, Liviae cognomen. II, 71, 3.
Augustus (cf. *Octavius*) nascitur Cicerone consule. II, 36, 1. id cognomen sententia Planci accipit. II, 91, 1. signa Rom. a Parthis capta recipit. *ibid.* in eum coniurant L. Murena et Fannius Caepio. *ibid.* 2. et Egnatius Ruf. *ibid.* 3. in Orientem profectus ad ordinandas res. II, 92, 1. Tiberium et Drusum adversus Rhaetos et Vindelicos mittit. II, 95, 1. Caium et Lucium Agrippae filios adoptat. II, 96, 1. in Gallias proficiscitur. II, 97, 1. bellum Germanicum Druso delegat. *ibid.* 2. deinde post Drusi mortem Tiberio. *ibid.* 4. Tiberium ad tribuniciam potestatem evexit. II, 99, 1. consul XIII. Martis ultoris templum dedicat, et ludos gladiatorios et naumachiam edit. II, 100, 2. C. Caesarem in Syriam misit. II, 101, 1. eidem M. Lollium moderatorem iuventutis addit. II, 102, 1. Tiberium, Rhodo reversum, adoptat. II, 103, 1 sqq. et M. Agrippam Postumum. II, 104, 1. Tiberium in Germaniam mittit. *ibid.* 2. bello Pannonico et Delmatico territus. II, 110, 6. exercitum ad id bellum cogit et senatorum equitumque operam exigit. II, 111, 1. Tiberium ad Varianam cladem vindicandam in Germaniam ablegat. II, 120, 1. aequari sibi Tiberium in omnibus a S. P. Q. R. postulat. II, 121, 1. prosequens Tiberium in Illyricum missum, in Campania Nolae obiit. II, 123, 1—3. ante obitum cum Tiberio arcessito de republica colloquitur. *ibid.* 3. ordinationem comitiorum sua manu perscripserat. II, 124, 3. Velleium et eius fratrem ad praeturam commendat. *ibid.* 4. consecratur a Tiberio. *ibid.* II, 126, 1. M. Agrippa et Statilio Tauro adiutoribus usus est. II, 127, 1.
Aurelius Scaurus a Cimbris trucidatus. II, 12, 2.
Auximum, colonia deducta. I, 15, 3.
Aventinus mons, in quo Flaccus, C. Gracchi socius, iugulatus. II, 6, 6.
Avernus lacus, in quo classis adversus Sex. Pompeium fabricatur. II, 79, 2.

B.

Babylon a Nino et Semiramide condita. I, 6, 2.
Bacchi habitus ab Antonio assumptus. II, 82, 4.
Balbi, Corn., ausum temerarium. II, 51, 3.
Balneum a Tiberio in castris ad valetudinem militum adhibitum. II, 114, 2.

Bathinus fluvius. II, 114, 4.
Batones Pannoniorum et Delmatarum duces. II, 110, 4. Bato *(Delmatarum Desitiatum)* se dedit Romanis. II, 114, 4.
Bella civilia XX annos durant. II, 48, 3. 89, 3. eorum damna ab Augusto resarcita. II, 89, 3 sq.
Bellum Actiacum. II, 84—86. Africanum Caesaris adversus Pompeianos. II, 54, 2. 55, 1 sq. sub Tiberio *(adversus Tacfarinatem)*. II, 129, 4. *cf.* 125, 5. Alexandrinum a Iul. Caesare gestum. II, 54, 1. ab Octavio adversus Cleopatram et Antonium. II, 87, 1. Catilinarium. II, 35, 3. Cimbricum et Teutonicum. II, 12, 2—5. civile inter Marium et Sullam. II, 18, 4—23. III, 24, 3—28. inter Caesarem et Pompeium. II, 48, 55. inter Antonium et Octavianum apud Mutinam. II, 60, 5 et 61. inter Sext. Pompeium et Octavianum. II, 79. inter eundem et Lepidum. II, 80. Delmaticum. II, 90, 1. Delmaticum et Pannonicum. II, 110—116. Gallicum sub Caesare. II, 46, 1. 47, 1. Germanicum a Druso. II, 97, 2. a Tiberio. II, 97, 4. 104—107. 121, 1. a Germanico gestum. II, 123, 1. 129, 2. Hispaniense a Scipionibus contra Poenos administratum. II, 38, 4. 90, 2 sq. a Iul. Caesare contra Pompeii legatos. II, 50, 2 sqq. contra Pompeii filios. II, 55, 2 sqq. sub Augusto. II, 38, 4. 90, 1 et 4. Italicum s. sociale. II, 15, 2—17. 29, 1. Iugurthinum. II, 11, 2. 12, 1. Mithridaticum a Sulla gestum. II, 18, 1—3. 23, 3 sqq. a Lucullo. II, 33, 1. a Pompeio M. II, 37, 1 sqq. 40, 1. Nolanum. II, 17, 1. 18, 4. Numantinum. II, 1, 3 sqq. 4, 2 sqq. 90, 3. Pannonicum. II, 96, 2. Pannonicum et Delmaticum. II, 110—116. Parthicum per Crassum gestum. II, 46, 2 sqq. a Iul. Caesare paratum. II, 59, 4. per Antonium. II, 78, 1 sq. 82, 1—4. per C. Caesarem gestum. II, 101, coll. 100, 1. Perusinum. II, 74, 2 sqq. Philippense. II, 70. 71. Piraticum. II, 31. 32. Ponticum cum Pharnace. II, 55, 2. Punicum tertium. I, 12, 2 sqq. Rhaeticum et Vindelicium. II, 95, 2. Sertorianum. II, 29, extr. 30, 1. Spartacium. II, 30, 5. Thracium. II, 98, 1 sq. Viriathicum. II, 1, 3. 90, 3.
Beneventum, colonia deducta. I, 14, 7.
Bibulus collega Caesaris in consulatu II, 44, 5.
Bithynia a Nicomede populo Rom. heredidate relicta. II, 4, 1. 39, 2.
Iun. Blaesus seditionem legionum Illyricarum coërcuit II, 125, 5. proconsul Africae triumphalia et imperatorium nomen meruit. *ibid.* Hispanias in pace continuit. *ibid.*
Bocchus, rex. II, 12, 1.
Boiohoemum, regio, quam colebat Maroboduus. II, 109, 5.

Bononia, colonia deducta I, 15, 2.
Bovillae, circa quas Clodius interfectus est. II, 47, 4.
Britannia, a Caesare bis penetrata. II, 46, 1. 47, 1.
Bructeri a Tiberio subacti. II, 105, 1.
Brundusina pax. II, 76, 3. 86, 3.
Brundusium, colonia deducta. I, 14, 8. huc prosequitur Caesar Pompeium. II, 50, 1.
D. Brutus Gallaeci cognomen meret. II, 5, 1.
D. Brutus inter coniuratos in Caesarem. II, 56, 3. 64, 2. consul designatus. II, 58, 1. 60, 5. cum Planco. II, 63, 3. ei Galliam provinciam decretam Antonius eripere statuit. II, 60, 5. obsidione liberatur. II, 61, 4. triumphus ei decernitur. II, 62, 4. proditus et desertus a Planco. II, 63, 3. 64, 1. iugulatus ab Antonii emissariis. II, 64, 1. 87, 2.
M. Brutus Pharsalica pugna a Caesare servatus. II, 52, 5. auctor coniurationis in Caesarem. II, 56, 3. tum praetor. II, 58, 1. Capitolium cum coniuratis occupat. *ibid.* 2. Antonium a nece servavit. *ibid.* occupat cum Cassio provincias. II, 62, 2. Italiam deserunt. *ibid.* eorum acta a senatu comprobata. *ibid.* 4. a Cicerone laudibus elati. II, 65, 1. C. Antonio et Vatinio legiones extorquet. II, 69, 3. dux magnus. *ibid.* damnatus lege Pedia. *ibid.* 5. Lycios devicit. *ibid.* 6. in Macedoniam traiicit. *ibid.* eius clementia. *ibid.* acie Philippensi Octavii castra capit. II, 70, 1. vincitur et occidi a Stratone se iubet. *ibid.* 4. eius aetas et virtutes. II, 72, 1. cum Cassio comparatur. *ibid.* 2. orator. II, 36, 2.
Buxentum, colonia facta. I, 15, 3.
Byzantium, Milesiorum colonia, urbe genitali potentior. II, 7, 7.

C.

Caeciliae familiae Metellorum claritudo. II, 11, 3.
Caecilius, comicus. I, 17, 1.
A. Caecina Tiberio bello Delmatico et Pannonico auxilia adducit II, 112, 4.
L. Caedicii virtus. II, 120, 2.
Caepio, consul a Cimbris fusus. II, 12, 1.
Caepio, Augusto insidiatur. II, 91, 2.
Caepio, Servilius, Viriathum fraude interimit. II, 1, 3.
Caepionis censoris severitas. II, 10, 1.
C. Caesar Strabo, orator. II, 9, 1.
C. Iulius Caesar, cuius ortus, ingenium et mores laudantur. II, 41, 1 sq. Cinnae gener, Sullam fugit. *ibid.* 2. a piratis

captus quomodo se gesserit. *ibid.* 3. redemptus, piratas privatus aggressus, captos cruci affigit. II, 42, 2 sqq. a Cinna flamen Dialis puer creatus. II, 43, 1. ad pontificatum ineundum Italiam fortissimo ausu petit. *ibid.* 1 sq. acta eius ante consulatum. *ibid.* 3 et 4. accusatio Dolabellae. *ibid.* 3. contentiones cum Q. Catulo imprimis de pontificatu. *ibid.* Marii monumenta in eius aedilitate restituta. *ibid.* 4. proscriptorum liberi in ius dignitatis revocati. *ibid.* eius quaestura et praetura in Hispania. *ibid.* eius consulatus nobilis. II, 41, 1. 44. societatem potentiae cum Pompeio et Crasso init. II, 44, 1 sq. eius lex de agro Campano. *ibid.* 4. Galliae in quinquennium ei decretae. *ibid.* de Cicerone per Clodium oppresso suspectus. II, 45. 2. eius res in Gallia gestae. II, 46, 1. 47, 1. provinciae ei prorogatae. *ibid.* 2. exercitum dimittere iussus. II, 48, 1. pacis condiciones ab eo latae spernuntur. *ibid.* II, 49, 5. C. Curionem, trib. pl., corrumpit. II, 48, 3. Rubiconem transit. II, 49, 5. Domitium, Corfinio capto, dimittit. II, 50, 1. Pompeium persequitur Brundusium. *ibid.* Romam pervenit. *ibid.* 2. Pompeii legatos in Hispania devincit eosque dimittit. *ibid.* 2 sqq. in Graeciam transmittit. II, 51, 1 sqq. eius obsidentis Pompeium inopia. *ibid.* 2. Thessaliam petit et apud Pharsalum confligit. II, 52, 1 sqq. eius clementia in Brutum. *ibid.* 4 sq. consul II. II, 53, 2. Alexandriae bellum gerit, et Pompeii interfectores ad supplicium vocat. II, 54, 1. Pompeii partes in Africa devincit. II, 55, 1. deinde in Hispania. *ibid.* II, 4. atrox eius ibi fortuna. *ibid.* 3 sq. quinque triumphos in Urbe agit et ludos edit. II, 56, 1 sq. interficitur in curia. *ibid.* 3. unde invidia ei illata sit. *ibid.* 4. eius necis praesagia. II, 57, 1 sqq. eius testamentum apertum. II, 59, 1. Octavianum adoptaverat. *ibid.* 60, 1 sq. eius clementia in victos. II, 52, 6. 55, 2. 56, 3. inter oratores. II, 36, 2. statua equestri honoratus. II, 61, 3.

C. Caesar, *Agrippae filius*, ab Augusto adoptatus. II, 96, 1. virilem togam sumit. II, 99, 2. in Syriam missus. II, 101, 1. Tiberium convenit. *ibid.* cum rege Parthorum paciscitur. *ibid.* 2 sq. Armeniam ingreditur. II, 102, 2. per insidias inter colloquium vulneratur. *ibid.* in Lycia moritur. *ibid.* 4.

L. Caesar, *Agrippae filius*, ab Augusto adoptatus. II, 96, 1. viribis maturus sub Tiberii secessum. II, 99, 2. Massiliae moritur. II, 102, 4.

L. Caesar, consul, sub quo bellum sociale erupit. II, 15, 1.

L. Caesar, M. Antonii avunculus, proscriptus ab eodem. II, 67, 5.

Caesetius Flavus, trib. pl. a rep. remotus. II, 68, 4 sq.
Calatiâ Octavianus veteranos excivit. II, 61, 2.
Caldus Coelius, a Germanis captus, se interimit. II, 120, 4.
Cales, colonia deducta. I, 14, 3.
Calidius, orator. II, 36, 2.
Calpurnia, Bestiae filia, interfecto Antistio marito se interficit. II, 26, 3. 88, 4.
Calpurniae, Caesaris uxoris, somnium. II, 57, 2.
Calvus, orator. II, 36, 2.
Camillus, in cuius hospitio D. Brutus interficitur. II, 64, 1.
Campanis civitas data. I, 14, 3. bello Punico ademta. II, 44, 4. colonia a Caesare consule in eorum agrum deducta. *ibid.* ab Augusto suppleta. II, 81, 2. Campani pro agris Caesari concessis novis reditibus et aquae ductu remunerati ab eodem. *ibid.*
Candidati Caesaris. II, 124, 4.
Canidius apud Actium copiarum Antonii terrestrium dux. II, 85, 2. earum desertor. *ibid.* 6. eius exitus Alexandriae. II, 87, extr.
Caninefates. II, 105, 1.
Cannensis pugna. I, 9, 3.
Cannutius, trib. pl. Antonium lacerat. II, 64, 3.
Capito, Velleii patruus, C. Cassii accusator secundarius. II, 69 5.
Capitolinus clivus, ubi Tib. Gracchus occisus. II, 3, 2.
— *Iupiter.* II, 131, 1.
Capitolium, porticu a Scipione Nasica censore ornatum. II, 1, 2. 3, 1. ab interfectoribus Caesaris occupatum. II, 58, 2.
Cappadocia facta stipendiaria. II, 39, 3.
Capua a Tuscis condita. I, 7, 1. quando a Romanis capta. *ibid.* 4. apud eam Sulla vincit. II, 25, 2. in praefecturae formam redacta. II, 44, 4.
Caranus, e Herculis posteris, Argis profectus, Macedoniam occupat. I, 6, 5.
Carbo, trib. pl. II, 4, 4. Papirius, orator. II, 9, 1.
— a Cimbris fusus. II, 12, 2.
— consul, Cinna collega interfecto, solus. II, 24. extr. consul III cum Mario, fil. II, 26, 1. 27, 1.
C. Carbo, praetorius, a Damasippo interfectus. II, 26, 1.
Carinae, ubi Pompeii M. aedes, ab Antonio occupatae. II, 77, 1.
Carnuntum. II, 109, 5.
Carseoli, colonia deducta. I, 14, 5.
Carthago condita. I, 6, 4. diruta a Scipione. I, 12, 5. quamdiu Vellei. Paterc.

steterit. *ibid.* II, 1, 1. quando bella cum ea coeperint et quamdiu duraverint. *ibid.* M. Catonis auctoritate deleta. I, 13, 1. ea deleta disciplina Rom. degenerat. II, 1, 1. prima colonia extra Italiam a C. Graccho condita. I, 15, 4. II, 7, 7. Tyro matre potentior. II, 7, 7.

Carvilius Spurius, novus homo. II, 128, 2.

Cassius censor theatrum molitur. I, 15, 3.

— Longinus, censor severus. II, 10, 1.

C. Cassius, Crassi quaestor, eius legionem e clade servat et Syriam tuetur. II, 46, 4. coniurationis in Caesarem cum Bruto auctor. II, 56, 3. tum praetor. II, 68, 1. Antonium cum Caesare interimendum censuerat. *ibid.* 2. capitolium occupat cum coniuratis. *ibid.* Dolabellam Laodiciae inclusum ad necem adigit. II, 69, 2. accusatus ab Agrippa et Capitone, Velleii patruo. *ibid.* 5. Rhodum capit. *ibid.* 6. contra naturam suam clemens, in Macedoniam traiicit. *ibid.* primo proelio Philippensi liberto se occidendum praebet. II, 70, 2. 87, 3. cum M. Bruto comparatur. II, 72, 2.

Cassius Parmensis occiditur. II, 87, 3.

Castrum, colonia deducta. I, 14, 8.

Catilinae coniuratio a Cicerone aperitur. II, 34, 3. Catilina fortissime dimicans cadit. II, 35, 5.

M. Cato historicus. I, 7, 3. 17, 2. orator. *ibid.* 3. perpetuus Carthaginis diruendae auctor. I, 13, 1. princeps familiae Porciae. II, 35, 2. Tusculanus, homo novus. II, 128, 2.

C. Cato, *praecedentis nepos*, repetundarum damnatus. II, 8, 1.

M. Porcius Cato, *eiusdem nepos*, quo consule Narbo Martius condita I, 15, 5. II, 7, 8.

L. Porcius Cato, *praec. fil.*, consul, bello sociali occisus. II, 16, 4.

M. Cato, *pronepos M. Catonis*, principis familiae. II, 35, 2. trib. pl. in coniurationem Catilinariam invehitur. *ibid.* 3. eius ministerio Cyprus provincia facta. II, 38, 6. a Clodio in Cyprum missus ad spoliandum Ptolemaeum ingentem pecuniam refert. II, 45, 4. sq. eius integritas in ministerio suo et insolentia. *ibid.* 5. Milonem absolvit. II, 47, 5. a Caesare nullas condiciones reipubl. accipiendas censet. II, 49, 4. Pompeianorum copias in Africa auget, et imperium oblatum respuit. II, 54, 3. eius filius in acie Philippensi cecidit. II, 71, 2.

Catullus, poeta. II, 36, 2.

Q. Lutatius Catulus, proconsul Cimbros cum Mario vincit. II, 12, 5. eius mors voluntaria. II, 22, 4.

Q. Catulus, *praecedentis filius*, eius auctoritas dissuadentis legem Gabiniam, et verecundia. II, 32, 1 sq. eius contentiones cum C. I. Caesare. II, 43, 3. a Caesare petitione pontificatus max. victus. *ibid.* princeps senatus. *ibid.* ante bellum civile fatali morte fungitur. II, 49, 1.
Cauchorum nationes a Tiberio victae. II, 6, 1.
Caudini. II, 1, 5.
Ceionius, praefectus castrorum Vari. II, 119, 4.
Censendi causa cives ex provinciis in Italiam revocati. II, 7, 7.
Censoris frater senatu motus a censoribus. II, 10, 5.
Censura aspera Fulvii Flacci et Postumii Albini. I, 10, 6. Cassii Longini et Caepionis. II, 10, 1. Planci et Paulli. II, 95, 2.
Census senatorum a Tiberio expletus II, 129, 3.
Cerealium sacrorum sonus. I, 4, 1.
Cethegus coniurationis Catilinariae particeps. II, 34, 3.
Chalcis in Euboea ab Atheniensibus condita. I, 4, 1.
Charops, primus Archontum decennalium. I, 2, 4. 8, 3.
Cherusci a Tiberio victi. II, 105, 1.
Chios ab Ionibus condita. I, 4, 3.
M. Tullius Cicero, princeps oratorum Rom. I, 17, 3. II, 34, 3. 36, 2. 64, 3. 66, 2. homo novus. II, 34, 3. 128, 3. consul Catilinariam coniurationem aperuit. II, 34, 3. eius virtus a M. Catone laudata. II, 35, 4. eo consule Augustus natus. II, 36, 1. lege Clodii in exilium pulsus. II, 45, 1 sq. offenderat Caesarem, quod inter XXviros agro Campano dividendo esse noluerat. *ibid.* 2. Caesar et Pompeius Ciceronis oppressi suspecti. *ibid.* a Pompeio per Annium Milonem restitutus. *ibid.* 3. domus eius in Palatio. II, 14, 3. a Clodio disiecta, a senatu restituta. II, 45, 3. cavet concordiae inter Caesarem et Pompeium. II, 48, 4. post Caesaris necem amnestiam suadet. II, 58, 4. Octaviano honores decernendi auctor. II, 62, 1. eius amor Pompeianarum partium. *ibid.* 6. eius ambigue dictum de Octaviano. *ibid.* eius actiones in Antonium. II, 64, 3. eius sanguine finita proscriptio. II, 64, 4. proscriptus et necatus Antonii scelere. II, 66, 2. eius laudes. II, 66, 3 sqq. eius auctoritas summa in republica. II, 128, 3.
Cilicia provincia facta. II, 37, 2.
Cimbri *ac* Teutoni Rhenum transcendunt. II, 8, 2. bellum inferunt. II, 12, 2. caesi a Mario. *ibid.* 4.
Cinna novos cives ex Italis in omnes tribus distribuit. II, 20, 2. ei pulso ex urbe consulatus abrogatur. *ibid.* 5. cum Cn. Pompeio confligit. II, 21, 3. Urbem occupat et de Mario recipiendo

legem fert. *ibid.* 6. caedem optimorum in Urbe parat. II, 22, 2 sqq. consul II cum Mario. II, 23, 1. in Italia dominatur. *ibid.* 3. seditione militum interimitur. II, 24, 5.

Circenses ludi a Sulla in memoriam victoriae de Mario filio instituti. II, 27, 6.

Circus, in quo Cn. Octavius porticum molitus est. II, 1, 2.

Citrus, apparatus triumphi Gallici Caesaris materia. II, 56, 2.

Civitas sine suffragio data parti Samnitium. I, 14, 3. Sabinis. *ibid.* 6. iisdem cum suffragio. *ibid.* 7. Italicis. II, 16, 4. viritim Minatio Magio. *ibid.* 3. Campanis a Caesare restituta. II, 44, 4.

Ti. Claudius Nero, *Tiberii Caesaris pater*, bellum Campanum ciet. II, 75, 1. ad Sex. Pompeium in Siciliam cum Livia et Tiberio bimo profugit. *ibid.* 3. per Pompeium pace Misenensi restitutus. II, 77, 3. Liviam uxorem despondet Octaviano II, 79, 2.

Ti. Claudius Nero, *praec. filius*, bimus a parentibus, e bello Campano profugientibus, Siciliam pervehitur. II, 75, 3. eo trimo Livia mater Augusto nubit. II, 94, 1. eius educatio, forma et ingenium. *ibid.* 2. quaestor, XIX. annos natus, annonam administrat. *ibid.* 3. in Orientem missus Tigranem in Armeniae regnum instituit. *ibid.* 4. adiutor Claudio Druso datus, Rhaetos et Vindelicos perdomat. II, 95, 1 sq. Agrippae gener. II, 96, 1. Iuliam, Agrippae viduam, ducit. *ibid.* bellum Pannonicum gerit. *ibid.* 2 sq. ovans ex eo triumphat. *ibid.* 3. post Drusi obitum bellum Germanicum gerit fortiter, et ex eo consul II. triumphat. II, 79, 4. tribuniciae potestatis consors. II, 99, 1. Rhodum secedit, et quibus de caussis. *ibid.* 2 sq. luctus civitatis ob Tiberium secedentem. *ibid.* 3. honos ei per septem annos Rhodi habitus, *ibid.* 4. a Cn. Caesare in Orientem misso observatur. II, 101, 1. reversus Rhodo ab Augusto adoptatur. II, 103, 1 sqq. 104, 1. spes civitatis de eo concepta. II, 103, 4 sq. rursus in Germaniam mittitur. II, 104, 2. in itinere et ab exercitu alacriter excipitur. *ibid.* 3 sq. res in Germania gestae. II, 105, 1 sqq. per hiemem Romam redux. *ibid.* 3. res aestate sequenti in Germania gestae. II, 106 et 107. victor redit. II, 107, 3. bellum adversus Maroboduum parat. II, 109, 5. 110, 1. bellum Pannonicum et Delmaticum ei committitur. II, 111, 2. res in eo gestae. *ibid.* 4. 112, 3. 113, 1 sqq. 114, 4. 115. utilia speciosis praefert. II, 113, 2. eius humanitas et disciplina. II, 114, 1—3. post Varianam cladem in Germaniam denuo mittitur. II, 120, 6. Gal-

lias pacat. II, 121, 1. aequum ei cum Augusto imperium in provinciis et exercitibus decernitur. *ibid.* 1 sq. ex Pannoniis et Delmatis triumphat. *ibid.* 2. tribus triumphis, pro septem meritis, contentus fuit. II, 122, 1 sqq. eius temperantia honorum. *ibid.* 4. in Illyricum firmandum missum Augustus prosequitur. II, 123, 1 sq. revocatus Augusti morientis mandata accipit. *ibid.* 2 sq. imperium recusat. II, 124, 2. Augustum consecrat. *ibid.* 3. 126, 1. comitia ordinat. II, 124, 3. Velleium ad praeturam commendat. *ibid.* 4. legionum seditiones per Germanicum et Drusum fil. comprimit. II, 125, 1—4. respublica in melius formata. II, 126. Seianum extollit. II, 127 et 128. consilia eius contra externos hostes. II, 129, 1 sqq. iudex gravis. *ibid.* 2. pius et munificus in Germanicum. *ibid.* 2 sq. liberalis in populum et senatores egenos. *ibid.* 3. aedificia ab eo exstructa. II, 130, 1. liberalitas in Montis Coelii incensi incolas. *ibid.* 2. supplementum legionum providet. *ibid.* adversa eius fortuna. *ibid.* 3—5. vota pro eo Velleii II, 131.

Claudius mons. II, 112, 3.

Clazomenae, ab Ionibus conditae. II, 4, 3.

Cleopatra M. Antonium amore sui incendit. II, 82, 4. a. Cn. Domitio solo regina non salutata. II, 84, 3. apud Actium prima fugam occupat. II, 85, 3. aspidis morsu occidit. II, 87, 1.

P. Clodius, eius indoles et mores. II, 45, 1 sqq. a Milone iugulatur. II, 47, 4.

Clusium, apud quod Mariani fusi. II, 28, 1.

Cocles, eius fortitudo. II, 6, 6.

Codrus morte voluntaria suis victoriam parat. II, 2, 2 sq.

M. Coelii ingenium et mores, seditio in Caesarem et exitus. II, 68, 1 sqq.

Coelius, mons incensus. II, 130, 2.

Coelius, historicus. II, 9, 6.

Coelius, orator. II, 36, 2.

Colchi, a Pompeio M. victi. II, 40, 1.

Collina porta, ad quam cum Pontio Telesino Sulla acriter dimicavit. II, 27, 1.

Coloniae senatus iussu deductae per Italiam enumerantur cum temporis notatione. I, 14 et 15. militares. I, 14, 1. extra Italiam. I, 15, 4 sq. eaeque perniciosae. II, 7, 7.

Colophon, ab Ionibus condita. I, 4, 3.

Comitia gladiis et caede discussa. II, 52, 6. ex Augusti praescripto ordinantur a Tiberio. II, 124, 3.

Comoediae veteris et novae Graecorum poëtae. I, 16, 3.
Compsa in Hirpinis a Milone oppugnata. II, 68, 3. a Minatio Magio in bello sociali occupata. II, 16, 3.
Congiaria populo data a Tiberio. II, 129, 3.
Coniurati in Caesarem de se bene meritum. II, 52, 5. 56, 3. Capitolium occupant. II, 58, 2. inde descendunt. *ibid.* 3. lege Pedia damnati. II, 69, 5. nonnullorum exitus. II, 87, 2 sq. coll. II, 64, 1. 69, 1.
Consecratio Augusti. II, 126, 1.
Consul Romanus primus a militibus suis interfectus. II, 20, 1. solus Pompeius. II, 47, 3.
Consulatus Marii multiplicati. II, 12, 3 sqq. undecim Augusti continuati. II, 89, 5.
Contio extra urbem ante triumphi diem ad commemoranda Imperatoris acta. I, 10, 4.
Contrebia, in Hispania a C. Metello Macedonico oppugnata. II, 5, 2.
Coponii dictum in Plancum. II, 83, 4.
Corfinium caput imperii ab Italis lectum et Italica dictum. II, 16, 4. a Caesare bello civili captum. II, 50, 1.
Corinthia, scil. vasa. I, 13, 5.
Corinthus, olim *Ephyre* dicta. I, 3, 3. ab Alete condita. *ibid.* eversa a Mummio. I, 13, 1. Syracusas condidit. II, 7, 7. ab Agrippa occupata. II, 84, 3.
Cornelia, Africani filia, Gracchorum mater. II, 7, 1.
— Pompeii magni uxor. II, 53, 2.
L. Cornelius Merula, flamen Dialis, in Cinnae consulis locum suffectus. II, 20, 3. consulatu se abdicat, et Cinnae iussu interficitur. II, 22, 2.
Cornelius Rufinus, e maioribus Sullae, bello Pyrrhi dux celeberrimus. II, 17, 2.
P. Cornelius Sulla, consul. II, 17, 1. iudicium de eius moribus. *ibid.* II, 25, 3. familia nobili ortus. II, 17, 2. quaestor C. Marii Iugurtha potitur. II, 12, 1. eiusdem legatus in Gallia. II, 17, 3. post praeturam bello Italico illustratus. *ibid.* XLIX annos agens consul factus. *ibid.* Asiam provinciam et bellum Mithridaticum sortitus. II, 18, 3. circa Nolam et belli Italici reliquias moranti imperium a P. Sulpicio abrogatur. *ibid.* 4. sqq. ad Urbem redux Marium et Sulpicium cum sociis exturbat. II, 19, 1. nobiles Marii et Cinnae dominationem fugientes in Achaia recipit. II, 23, 3. Mithridatis praefectos fundit, Athenas recipit. *ibid.* in Asiam transgressus Mithri-

dati graves pacis leges imponit. *ibid.* 6. ei a magis e corporis notis felicitas futura praedicitur. II, 24, 3. Italiam summa cum quiete et cura omnium rerum peragrat, pacemque tentat. II, 25, 1. eius exercitus auctus. *ibid.* 2. superat circa Capuam Scipionem et Norbanum prioremque dimittit. *ibid.* sui dissimilis ante et post victoriam. *ibid.* II, 17, 1. Sertorium dimisit. II, 25, 3. Dianae Tifatinae grates persolvit. *ibid.* 4. Marium filium ad Sacriportum vincit. II, 26, 1. cum Pontio Telesino ad portam Collinam acerrime dimicat. II, 27, 1 sq. Telesini caput abscisum circa Praeneste ferri iussit. *ibid.* 3. Mario filio in cuniculis Praenestinis interempto, Felicis nomen assumit. *ibid.* 4 sq. victoriae suae memoriam ludis institutis honorat. *ibid.* 6. dictator factus crudelitatem immodicam exercet. II, 28, 2 sqq. proscriptionem invenit. *ibid.* 3. II, 66, 1. tribuniciam potestatem imminuit. II, 30, 4. statua equestri honoratus. II, 61, 3.

Cornificius, Octavii legatus. II, 79, 4.

Corona aurea Antonius velatus in imitationem Bacchi. II, 82, 4. classica Agrippae data. II, 81, 3. laurea Pompeio decreta. II, 40, 4. murali Scipio Africanus minor donatus. I, 12, 4. et obsidionali. *ibid.*

Ti. Coruncanius, homo novus, et pontifex maximus. II, 128, 1.

Corvinus, vide Messala.

Cosa, colonia deducta. I, 14, 7.

Cossus in Africa triumphalia et filio cognomen meruit. II, 116, 2.

Cothurnus in Bacchi habitu. II, 82, 4.

Cotta iudicandi munus aequaliter inter utrumque ordinem partitus est. II, 32, 3.

Cotta, orator. II, 36, 2.

Cotta, Messalini frater. II, 112, 2.

Cotys, Thraciae rex, a Rhascupoli patruo interemptus. II, 129, 1.

Crassus Mucianus, iuris scientissimus, ab Aristonico interemptus. II, 4, 1.

C. Crassus, orator. II, 9, 1. 36, 2.

M. Crassus bellum Spartacium patrat. II, 30, 6. societatem potentiae cum Caesare et Pompeio init. II, 44, 1 sq. consul iterum cum Pompeio. II, 46, 1. Syria ei bellum Parthicum molienti decreta. *ibid.* 2. eius mores. *ibid.* in bellum proficiscens diris exsecratur. II, 46, 3. eius clades et exitus. *ibid.* 4. 82, 2. 91, 1. 119, 1.

P. Crassus, orator. I, 17, 3.

Cratinus, veteris comoediae poëta. I, 16, 3.

Cremona, colonia deducta. I, 14, 8.
Creon, primus Archon annuus. I, 8, 4.
Cresphontes, Heraclidarum Peloponnesum invadentium dux. I, 2, 1.
Creta, ab Agamemnone tribus urbibus condita. I, 1, 2. a Q. Metello in populi Rom. potestatem redacta. II, 34, 1. 38, 6. eius reditus coloniae Campanae Augusti concessi. II, 81, 2.
Cretenses velocitate, patientia, sagittarumque usu celebres. II, 34, 1.
Crispinus, Quinctius, Iuliae adulter. II, 100, 5.
Crispus Marcius Cassio legiones tradit. II, 69, 2.
Crocota vestis Baccho propria. II, 82, 4.
Cumae in Italia a Chalcidensibus conditae. I, 2, 1. Neapolin condidere. *ibid.* 2.
Cuniculi Praenestis urbis. II, 27, 4.
Curia Hostilia. II, 12, 5. 26, 2.
C. Curio, trib. pl. bello civili facem subiecit. II, 48, 3 sq. eius ingenium et mores. *ibid.* in Africa pro Caesare dimicans interficitur. II, 55, 1.
Cyme ab Aeoliis in Asia condita. I, 4, 4.
Cyprus a Teucro Salamina coloniam excepit. I, 1, 1. provincia facta ministerio Catonis. II, 38, 6. 45, 4.
Cyzicus Milesiorum colonia. II, 7, 7. obsidione Mithridatis a Lucullo liberatur. II, 33, 1.

D.

Dalmatia, vid. Delmatia.
Damasippus, praetor clarissimos viros trucidat. II, 26, 2.
Danubius. II, 110, 1.
Dellius, bellorum civilium desultor. II, 84, 3.
Delmatia provincia facta. II, 39, 3. CCXX annos rebellis ab Augusto pacata. II, 90, 1. rebellat. II, 110, 2. a Tiberio debellata. II, 115.
Delus ab Ionibus occupata. I, 4, 3.
Desitiates Delmatae. II, 115, 4.
Dianae Tifatinae sacrata regio a Sulla ob victoriam grates agente. II, 25, 4.
Dictatoris imperium per CXX annos cessavit. II, 28, 2.
T. Didius Herculaneum capit cum Minatio Magio in bello sociali. II, 16, 2.
Dido, Elissae Tyriae, Carthaginem condenti, nomen a nonnullis inditum. I, 6, 4.
Diphilus poëta comoediae novae Graecorum. I, 16. 3.

Dolabella, Cn. Cornel., a Caesare accusatus. II, 43, 3.
Dolabella, Cn. consul. II, 58, 3. Syriam sibi decernit. II, 60, 5. C. Trebonium occidit. II, 69, 1. inclusus a Cassio Laodiciae ad necem adigitur. *ibid.* 2.
Dolabella, P. Cornel. Illyrico maritimo praeest. II, 125, 5.
Domitiae familiae felicitas. II, 10, 3.
Cn. Domitii, Ahenobarbi, ex Arvernis victoria. II, 10, 2.
Cn. Domitius, *praeced. fil.*, tribunus plebis legem de sacerdotiis tulit. II, 12, 3.
L. Domitius, *praeced. frater*, a Damasippo trucidatus. II, 26, 2.
L. Domitius, *praeced. fil.*, Corfinii a Caesare captus et dimissus. II, 50, 1.
Cn. Domitius, *praeced. fil.*, post aciem Philippensem, occupatis navibus suarum partium dux. II, 72, 3. 76, 2. Antonio se iunxit. II, 76, 2. Cleopatram non adulatus ad Octavianum transmisit. II, 84, 3.
L. Domitius, *praeced. fil.*, II, 72, 3.
Cn. Domitius, *praeced. fil.*, II, 10, 3. 72, 3.
Cn. Domitius Calvinus, proconsul Hispaniae ob severam disciplinam militarem laudatus. II, 78, 3.
M. Livius Drusus trib. pl. iudicia ab equitibus ad senatum transferre studet. II, 13, 2. habet senatum adversarium. *ibid.* ad dandam civitatem Italis se convertit. II, 14, 1. per insidias occiditur. *ibid.* 2. eius ingenium et mores. II, 13, 1. 14, 3. eius mors bellum Italicum excitavit. II, 15, 1.
L. Livius Drusus Claudianus, *Liviae pater*, post proelium Philippense se interemit. II, 71, 3. Claudianus. II, 75, 3.
Claudius Drusus, *Tiberii Imp. frater*, in Augusti domo natus. II, 95, 1. Rhaetos et Vindelicos domat. II, 95, 2. bellum Germanicum gerit. II, 97, 2. eius indoles. *ibid.* 2 sq. eius mors. *ibid.*
Drusus, *Tiberii filius*, seditionem legionum Illyricarum coërcet, II, 125, 4. filium amittit. II, 130, 3.
Drusus Libo coniurat in Tiberium. II, 130, 3.
Duumvir Minturnensis, Marium in carcerem ducit. II, 19, 2.
Dynastae Asiae Pompeio M. auxilia miserunt. II, 51, 1.
Dyrrhachium Pompeius transmisit. II, 49, 5. eius vicina regio eiusdem castris tenetur. II, 51. 1. circa eam urbem Vatinio M. Brutus legiones extorsit. II, 69, 3.

E.

Ebur in apparatu triumphi Africi Iul. Caesaris adhibitum. II, 56, 2.

L. Eggius, praefectus castrorum Vari in Germania, clarum exemplum in clade Variana dedit. II, 119, 4.
Egnatius Rufus, aedilis favorem populi nactus, continuo ad praeturam evehitur. II, 91, 3. eius mores et pestifera consilia. *ibid.* 4. nomen inter candidatos consulatus profiteri a Sentio Saturnino consule prohibetur. II, 92.
Electra, Orestis soror, eiusque consiliorum socia. I, 1, 3.
Elephantorum certamen a Iul. Caesare triumphante editum. II, 56, 1.
Elissa Tyria, a nonnullis Dido dicta, Carthaginem condit. I, 6, 4.
Ephesus ab Ionibus condita. I, 4, 3.
Ephyra in Thesprotia a Phidippo occupata. I, 1, 1. Ephyre, deinde Corinthus dicta. I, 3, 3.
Epirus, a Pyrrho, Achillis filio, occupata. I, 1, 1.
Eporedia colonia deducta. I, 15, 5.
Epulae a I. Caesare victore populo datae. II, 56, 1. a Sex. Pompeio post pacem circa Misenum. II, 77, 1. a Caio Caesare Parthorum regi. II, 101, 3.
Equestris statua. vid. Statua.
Equitibus in theatro loca restituta. II, 32, 3. De iudiciis ad equites translatis vid. Iudicia.
Eretria in Euboea Atheniensium colonia. I, 4, 1.
Erythrae ab Ionibus conditae. I, 4, 3.
Eryxias ultimus Archontum decennalium. I, 8, 3.
Etrusci Romae recens conditae infensi. I, 8, 5.
Eumenes rex Pergami, medius animo inter Perseum et Romanos. I, 9, 2.
Euphraten Crassus transgressus est. II, 46, 4. in insula Euphratis Caius Caesar cum rege Parthorum ad colloquium coiit. II, 101, 1.
Eupolis poëta veteris Graecorum comoediae. I, 16, 3.
Euporus C. Gracchum dominum iussus interimit et deinde se ipsum. II, 6, 6.
Euripides tragicus. I, 16, 3.

F.

Q. Fabius Maximus, Aemilii Pauli filius. I, 10, 3. eius disciplina in Hispania. II, 5, 3.
Q. Fabius Max. Allobrogicus, *praeced. fil.*, II, 10, 2. 39, 1.
Fabrateria, colonia deducta. I, 15, 4.

C. Fannius, orator. I, 17, 3. II, 9, 1.
Fannius Caepio in Augustum coniurat. II, 91, 2.
Faventia, Metelli Pii victoria de Marianis et Cinnanis clara. II, 28, 1.
Favonius, praetorius, Pompeii M. comes in fuga. II, 53, 1.
Felix, cognomen a Sulla assumptum. II, 27, 5.
Fetiales Hostilium Mancinum Numantinis dedunt. II, 1, 5.
Fidentia M. Luculli de Marianis partibus victoria nobilis. II, 28, 1.
Cn. Flavius Fimbria Valerium Flaccum interimit, eius exercitum occupat. II, 24, 1. Mithridatem pellit. *ibid.* se ipsum interficit. *ibid.*
Firmum colonis occupata. I, 14, 8.
Flamen Dialis. II, 20, 3. 22, 2. 43, 1.
Flavus Caesetius, trib. pl. intempestive liber in Caesarem, censoria nota a rep. submotus. II, 68, 4 sq.
Floralium ludorum initium. I, 14, 8.
Foedus turpe Q. Pompeii et Mancini cum Numantinis. II, 1, 4. rescissum. *ibid.* 5. II, 90, 3.
Fonteius, legatus Servii propraetoris, ab Asculanis occisus. II, 15, 2.
Formiani in civitatem recepti. I, 14, 4.
Forum Augusti titulis victarum gentium praenitens. II, 38, 2.
Fratrum una triumphantium, aliorum una consulum, aliorum aedilium, exempla. II, 8, 2.
Fregellae ab Opimio excisae. II, 6, 4.
Fregenae colonia deducta. I, 14, 8.
Fulvia, M. Antonii uxor, tumultum excitat. II, 74, 3. Italiam excedere eam passus est Octavianus. II, 76, 2.
Q. Fulvius Flaccus Capuam cepit. II, 8, 2. Eius filii collegae in consulatu. *ibid.*
Q. Fulvii Flacci, *praeced. fil.*, censura aspera. I, 10, 5.
Cn. Fulvius Fl., a fratre censore senatu motus. I, 10, 5.
M. Fulvius Flaccus, consularis et triumphalis, cum. C. Graccho IIIvir, ab Opimio caesus. II, 6, 4 sqq.
Q. Fulvius Fl., *praeced. fil.*, legatus ad Opimium de pace missus, ab eodem in carcere necatus. II, 7, 2.
M. Fulvius Nobilior, consul. I, 15, 2. Aetoliam subegit. II, 38, 5.
Fundani in civitatem recepti. I, 14, 4.
Fustuarium, militis fugacis ex acie poena. II, 78, 3.

G.

A. Gabinii trib. pleb. lex de Cn. Pompeio contra piratas cum imperio extraordinario mittendo. II, 31, 2.
Gades a Tyriis condita. I, 2, 5.
Ser. Galba, orator. I, 17, 3. II, 9, 1.
Gallaecus, vid. D. Brutus.
Galliae primum intratae a Domitio et Fabio. II, 39, 1. a Caesare stipendiariae factae. *ibid.* in quinquennium Caesari decretae. II, 44, 5. eidem in idem temporis spatium prorogatae. II, 46, 2. ab Augusto visitatae. II, 97, 1. a Tiberio firmatae. II, 120, 5. earum seditio ab eodem composita. II, 121, 1. 129, 3.
Gallici triumphi I. Caesaris apparatus e citro. II, 56, 2.
Gallograecia a Manlio Vulsone domita. II, 39, 2.
Gallorum a Iul. Caesare et caesorum et captorum numerus. II, 47, 1.
Gentius Illyricorum rex in triumpho ductus. I, 9, 5.
Germani M. Lollium clade afficiunt. II, 97, 1. rebellant. II, 100, 1. eorum feritas. II, 106, 2. 117, 1. 119, 5. Varum clade afficiunt. II, 117 sqq. a Varo contempti. *ibid.* 3. versuti insidias Varo struunt. II, 118, 1. Vari corpus semiustum lacerant. II, 119, 5.
Germani senis visendi Tiberii cupido. II, 107, 1. sq.
Germanici virtus in bello Delmatico. II, 116, 1. in Germaniam mittitur. II, 123, 1. seditionem legionum Germanicarum coërcet. II, 125, 4. imbutus rudimentis militiae sub Tiberio. II, 129, 2. Germaniae domitor triumpho honoratus. *ibid.* in transmarinas provincias mittitur. *ibid.* 3.
Germanus, servus publicus Minturnensium, ad Marium necandum missus. II, 19, 3.
Geticum bellum a Iul. Caesare paratum. II, 59, 4.
Gladiatorius ludus Capuae. II, 30, 5. gladiatorium munus Caesaris in triumpho. II, 56, 1. Augusti. II, 100, 2.
Gladiatorum manus e ludo Capuae, duce Spartaco, erumpentes. II, 30, 5. ab interfectoribus Caesaris collectae. II, 58, 2.
Glaucia, vid. Servilius.
Glaucum saltavit Plancus. II, 83, 2.
Tib. Gracchus, trib. pleb., eius genus, ingenium et mores. II, 2, 1 sq. quaestor et sponsor foederis Mancini. *ibid.* 1. eius actiones tribuniciae. *ibid.* a. P. Scipione Nasica oppressus. II, 3, 1 sq.
C. Gracchi fratris, ingenium et mores. II, 6, 1. eius actiones et leges. *ibid.* 3. de regali potentia affectata suspectus. *ibid.* 4.

a L. Opimio oppressus. *ibid.* 4. sqq. eius leges de coloniis extra Italiam deducendis diiudicatae. II, 7, 7.

Gracchi *fratres* male ingeniis usi, alias facile principes in civitate. II, 7, 1. coll. II, 6, 2. oratores. I, 17, 3. II, 9, 1. coll. II, 6, 1.

Gradivus Mars, auctor Rom. nominis. II, 131, 1.

Graecia concussa motibus per Heraclidas. I, 3, 1. Graecarum literarum in singulis generibus perfectio angusto temporis spatio inclusa. I, 16, 3. sqq.

Grammatici eminentes artissimo temporis spatio. I, 17, 4.

Granicus fluvius, ad quem equites Alexandri ceciderunt. I, 11, 4.

Gravisca, colonia deducta. I, 15, 2.

H.

Hannibal castra intra tertium lapidem a Roma habuit. II, 27, 3. eius odium in Romanos. II, 18, 1.

Haruspex Tuscus, Fulvio Flacco se necandi exemplum praebet. II, 7, 2. Haruspices Caesarem de nece instante monent. II, 51, 2.

Hedera coronatus M. Antonius in Bacchi imitationem. II, 82, 4.

Helena, Melenai uxor, Hermiones mater. I, 1, 3.

Heniochi, ad Pontum Euxinum habitantes. II, 40, 1.

Heraclidae a Pelopidis e Peloponneso pulsi. I, 2, 1.

Herculaneum bello sociali captum. II, 17, 2.

Hercules quando inter Deos relatus. I, 2, 1. in Olympiorum certaminum quovis genere victor. I, 8, 2.

Hercynia silva. II, 108, 1. 109, 5.

Herius Asinius inter Italorum duces. II, 16, 1.

Hermione, Menelai et Helenae filia. I, 1, 3.

Hermunduri. II, 106, 2.

Hesiodi laus et aetas. I, 7, 1.

Hiberia, Asiae. II, 40, 1.

Hippocles, Atticus, Chalcidensium, qui Cumas in Italia condiderunt, dux. I, 4, 1.

Hippotes, Aletis Corinthi conditoris, pater. I, 3, 3.

Hirpini. II, 16, 2. 68, 3.

Hirtius in acie moritur. II, 61, 4.

Hispania universa provincia facta. II, 38, 4. et quidem ab Augusto. *ibid.* II, 90, 4. intrata primum a. Cn. et P. Scipionibus. II, 38, 4. 90, 2. varie exercuit Romanos, iisque damnum ingens intulit. II, 1, 3. 38, 4. 90, 2 sq. Hispaniae Pompeio decretae. II, 48, 4.

Historici Romanorum nobiles intra LXXX annos floruerunt I, 17, 2.
Histrionibus Romae iudicium reddebatur. II, 28, 3.
Homeri laus et aetas. I, 5. an caecus fuerit? *ibid.* 3. vocat quaedam loca nominibus suae aetatis. I, 3, 3.
Q. Hortensius, orator. II, 36, 2. eius Annales. II, 16, 3. eius mors opportuna ante bellorum civilium initium. II, 49, 1.
Hortensius, *praeced. fil.* in proelio Philippensi cadit. II, 71, 2.
Horti Pompeiani a M. Antonio habitati. II, 60, 3.
Hostilia curia. vid. Curia.
Hostilius Mancinus turpe foedus cum Numantinis init. II, 14. 90, 3.

I.

Ianus Geminus quoties clausus. II, 38, 3.
Icarium mare. I, 4, 3.
Ignes perpetui Vestae. II, 131. 1.
Illyricum per Tiberium provincia facta. II, 39, 3.
Imperatoris nomen ab exercitu datum. II, 24, 1. 59, 2. sub Augusto Iunio Blaeso inditum. II, 125, 5.
Imperium summum a militibus delatum duci. II, 54, 3. severum Q. Metelli Macedonici in Hispania. II, 51, 2.
Insteius Cato, Italicorum dux. II, 16, 1.
Interamna, colonia deducta. I, 14, 4.
Ion, dux Ionum ex Attica in Asiam migrantium. I, 4, 3.
Ionia. I, 4, 3.
Iphitus, auctor Olympiorum, et quando? I, 8, 1.
Isocratis eiusque auditorum florentissima oratorum Graecorum aetas. I, 16, 5.
Italica. vid. Corfinium.
Italicum bellum. vid. Bellum. eius caussae. II, 15, 2 sq. duces Romanorum in eo. *ibid.* 4. II, 16, 2 et 4. Italicorum duces. II, 16, 1. eius fortuna. *ibid.* 4. quomodo compositum. *ibid.* II, 17, 1.
Iuba fidelissimus Pompeianarum partium. II, 53, 1. bellum Africum ciet. II, 54, 2.
Iudices CCCLX. a Pompeio M. lecti. II, 76, 1.
Iudicia publica a senatu ad equites translata a C. Graccho. II, 6, 3. 13, 2. eorum saevitia. *ibid.* II, 7, 3. eorum severitas. II, 8, 1. M. Livius Drusus ea ab equitibus ad senatum transferre tentat. II, 13, 2. a Sulla ad senatum translata. II, 32, 3. lege Aurelii Cottae inter utrumque ordinem divisa. *ibid.*

Iugera, quot habere licebat ex lege Licinia et Sempronia C. Gracchi. II, 6, 2.

Iugurtha bello Numantino sub Africano militavit. II, 9, 4. bis a Metello fusus. II, 11, 2. captus et in triumpho ductus. II, 12, 1.

Iulia, *Caesaris filia*, Pompeio M. nupta. II, 44, 3. concordiae inter Caesarem et Pompeium pignus obit. II, 47, 2.

Iulia, *Augusti filia*, Marcelli, et post huius obitum Agrippae uxor. II, 92, 3. post Agrippae mortem Tiberio nupta. II, 96, 1. eius libido et vita dissoluta. II, 100, 3. eius adulteri poenas dant. *ibid.* 4 sq. in insulam relegatur. *ibid.* 5.

Iulia Augusta, h. e. Livia. II, 71, 3.

Iuliorum familia nobilissima et antiquissima. II, 41, 1.

Iulius Antonius. vid. Antonius.

Iulius Caesar. vid. Caesar.

Iulius Florus, Galliarum seditionis auctor, a Tiberio compressus. II, 129.

Iunia, Bruti soror, M. Lepidi IIIviri uxor. II, 88, 1.

Iunius, Asiae proconsul, Iul. Caesari supplicium de piratis sumendum negat. II, 42, 3.

Iunius Blaesus. vid. Blaesus.

Iupiter Capitolinus. II, 130.

Ius senatorii ordinis et petendorum honorum proscriptorum liberis a Sulla ademptum. II, 28, 4. a Caesare restitutum. II, 43, 4.

Iuventinus Laterensis, Lepido contra consilium suum cum Antonio iuncto, se gladio transfigit. II, 63, 2.

L.

T. Labienus, trib. pl. de honorando Pompeio M. legem tulit. II, 40, 4. acie Mundensi perit. II, 55, 4.

Labienus, *praeced. fil*, post proelium Philippense ad Parthos profugus, cum his Asiam concutiens, a Venditio oppressus est. II, 78, 1.

Lacedaemonii Magnesiam (ad Maeandrum) in Asia condunt. I, 4, 1. sub Lycurgi legibus et disciplina floruerunt. I, 6, 3. Lacedaemonius nullus orator. I, 18, 2.

Laconica, unde Achaei pulsi. I, 3, 1.

Laelii duo Scipionum amici. II, 127, 1.

Laelius, orator. I, 17, 3. II, 9, 1.

Laenas. vid. M. Popilius.

P. Laenas, trib. pl. Sext. Lucilium de Saxo Tarpeio deiecit. II, 24, 2.

Langobardi fracti per Tiberium. II, 106, 2.
Laodicia Syriae expugnata a Cassio. II, 69, 2.
Larissa Asiae ab Aeoliis condita. I, 4, 4.
Lasthenes dux Cretensium Romanos per triennium fatigat. II, 34, 1.
Laurentinae paludes, in quibus P. Sulpicius a Sullae equitibus iugulatus est. II, 19, 1.
Lebedus ab Ionibus condita. I, 4, 3.
Lectica Tiberii aegrotantibus ducibus in bello Pannonico publicata. II, 114, 2.
Legatus Caesaris pro consule s. praetore. II, 97, 1. 96, 2. 105, 1.
Leges ab Augusto emendatae et salubriter latae. II, 89, 4. a Tiberio. II, 126, 2. — Vid. Lex.
Legio Quarta et Martia a M. Antonio ad Octavium deficiunt. II, 61, 2. Quintae aquila in Germania Lolliana clade amissa, II, 97, 1.
Lentuli duo consulares Pompeii M. in fuga comites. II, 53, 1.
Lentulus inter coniuratos Catilinae necatur. II, 34, 3 sq.
Lentulus et Marcellus consules, sub quibus bellum inter Pompeium et Caesarem erupit. II, 49, 2.
Aemilius Lepidus, augur, a censoribus ob aedes VI millies HS. conductas notatus. II, 10, 1.
M. Aemilius Lepidus, IIIvir. II, 88, 1. pontifex max. in Caesaris locum furto creatus. II, 63, 1. Hispania sibi decreta, in Gallia moratur. *ibid.* hostis a senatu iudicatus. II, 64, 4. furens cum Antonio proscriptionem restaurat. II, 66, 1. fratrem Paullum proscribit. II, 67, 3. triumphans a civibus exsecratur et a militibus irridetur. *ibid.* ab Octaviano ex Africa ad bellum cum Sex. Pompeio arcessitus rem suam male gerit. II, 80, 1 sq. Iuniae, M. Bruti sororis, coniux. II, 88, 1.
M. Lepidus, *praeced. filius*, Augusti interficiendi consilia capit. II, 88, 1. a Maecenate opprimitur. *ibid.* 2. sq. eius uxor Servilia se interimit. *ibid.* 3.
M. Lepidus, a Tiberio in bello Delmatico et Pannonico hibernis praefectus. II, 114, 5. res triumpho dignas gessit. II, 115, 2 sq.
Lesbos insula, cuius e regione Orestis liberi ab Heraclidis pulsi considunt. I, 2, 7. ab Aeoliis occupata, et urbibus condita. I, 4, 4.
Leucas, ab Agrippa expugnata. II, 84, 3.
Lex agraria Licinii. II, 6, 3. a C. Graccho repetita. *ibid.* agraria Tib. Gracchi. II, 2, 3. C. Gracchi. II, 6, 3. T. Ampii

et T. Labieni de Pompeio M. honorando. II, 40, 4. Cinnae de recipiendo Mario. II, 21, 6. Clodia in Ciceronem. II, 45, 1. alia de Catone in Cyprum legando. *ibid.* 4. Cottae de iudiciis. II, 32, 3. Domitia de sacerdotiis. II, 12, 3. Gabinia. II, 31, 2 sq. Iulia de agro Campano dividendo. II, 44, 4. Manilia. II, 33, 1. Pedia in Caesaris percussores. II, 69, 5. Pompeia de provincia Caesari proroganda. II, 46, 2. Roscia. II, 32, 3. Sulpitia de bello Mithridatico Mario decernendo. II, 18, 6. Sullae de Mario, Sulpitio et sociis exilio mulctandis. II, 19, 1. Valeria. II, 23, 2. repetundarum. II, 13, 2. — Vid. Leges.

Libertini milites ab Augusto in bello Delmatico coacti. II, 111, 1.

Libo, vid. Drusus Libo.

A. Licinius Nerva Silianus, *P. Silii fil.*, immatura morte summis honoribus praereptus. II, 116, 4.

Limyra, urbs Lyciae, ubi C. Caesar obiit. II, 102, 4.

Livia, *Drusi Claudiani filia.* II, 75, 3. Tib. Claudio Neroni nupta. *ibid.* 1. ex Campano tumultu cum marito et Tiberio filio in Siciliam profugit. *ibid.* 3. a Nerone Augusto desponsa, et ab hoc in matrimonium ducta. II, 79, 2. Claudium Drusum intra domum Augusti enixa. II, 95, 1. Augusti Divi sacerdos et filia. II, 75, 3. Iulia Augusta dicta. II, 71, 3. eius mors. II, 130, 5. eius indoles. *ibid.* et II, 75, 3.

Livius Drusus. vid. Drusus.

Livius, historicus. I, 17, 2. Sallustium consecutus. II, 36, 3.

M. Lollius legatus in Germania clade afficitur. II, 97, 1. eius mores, imprimis pecuniae cupiditas. *ibid.* moderator C. Caesaris, eique in Orientem misso comes. II, 102, 1. eius consilia clandestina a Parthis indicata. *ibid.* eius mors. *ibid.*

Luca colonia deducta. I, 15, 2.

Luceria colonia deducitur. I, 14, 4.

Lucilia, Pompeii M. mater. II, 29, 2.

Lucilius, poëta, bello Numantino eques militavit. II, 9, 4.

Sext. Lucilius, saxo Tarpeio a P. Laenate trib. pl. deiectus. II, 24, 2.

Lucretius, poëta. II, 36, 2.

Lucretius Ofella oppugnationi Praenestis et Marii praefuit. II, 27, 6.

Lucrinus lacus, in quo classis in Sex. Pompeium ab Agrippa fabricata est. II, 79, 2.

Luculli duo. II, 49, 1.

L. Lucullus feliciter bellum cum Mithridate gessit. II, 33, 1.

eius mores et cum Pompeio contentiones. II, 33, 1 sqq. eius triumphus. II, 34, 2. obiit ante bellum civile. II, 43, 1.
Lucullus, *praeced. fil.*, acie Philippensi cadit. II, 71, 2.
M. Lucullus, *L. frater*, Marianos circa Fidentiam fundit. II, 28, 1.
Ludi circenses a Sulla Victoriae instituti. II, 27, 6. Floralium initium. I, 14, 8. ludi a I. Caesare victore editi. II, 56, 1. ab Augusto a. u. c. 753. editi. II, 100, 2. athletarum ludi a Neapolitanis Augusto sacrati. II, 123, 1.
Ludi gladiatorii Capuae. II, 30, 5.
Lupercal, iuxta quod Cassius censor theatrum molitus est. I, 14, 3.
Lupercalia, in quibus Antonius Caesari diadema imposuit. II, 56, 4.
Lupia, fluvius Germaniae. II, 105, 4.
M. Lurius apud Actium dextro classis Octaviani cornu praeest. II, 85, 1.
Luxuriae publicae qui primi auctores fuerint. I, 11, 5. II, 1, 2. privatae primus auctor Lucullus. II, 33, 4.
Lycia, ubi C. Caesar moritur. II, 102, 4.
Lycii, a M. Bruto devicti. II, 69, 6.
Lycurgus leges et disciplinam Spartanis scribit. I, 6, 3.
Lydus, Tyrrheni frater, sorte Lydiam obtinet. I, 1, 4.
Lysippus, statuarius Alexandro M. equites ad Granicum fl. caesos effinxit. I, 11, 4.

M.

Macedonia provincia facta ab Aemilio Paulo. I, 9. II, 38, 5. a Pseudophilippo occupata et a Q. Metello vindicata. I, 11, 1 sq. a Delmatis et Pannoniis occupata. II, 110, 4 et 6. a Pisone pacata. II, 98, 2. a Velleio, tr. mil., peragrata. II, 101, 3.
Macedoniae regni initia. I, 6, 5.
Macedonicus, Perusinorum princeps, auctor Perusiae incensae. II, 74, 4.
C. Maecenas, eius genus, mores et honos apud Augustum. II, 88, 2. Urbi praefectus M. Lepidum opprimit. *ibid.* et 3.
Magi Sullae e corporis notis felicitatem vaticinantur. II, 24, 3.
Decius Magius Campanorum princeps, Romanis fidelissimus. II, 16, 2.
Minatius Magius, Decii nepos, Velleii atavus. II, 16, 2. eius virtutes et merita. *ibid.*
Magius Celer Velleianus, Velleii frater, legatus Tiberii

bello Delmatico et Pannonico. II, 115, 1. 121, 3. ab Augusto et Tiberio ad praeturam commendatus. II, 124, 4.
Mancinus, vid. Hostilius Mancinus.
Manilius, trib. pl. legem tulit de bello Mithridatico per Pompeium administrando. II, 33, 1.
T. Manlius, consul Sardiniam subigit. II, 38, 2.
C. Claudius Marcellus, quo consule bellum civile exarsit. II, 49, 2.
M. Claudius Marcellus Syracusas cepit, et Siciliam provinciam fecit. II, 38, 2.
M. Marcellus, Octaviae Augusti sororis filius. II, 93, 2. successor Augusti futurus creditus. *ibid.* Iuliae Augusti filiae coniux. *ibid.* 3. altercationes eius cum Agrippa. *ibid.* eius obitus. *ibid.* 2. ingenium et mores. *ibid.*
Marcomanni immigrarunt sub Maroboduo in interiora Hercyniae silvae. II, 108, 1. a Tiberio armis petuntur. II, 109. extr.
Maricae palus, ubi C. Marius in fuga se abdidit. II, 19, 2.
C. Marius ignotae originis. II, 128, 3. et quidem agrestis. II, 11, 1. sub Scipione Afric. bello Numantino stipendia fecit. II, 9, 4. legatus Q. Metelli in bello Iugurthino. *ibid.* eius indoles et mores. *ibid.* II, 23, 1. criminatus Metelli lentitudinem consulatum et imperium in bello eodem sibi comparat. *ibid.* 2. per Sullam Iugurtha rege potitus est. II, 12, 1. Consul II. Iugurtham in triumpho duxit. *ibid.* in bellum Cimbricum imperator electus. *ibid.* 2. multiplicati eius consulatus. *ibid.* 3. Consul III. belli apparatus fecit. *ibid.* Cos. IV. ad Aquas Sextias Teutonos excidit. *ibid.* 4. Cos. V. in campis Raudiis vincit. *ibid.* 5. Cos. VI. Servilium Glauciam et Apuleium Saturninum armis compescit. *ibid.* 6. imperator in bello Italico. II, 15, 4. restituit remp. II, 16. extr. bellum Mithridaticum Sullae abrogatum ei per P. Sulpicium decernitur. II, 18, 6. a Sulla urbe exturbatur. II, 19, 1. LXX. annos natus in carcerem Minturnensium perducitur. *ibid.* 2. Germanum, servum publicum ad se interficiendum missum, visu a nece deterret. *ibid.* 3. a Minturnensibus dimissus, in Africam transvehitur. *ibid.* 4. inter Carthaginis ruinas inopem vitam agit. *ibid.* a Cinna revocatur cum filio. II, 20, 5. urbem cum Cinna occupat. II, 21, 6. intrata urbe crudelissimam victoriam exercet. II, 22, 1. Antonium oratorem necari iubet. *ibid.* 3. consulatum VII init. II, 23, 1. mox morbo decedit. *ibid.* eius monumenta (belli Iugurthini) Iul. Caesar restituit. II, 43, 4.
C. Marius, *praeced. filius*, consul cum Carbone. II, 26, 1. eius

indoles. *ibid.* II, 27, 5. pulsus a Sulla ad Sacriportum Praeneste se contulit. II, 26, 1. per cuniculos Praenestis frustra erumpens interemptus est. II, 27, 4.
Marius Egnatius inter Italicorum duces. II, 16, 1.
Marobodui indoles et mores. II, 108, 1 sq. consilia adversus Romanos. II, 109, 1 sq. Vari caput acceptum ad Augustum mittit. II, 119, 5. Tiberii astutia e regno egredi cogitur. II, 129, 3.
Mars Gradivus, auctor Rom. nominis II, 131, 1. Martis templum ab Augusto dedicatum. II, 100, 2.
Martia legio, vid. Legio.
Marullus Epidius, trib. pl. intempestive liber in Iul. Caesarem. II, 68, 4.
Massilia potentior metropoli sua. II, 7, 7. fidelis Pompeio imprudenter Caesaris victoriam moratur. II, 50, 3.
Medi imperio Asiae potiuntur per Arbacem. I, 6, 1 sq.
Media (Atropatene) a Pompeio M. victa. II, 40, 1. sub Antonio IIIviro petita. II, 82, 1.
Medici a Tiberio aegrotantibus militibus in bello Pannonico parati. II, 114, 2.
Medon, Codri filius, primus Archon Atheniensium. I, 2, 4.
Medontidae, eius posteri apud Atticos dicti. I, 2, 4.
Megara a Peloponnesiis condita. I, 2, 5.
Megasthenes, Chalcidensium, qui Cumas in Italia condiderunt, dux. I, 4, 1.
Melanthus, Codri pater. I, 2, 2.
Menandrus comicus novae comoediae Atticae. I, 16, 3.
Menas, libertus Pompeii. II, 73, 3. praefectus classis Sex. Pompeii. *ibid.* Statium Murcum fastidit. II, 77, 3.
Menecrates, libertus Pompeii. II, 73, 3.
Mercatus Olympiorum cum ludis ab Iphito institutus. I, 8, 1.
Merula, vid. Cornelius.
Messala Corvinus, in castris Bruti et Cassii e primis ducibus. II, 71, 1. Octaviano se dedit *ibid.* eo consule cum Octaviano debellatum apud Actium. II, 84, 1. orator. II, 36, 2.
Messalinus, *praeced. filius,* bello Pannonico et Delmatico praeclaras res gessit. II, 112, 1.
Metapontus a Pylio quodam condita. I, 1, 1.
Metelli duo fratres (Macedonici filii) uno die triumphant. II, 8, 2.
Metelli duo, patrueles, censores. II, 8, 2.
Q. Metellus Macedonicus, (e Caeciliis II, 11, 3.) Pseudophilippum devicit. I, 11, 1. inde cognomen meruit. *ibid.* 2.

Achaeos rebellantes fudit *ibid.* duas aedes porticibus circumdedit. I, 11, 3. II, 1, 2. turmam statuarum equestrium e Macedonia Romam defert. I, 11, 3. eius felicitas. I, 11, 6. severum eius in Hispania imperium et perseverantia felix eventu. II, 5, 2.

Q. Metellus Numidicus, unde cognomen meruit. II, 11, 2. bellum Iugurthinum gerit. *ibid.* 1. a Mario depellitur ab imperio. *ibid.* 2. a L. Saturnino civitate pulsus filii pietate restitutus est. II, 15, 4 sq. inter oratores est. II, 9, 1.

Q. Metellus, *Numidici filius*, Pius dictus. II, 15. 4 sq. dux in bello Italico apud Faventiam Sullae hostes fudit. II, 28, 1. contra Sertorium bellum gerit, ab hoste laudatus. II, 29, 5. cum Cn. Pompeio M. ex Hispaniis triumphat. II, 30, 2.

Q. Metellus Creticus, Cretam in pop. Rom. potestatem redegit. II, 34, 4. 38, 6. eius victoriam Pompeius M. sibi vindicare ex parte conatur. II, 34, 2. eius triumpho captivos duces Pompeius subduxerat. II, 40, 5. memor huius iniuriae, Pompeii actis in Asia refragatur. *ibid.* II, 44, 2. ante bellum civile obit. II, 49, 1.

Miletus ab Ionibus condita. I, 4, 3. Cyzicum et Byzantium condit. II, 7, 7.

Militares coloniae. I, 14, 1. quando deduci inceperint. I, 15, 1.

T. Annius Milo, trib. pl., Ciceronem exulem restituit. II, 45, 3. candidatus consulatus Clodium interficit. II, 47, 4. infestus Caesaris partibus a. M. Caelio ex exilio accitus tumultum in Italia movet. II, 68, 2. in oppugnatione Compsae Hirpinorum lapidis ictu interimitur. *ibid.* 3.

Minervium colonia condita. I, 15, 4.

Minturnae colonia deducta I, 14, 6.

Minturnenses C. Marium in carcerem coniectum interfici iubent. II, 19, 3. deinde miserati ad fugam necessaria ministrant. *ibid.* 3.

Minucii triumphus e Scordiscis. II, 8, 3. eius porticus. *ibid.*

Mithridates, Ponticus rex. II, 18, 1. eius ingenium et mores. *ibid.* occupata Asia cives Rom. necari iubet. *ibid.* 2. a Sulla debellatur. II, 18, 3. 23, 3 sqq. eius praefecti in Graecia victi. II, 23, 3. Sullae in Asiam transgresso se subiicit et paciscitur. *ibid.* 6. a Fimbria in Asia proelio pulsus. II, 24, 1. a L. Lucullo fusus. II, 33, 1. post Luculli profectionem exercitum reparat. II, 37, 1. a Pompeio M. fusus in Armeniam ad Tigranem confugit. *ibid.* 2. Pharnacis filii insidiis oppressus. II, 40, 1.

Q. Mucius Scaevola, iuris scientia quam eloquentia celebrior. II, 9, 2. 26, 2. pontifex max. a Damasippo trucidatus. *ibid.*

L. Mummius, Cos. bello Achaico destinatus. I, 12, 1. Corinthum eruit. I, 13, 1. Achaicus appellatur. *ibid.* 2. II, 128, 2. homo novus. *ibid.* rudis artium. I, 13, 4.

Munus gladiatorium a Iul. Caesare triumphante editum. II, 56, 1. ab Augusto. II, 100, 2. Augusti triumphantis munera. II, 89, 1. munus aedilitatis M. Marcelli. II, 93, 2.

L. Murena in Augustum conspirat et opprimitur. II, 91, 2.

Mutina ab obsidione Antonii liberata. II, 61, 4.

Mycenae, ab Agamemnone in Creta conditae. I, 1, 2.

Mylae, ad quas prospere ab Agrippa contra Sex. Pompeium pugnatum. II, 79, 4.

Myrina, ab Aeoliis condita. I, 4, 4.

Myrmidonum civitas, postea Thessalia appellata. I, 3, 2.

Mytilenaeorum perfidia in Romanos bello Mithridatico. II, 18, 3. a Pompeio in Theophanis gratiam restituti in libertatem. *ibid.*

Mytilene, in Lesbo insula, ab Aeoliis condita. I, 4, 4. Corneliam coniugem Pompeius profugiens inde recipit. II, 53, 2.

Myus ab Ionibus condita. I, 4, 3.

N.

Narbo *Martius*, colonia deducta. I, 15, 5. II, 7, 8.

Naso, P. Ovidius, poëta. II, 36, 3.

Naumachia, a Caesare edita. II, 56, 1. ab Augusto. II, 100, 2.

Nauportum, Pannoniae urbs, in confinio Tergestis. II, 110, 4.

Neapolis a Cumanis condita. I, 4, 2. urbs fidelissima in Rom., nobilissima et amoenissima. *ibid.* ibi C. Velleius, avus historici, se interimit. II, 76, 1.

Neapolitani Augusto certamen athletarum sacrant. II, 123, 1.

Negotiantes in Africa criminati Metelli in bello Iugurth. lentitudinem. II, 11, 2.

Negotiatores Rom. a Pannoniis trucidati. II, 110, 6.

Nepe, colonia deducta. I, 14, 2.

Neptunia, colonia condita. I, 15, 4.

Nero, vid. Claudius.

Nerva, vid. Licinius.

Nestor, dux eius, qui Metapontum condidit. I, 1, 1.

Nicomedea, Bithyniae caput. II, 42, 3.

Nicomedes, Bithyniam hereditate Romanis reliquit. II, 4, 1. 39, 2.

Ninus, Assyriorum rex, cum Semiramide Babylona condit. I, 6, 2.
Nola, quando a Tuscis condita. I, 7, 2 sq. bello Punico secundo fidelissima Romanis. II, 18, 4. in bello sociali pertinacissima, a Sulla obsessa. II, 17, 1. 18, 4. ibi Augustus moritur. II, 123, 3.
Norbanus, Cos. a Sulla victus. II, 25, 2.
Norici, vicini Marcomannis. II, 109, 3. a Tiberio devicti. II, 39, 3.
Noricum regnum. II, 109, 5.
Novi homines ad dignitatis gradus summos evecti. II, 127, 1. 128.
Numantia a Scipione Africano Aemiliano excisa. II, 4, 2 et 3.
Numantinum bellum contumeliosum. II, 1, 3 sqq. 90, 3.
Numidia, provincia facta. II, 39, 2.
Numonius Vala, Vari legatus, desertor suorum a Germanis occiditur. II, 119, 4.

O.

Oceani sinus a Romanis circumnavigati. II, 106, 3.
Octavia, soror Augusti. II, 78, 1. 93, 1. nubit Antonio. II, 78, 1.
Octaviae porticus. I, 11, 3.
Cn. Octavius, praetor navalis. I, 9, 5. Perseo, ut se dedat, persuadet. I, 9, 4. eius triumphus. *ibid.* 6. in circo porticum molitus est. II, 1, 2.
Cn. Octavius, *praeced. nepos*, Cos. Cinnae iussu interfectus. II, 22, 2.
C. Octavius, Augusti pater. II, 59, 2.
C. Octavius, *praecedentis et Atiae filius.* II, 59, 1 sq. post caedem avunculi Romam festinat. II, 59, 5. adoptatus erat a Caesare per testamentum. *ibid.* 1. frequenti hominum occursu et prodigiosa solis facie Romae exceptus. *ibid.* 6. invitis parentibus Caesaris hereditatem cum nomine adit. II, 60, 1 sq. ab Antonio superbe exceptus et male habitus. II, 60, 3 sq. XIX annos natus, privatus, exercitum pro rep. parat e veteranis Caesaris. II, 61, 1 sq. legionem Martiam et Quartam, ab Antonio alienatas, in castra sua excipit. *ibid.* 2. honores ei a senatu decreti. *ibid.* 3. ei pro praetore una cum Coss. bellum contra Antonium mandatur. *ibid.* post victum Antonium spretus est a senatu. II, 62, 5. ab Antonio ad triumviratum adactus. II, 65, 1. privigna Antonii ei desponsa. *ibid.* 2. nondum XX annos natus consul factus. *ibid.* in Macedoniam adversus Brutum et Cassium traiecit. II, 70, 1. infirmus valetudine munia ducis obit. *ibid.* eius castra a Bruto capta. *ibid.* servat Messalam Corvinum. II, 71, 1. in Italiam regres-

sus in tumultum L. Antonii et Fulviae contra se incidit. II, 74, 1 sqq. profligat Antonium. *ibid.* 3. Perusiam expugnat. II, 74, 4. bellum in Campania a Ti. Claud. Nerone excitum adventu suo componit. II, 75, 1. Fulviam et Plancum ex Italia profugere patitur. II, 76, 2. bellum parat contra Antonium, quod pace Brundisina componitur. *ibid.* a Salvidieni Rufi coniuratione vindicatus. *ibid.* 4. a Sex. Pompeio coena in navi exceptus. II, 77, 1. in Illyrico et Delmatia milites suos exercet. II, 78, 2. bellum adversus Sex. Pompeium parat. II, 79, 1. Liviam ducit. *ibid.* 2. bellum cum Sex. Pompeio gerit. *ibid.* 3 sqq. Lepidum exercitu et dignitate exuit. 2, 80. seditionem exercitus discutit. II, 81, 1. Campanam coloniam supplemento, reditibus et aquaeductu auget. *ibid.* 2. in Urbem reversus domos coëmptas publicis usibus destinat, et Apollini templum vovet. *ibid.* 3. in Plancum ab Antonio profugum clemens est. II, 83, 2. apud Actium dimicat. II, 85, 1 sqq. clementia eius in victos. II, 86, 2. 87, 2. Cleopatram et Antonium bello persequitur. II, 87, 1. M. Lepidus coniurat in eum. II, 88, 1. in Urbem reversus triumphat, et ludos facit. II, 89, 1. felicitatem orbi terrarum restituit. *ibid.* 2 sqq. consulatus undecim continuavit. *ibid.* 5. dictaturam repulit. *ibid.* Hispaniam perdomuit. II, 90, 1 et 4. 39, 2 sq. Reliqua vid. sub v. *Augustus.*

Olympiadis VI annus III natalis Romae. II, 8, 4.

Olympici certaminis et mercatus initium, Iphito auctore. I, 8, 1. primum ab Atreo institutum. *ibid.* 2.

Olympieum ab Antiocho Epiphane inchoatum. I, 10, 1.

Opimianum vinum ab Opimio dictum. II, 7, 5.

L. Opimius, praetor Fregellas excidit. II, 6, 4. consul C. Gracchum et Fulvium Flaccum opprimit. *ibid.* sq. capitis civis Rom. pretium proponit. *ibid.* 5. Fulvii Flacci filium, legatum missum, interimit. II, 7, 2. eius factum improbatum, et quare. *ibid.* 6. eius ingenium et mores. *ibid.* 3. iudicio publico damnatus. *ibid.* 4.

Opis aedes. II, 60, 4.

Optimates in Tib. Gracchum irruunt. II, 3, 2. Cinnam Urbe pellunt. II, 20, 3. dissuadent bellum piraticum Pompeio M. mandandum. II, 31. extr. refragantur Pompeii actis Asiaticis. II, 40, 5. reconciliantur eidem consuli III. II, 47, 3.

Oratores summi inter Graecos circa Isocratem eiusque discipulos. I, 16, 5. inter Romanos circa Ciceronem. I, 17, 3. nulli inter Argivos, Thebanos, Lacedaemonios. I, 18, 2. oratores

Romani clari inter bellum Punicum tertium et civile primum. II, 9, 1 sq. circa Ciceronis tempora. II, 36, 2.
Orestes Aegisthum et matrem obtruncat. I, 1, 3. eius filii quamdiu post eum regnaverint. *ibid.* 4. ab Heraclidis e Peloponneso eiecti colonias in Asiam deducunt. I, 2, 7.
Orodes, rex Parthorum, Crassum cum exercitu delet. II, 46, 4. signa Rom. capit. II, 91, 1.
Osci vicini mutant Cumanos. I, 4, 2.
Ostiae annona per Tiberium moderata II, 94, 3.
Otho Roscius lege equitibus sedes in theatro restituit. II, 32, 3.
Otium disciplinae militum inimicissimum. II, 88, 2.

P.

Pacorus, Parthorum regis filius, bello interemptus. II, 78, 1.
Pacuvius, clarus in tragoediis. II, 9, 3.
Paestum, colonia deducta. I, 14, 7.
Palatium, ubi Roma condita. I, 8, 4. sub eo theatrum a Cassio censore aedificatum. I, 15, 3. in eo domum aedificavit Drusus. II, 14, 3. domos ibi Augustus coëmi curavit. II, 81, 3.
Palinuri promontorium, ubi Octaviani classis vento lacerata. II, 79, 3.
Panaetius, Scipionis Afric. min. comes. I, 13, 3.
Panares, dux Cretensium, Romanos bello fatigat. II, 43, 1. Q. Metello victori subductus Pompeii M. triumphum ornat. II, 40, 5.
Pannonia, provincia per Tiberium facta. II, 39, 3. a Tiberio debellata. II, 96, 2 sq. a dextra Marcomannorum sita. II, 109, 3. universa rebellat. II, 110, 2. pacem petit. II, 114, 4.
Pannonii Romana disciplina, lingua et literis utentes. II, 110, 5.
Pansae consilium Caesari datum II, 57, 1. ei consuli designato cum Hirtio bellum contra Antonium mandatur. II, 61, 3. ex vulnere moritur. II, 61, 4. publica sepultura honoratus una cum Hirtio. II, 62, 4.
Papius Mutilus, Italicorum in bello sociali dux. II, 16, 1.
Parilia, dies natalis Romae. I, 8, 4.
Parthicum bellum Iul. Caesar molitur. II, 59, 4.
Parthorum legati ad Sullam primum Romanorum missi. II, 24, 3. Parthici reges sui iuris. II, 40, 1. Parthorum rex signa Rom. capta Augusto remittit. II, 91, 1. obsides liberos dat. II, 94, 4. desciscit a societate Romana. II, 100, 1. cum C. Caesare in insula Euphratis congreditur. II, 101, 1. M. Lollii perfida consilia indicat. II, 102, 1.
Parus, Ionum colonia. I, 4, 3.

Pasienus triumphalia in Africa meruit. II, 116, 2.
Patres a Romulo lecti. I, 8, 6.
Patrae captae ab Agrippa. II, 84, 3.
Patrimonia militum occisorum a legato occupata. II, 120, 3. cf. Asprenas.
Paulus (ex Aemiliis), ad Cannas caesus, L. Aemilii Pauli pater. I, 9, 3.
Paulus a Lepido IIIviro fratre proscriptus. II, 67, 3.
Paulus censor cum Planco. II, 95, 3.
Pax Augusta. II, 126, 3. Brundusina. II, 76, 3. circa Misenum cum Sex. Pompeio. II, 77, 1. cum Mithridate per Sullam facta. II, 23, 6. cum Tigrane per Pompeium M. II, 37, 4. cum Parthis per C. Caesarem. II, 101, 1 sqq.
Q. Pedius, collega Octavii in consulatu. II, 65, 2. 69, 5.
Pelasgi Athenas commigravere. I, 3, 1.
Pelopis progenies ab Heraclidis expellitur Peloponneso. I, 2, 1.
Peloponnesii Megaram condunt. I, 2, 5.
Penthilus, Orestis filius, regnavit triennio. I, 1, 4.
Pergamum ab Agamemnone in Creta conditum. I, 1, 2.
M. Perperna Aristonicum vicit. II, 4, 1.
M. Perperna Sertorium interficit. II, 30, 1.
Perseus, Macedoniae rex, victus ab Aemilio Paullo. I, 9, 4. Albae in libera custodia decessit. I, 11, 1.
Perusia ab Octavio expugnata. II, 74, 4.
Pestilentia lacerat exercitum Rom. II, 21, 4.
Petreius, legatus Pompeii in Hispania. II, 48, 1. desertus ab exercitu. II, 50, 4.
Pharnaces, rex Ponti, a Iul. Caesare victus. II, 55, 2.
Pharsalica acies. II, 52, 3 sq.
Phidippus Ephyram in Thesprotia condit. I, 1, 1.
Philemon, novae comoediae comicus. I, 16, 3.
Philippi, urbs Macedoniae Bruti et Cassii clade clara. II, 70, 1.
Philippii campi. II, 86, 2.
Philippus, vitricus Octaviani. II, 59, 3. 60, 1.
Phocaea Ionum colonia. I, 4, 3. Massiliam condit. II, 15, 1.
Phraates, Parthorum rex, ab Antonio signa Rom. cepit. II, 91, 1.
Picenum coloni missi. I, 15, 3. Picenus ager, Cn. Pompeii, Magni patris, rebus gestis clarus. II, 21, 1. eiusdem Pompeii clientelis refertus. II, 29, 1.
Pictores perfectissimi in artati temporis spatium inclusi. I, 17, 4.
Pindarus illustravit Thebas. I, 18, 3.
Pinnetes, Pannoniorum dux. II, 110, 4. captus a Romanis. II, 114, 4.

Piraei portus munitiones. II, 23, 3.
Piratarum insolentia et potentia. II, 31, 2. iidem a Pompeio devicti. II, 32, 4. 5 sq. Iul. Caesarem captum tenent. II, 41, 3. ab hoc fracti, partim capti et cruci suffixi. II, 42, 1 sqq.
Pisaurum, colonia deducta. I, 15, 2.
M. Piso, consularis, Anniam, Cinnae olim uxorem, sibi nuptam in Sullae gratiam dimittit. II, 41, 2.
L. Piso bellum Thracicum comprimit. II, 98, 1 sq. praefectus urbi. *ibid.* 1. eius ingenium et mores. *ibid.* 3.
Piso in Tiberium coniurat. II, 130, 3.
Pius, cognomen Metelli. II, 15, 4.
Placentia, colonia. I, 14, 8.
Plancus, natura sua dubiae fidei. II, 63, 3. 88, 1. consul designatus cum D. Bruto. II, 63, 3. eius proditor et insidiator. II, 64, 1. Plotius Plancus frater ut proscriberetur, a IIIviris impetrat. II, 67, 3. triumphans cum Lepido a militibus acerbe irrisus et a civibus exsecratus. *ibid.* a partibus L. Antonii, Cos. opem ferendam simulat. II, 74, 3. Fulviae ex Italia profugientis comes. II, 76, 2. assentator Cleopatrae. II, 83, 1. Antonium, cui turpiter inservit, relinquit. II, 83, 1 sqq. Augusti cognomen Octaviano dandum censet. II, 91, 1. eius censura. II, 91, 1. eius censura inefficax ob criminum conscientiam. II, 95, 3.
Plastae perfectissimi in artatum temporis spatium congruentes. I, 17, 4.
Plato, Socraticus, circa quem floruit philosophia inter Graecos. I, 16, 4.
Plautius Silvanus bello Delmatico et Pannonico Tiberio auxilia adducit. II, 112, 4.
Pollio, vid. Asinius.
Polybius Scipioni Afr. minori familiaris et comes perpetuus. I, 13, 3.
Pompeiani condiciones pacis a Caesare non recipiunt. II, 49, 4 sq. in Africa validi sunt. II, 54, 2. 55, 1. victi ibi a Caesare. *ibid.* et in Hispania. *ibid.* 3 sq. post Antonii fugam a Mutina animum tollunt. II, 62, 1 sqq. 73, 2. Ciceronem faventem sibi habent. *ibid.* 6. inimici Octavio. II, 62, 5. 65, 1. restituerunt. Sex. Pompeium. II, 73, 2.
Pompeiani horti ab Antonio possessi. II, 60, 3.
Pompeiorum familiae quot? II, 21, 5.
Q. Pompeius primus e Pompeiis consul cum Cn. Servilio, quando. II, 1, 4. 21, 5. turpe foedus cum Numantinis fecit. II, 1, 4. 90, 3. gratia ob id impunitus. II, 1, 5.

Q. Pompeius, *filius praec.*, consul cum L. Corn. Sulla. II, 17, 1. 21, 1. eius filius, Sullae gener, a Marii partibus interficitur. II, 18, 6. ipse ab exercitu seditioso interficitur, auctore Cn. Pompeio. II, 20, 1.

Cn. Pompeius, Magni pater. II, 15, 4. 21, 1. 29, 1. imperator bello sociali. II, 15, 4. eodem bello restituit labantem remp. II, 16, 4. seditionem militum in Q. Pompeium proconsul excitat. II, 20, 1. eius praeclara opera circa Picenum agrum eodem hoc bello. II, 21, 1. 29, 1. Asculum felici proelio cepit. *ibid.* medium inter Cinnam et Sullam se gessit consulatus alterius obtinendi caussa II, 21, 2. atroci proelio cum Cinna sub moenibus Romae conflixit. *ibid.* 3. decedit, pestilentia exercitum Romanum lacerante, in voluptatem civium. *ibid.* 4. patronus fuit totius agri Piceni. II, 29, 1.

Cn. Pompeius Magnus, *praeced. filius.* II, 15, 4. 21, 1. 29, 1. Sullae, in Italiam reverso, exercitum e clientibus patris Picenis privato consilio adducit. II, 29, 1. eius genus, forma et mores. *ibid.* 2 sqq. ex Hispaniis eques Rom. triumphat. II, 30, 2. aequalem ferre nequit. II, 29, 4. 30, 3. 33, 3. consul tribuniciam potestatem restituit. II, 30, 4. maior aevo habetur. II, 31, 1. consul in provinciam nullam se iturum iurat. II, 31, 1. bellum piraticum ei mandatur. *ibid.* 2 sq. invidiam optimatum hac ex re sibi contrahit. *ibid.* 3 sq. nimius reipublicae. II, 32, 1. piratas fundit. *ibid.* 4. eorum reliquias, procul a mari collocatas, rapinis arcet. *ibid.* 5. ex lege Manilia bellum Mithridaticum ei mandatur. II, 33, 1. eius iurgia cum L. Lucullo. *ibid.* 2. partem gloriae Cretae a Q. Metello devictae sibi vindicare conatur. II, 34, 2. bellum adversus Mithridatem feliciter gerit. II, 37, 1. Tigranem Armeniae regem petit, *ibid.* 2 sqq. Syriam in potestatem pop. R. redegit. ibid. 5. Pontum provinciam fecit. II, 38, 6. penetravit victor Mediam, Albaniam, Iberiam et oram Ponti. II, 40, 1. eius reditus in Italiam favorabilis. *ibid.* 2 sq. dimisit exercitum Brundusii. *ibid.* 3. per biduum triumphavit, et aerarium ditavit ex manubiis. *ibid.* honores extraordinarii ei decreti. *ibid.* Q. Metelli triumpho captivos Cretensium duces subduxerat. *ibid.* 5. eius actis in Asia invidia optimatum refragatur. *ibid.* cum Caesare et Crasso societatem potentiae init. II, 44, 1. filiam Caesaris Iuliam ducit. *ibid.* 3. coll. 47, 2. de Cicerone oppresso suspectus. II, 45, 2. restituit Ciceronem. *ibid.* 3. consul cum M. Crasso. II, 46, 1. lege lata Caesari provinciam prorogavit, et Crasso Syriam decrevit. *ibid.* 2. eius

uxor et filius ex ea moriuntur. II, 47, 2. consul sine collega ambitum coërcet. *ibid.* 3. reconciliatus cum optimatibus, a Caesare alienatus est. *ibd.* 3 Milonem damnavit. *ibid.* 4. Hispaniam provinciam suam per legatos administravit. II, 48, 1. dimittere exercitum contendentibus adversatur, Caesaris inimicis favens. *ibid.* adversatur Caesari absenti in petendo consulatu secundo. II, 30, 3. eius theatrum et vicina aedificia. *ibid.* II, 130, 1. de aegrotante eo in Campania Italia vota suscepit. *ibid.* senatus auctoritate armatus contra Caesarem pro caussa reip. II, 49, 3. transmisit Dyrrhachium. *ibid.* 5. eius vires et terrestres et navales. II, 51, 1. obsessus a Caesare. *ibid.* 2. Caesarem profligavit. *ibid.* extr. Caesarem in Thessaliam, contra amicorum consilia, armis sequitur. II, 52, 2. profugus ex acie Pharsalica, Aegyptum se contulit. II, 53, 1. *ibid.* recepit in itinere Corneliam uxorem a Mytilenis *ibid.* 2. dolose interemptus. *ibid.* 3. quam aetatem attigerit, qua die, quo anno occisus fuerit? *ibid.* 2 sq. quando natus? *ibid.* 4. eius magnitudo declaratur. II, 29, 2. 30, 3. 31, 1 sqq. 32, 1 et 6. 37, 4 sq. 40, 1 sq. 4. 47, 3. 48, 3. 53, 3. Mytilenaeis libertatem restituit. II, 18, 3. statua equestri honoratus. II, 61, 3. iudices CCCLX. legit. II, 76, 1.

Cn. Pompeius, *Magni filius.* II, 55, 2. ingens bellum in Hispania contra Caesarem ciens in fuga interficitur. *ibid.* 4.

Sex. Pompeius, *Magni filius.* II, 72, 4. eius ingenium et mores. II, 73, 1. 77, 2. 79, 5. in Hispania cum Asinio Pollione bellum gessit. *ibid.* 2. post Antonii a Mutina fugam inde revocatus et orae maritimae praefectus. *ibid.* occupata Sicilia, recipit profugos ex acie Philippensi et proscriptos. II, 72, 5. 73, 3. mare latrociniis infestat. *ibid.* annonam Romae gravem facit. II, 77, 1. pax cum eo circa Misenum. *ibid.* Sicilia et Achaia ei concessae. *ibid.* 2. restituit pactione proscriptos et profugos in patriam. *ibid.* sq. Statium Murcum interfecit. *ibid.* 3. eius vires et magnitudo. II, 79, 1. ab Octavio bello petitus. *ibid.* sq. cladem infert illi. *ibid.* 3 sq. victus tandem Asiam fuga petiit et ad Antonium profugit. *ibid.* 5. Antonii iussu a Titio iugulatus est. *ibid.* II, 87, 2.

Pomponius, eques R., singulari fide in C. Gracchum. II, 6, 6.

Pomponius, Atellanarum auctor. II, 9, 6.

Pomponius Flaccus, consularis, Rhascupolim e regno suo evocavit. II, 129, 1.

C. Pontidius, dux Italicorum. II, 16, 1.

Pontius Telesinus. II, 16, 1. dux Samnitium eximius. II, 27, 1.

acerrime cum Sulla ad portam Collinam dimicans occiditur. II, 27, 2 sqq. eius frater minor una cum C. Mario filio Praeneste obsessus, in cuniculis occubuisse dicitur. II, 27, 5.
Ponti *(Euxini)* intima a Pompeio penetrata. II, 40, 1.
Pontus, provincia facta. II, 38, 6.
Popaedius Silo, inter duces Italicorum. II, 16 1.
M. Popilius Laenas imperio suo Antiochum ab obsidione Alexandriae deterret. I, 10, 1 sq.
P. Popilius Laenas ob saevitiam in Tib. Gracchum iudicio publico oppressus. II, 7, 4.
Porcia familia. II, 45, 2. vid. Catones.
Porticus Scipionis in Capitolio. II, 1, 2. Metelli Macedonici. *ibid.* I, 11, 3. Cn. Octavii. II, 1, 2. Octaviae. I, 11, 3. Minucii. II, 3, 3.
Postumius Albinus censor asper. I, 10, 6.
Potentia, colonia deducta. I, 15, 2.
Praefectura Capuae. II, 44, 4.
Praefectus fabrorum. II, 76, 2. castrorum. II, 112, 6. 119, 4. 120, 4. classium. II, 73, 3. cohortium. II, 112, 6. equitum. II, 24, 1. 104, 3. Urbis. II, 88, 2. 98, 1.
Praeneste natura munitum. II, 26, 1. a Sulla obsessum. II, 27, 3. a Fulvia occupatum. II, 74, 3.
Praetexta praetoria, consularis. II, 65, 3.
Praetextati filii. I, 10, 3. II, 59, 2.
Praetor iterum post consulatum Lentulus. II, 34, 4. praetores seni. II, 16, 3. decem ab Augusto constituti. II, 89, 3. praetor navalis. I, 9, 5.
Priene, Ionum colonia. I, 4, 3.
Princeps senatus. II, 43, 3.
Privatorum ausa pro republica; Scipionis Nasicae. II, 3, 1. Pompeii M. II, 29, 1. Caesaris in piratas. II, 42, 2. Octavii. II, 61, 1.
Proscriptio a Sulla inventa. II, 28, 3. 66, 1. triumviralis. II, 66, 1.
Proscriptorum bona a Sulla vendita. II, 28, 4. eorum liberi honorum iure spoliati, oneribus ordinis relictis. *ibid.* iidem a Iul. Caesare ad ius dignitatis revocati. II, 43, 4. proscripti a IIIviris ad Sex. Pompeium confuginut. II, 72, 5.
Provinciae Rom. quae et quibus ducibus factae. II, 38 et 39. provinciae Caesari prorogatae. II, 46, 3.
Pseudophilippus Macedoniam occupat. I, 11, 1.
Ptolemaeus ab Antiocho Alexandriae obsessus et liberatus. I, 10, 1 sq.

Ptolemaeus, Cypri rex, regno spoliatus. II, 45, 4. sub adventum Catonis. *ibid.* 5, 38, 6.
Ptolemaeus *(Puer, Auletae fil.)*, Aegypti rex, immemor beneficiorum Pompeii in parentem suum. II, 53, 1. puer ab aulicis regitur. *ibid.* sq. II, 54, 1. Pompeium interimi iubet. *ibid.* eius perfidia in Caesarem. II, 54, 1.
Publicola, classis Antonianae dux apud Actium. II, 85, 2.
Punica bella, quando coeperint. I, 12, 6. II, 38, 3.
Puteoli, colonia deducta. I, 15, 3.
Pydna, Macedoniae urbs, Persei regis clade nobilis. I, 9, 4.
Pyrrhus, Achillis filius, Epirum occupat. I, 1, 1. ab Oreste Delphis interemptus. I, 1, 3.
Pyrrhus, Epiri rex, quando regnare coeperit. I, 14, 6.

Q.

Quadrantem creditoribus solvi lex Valeria tulit. II, 23, 2.
Quadrigarius, historicus. II, 9, 5.
Quaestiones in Gracchorum amicos et clientes. II, 7, 3.
Quaestor cum iure praetoris. II, 45, 4.
Quinctilius Varus, vid. Varus.

R.

Rabirius, poëta. II, 36, 3.
Raudii campi Cimbrorum clade nobiles. II, 12, 5.
Regulus primus in Africam traiecit. II, 38, 2.
Repetundarum iudicia. II, 8, 2. 13, 2.
Rhaeti a Druso et Tiberio debellati. II, 95, 2. de iis triumphavit Tiberius. II, 122, 2.
Rhaetia, provincia facta. II, 39, 3.
Rhascupolis, Thraciae rex, e regno suo evocatus. II, 129, 1.
Rhodii fidelissimi ante bellum cum Perseo. I, 9, 2. fideles Romanis adversus Mithridatem. II, 18, 3.
Rhodus a Cassio capta. II, 69, 6.
Rhoemetalces, rex Thraciae. II, 112, 4.
Roma condita. I, 8, 4. a Gallis capta. II, 14, 1. auctore Augusto a principibus Rom. ornata. II, 89, 4.
Romana constantia in Popilio Laenate. I, 9, 2. disciplina militaris a Maroboduo adoptata. II, 109, 1. a Pannoniis cum lingua. II, 110, 5. Romani animi in Vari militibus. II, 119, 2. Romanarum literarum perfectio in singulis generibus angusto temporis spatio inclusa. I, 17.
Romulus Romam condidit. I, 8, 4. asylum fecit. I, 8, 6.

Roscius Otho, vid. Otho Roscius.
Rostra. Pro rostris Metelli Macedonici funus a filiis sublatum. I, 11, 7. ibi Sulpicii caput erectum. II, 119, 1. in rostris Octavii statua posita. II, 61, 3.
Rupilius, consul, saevus in Tib. Gracchi amicos, iudicio publico oppressus. II, 7, 4.
P. Rutilius (Rufus), vir optimus, a iudicibus Gracchanis repetundarum damnatus. II, 14, 2. historicus. II, 9, 6.
Rutilius (Lupus), consul, bello Italico caesus. II, 16, 4.

S.

Sabini Romae recens conditae infesti. I, 8, 5. Sabinis civitas sine suffragio data. I, 14, 6. deinde cum suffragio. *ibid.* 7.
Sacerdos Augusti Livia. II, 75, 3. sacerdotes a collegis suffecti. II, 12, 3. mox lege Domitia a populo. *ibid.*
Sacriportus, ubi Marius fil. a Sulla pulsus est. II, 26, sq.
Sacrovir, Galliarum princeps rebellis. II, 129, 5.
ad Saga itum est. II, 16, 4.
Salamin in Cypro a Teucro condita. I, 1, 1,
Salernum, colonia deducta. I, 15, 3.
Sallues victi. I, 15, 4.
Sallustius Thucydidis aemulus. II, 36, 2.
Salvidienus Rufus, e familiaribus Octavii. II, 59, 5. eius origo et incrementa. II, 76, 4. conspirat frustra in Octavianum. *ibid.*
Samnites ex parte donati civitate. I, 14, 3.
Samothracia insula, in cuius asylum Perseus profligatus confugit. I, 9, 4.
Samus, insula, ab Ionibus condita. I, 4, 3.
Sardanapalus imperio et vita privatus. I, 6, 2.
Sardinia, provincia facta. II, 38, 2.
Saticula, colonia deducta. I, 14, 4.
Saturninus, vid. Apuleius.
Scaevola, vid. Mucius.
Scalptores perfecti artato temporis spatio inclusi. I, 17, 4.
Scaurus, orator. II, 9, 1.
Cn. et P. Scipiones primi exercitus in Hispaniam duxerunt. II, 38, 4. 90, 2. ibi periere. II, 90, 3.
Cn. Cornelius Scipio *(Calvus)*, Africani maioris patruus. II, 3, 1. 90, 2. primus in Hispaniam missus, ibi periit. II, 90, 1 sq. proavus P. Scipionis Nasicae, qui Ti. Gracchum interfecit. II, 3, 1.
P. Corn. Scipio, *praeced. frater*, consul cum Tib. Sempronio Longo. II, 90, 2. in Hispania periit. *ibid.*

P. Corn. Scipio Africanus, *(Maior) praeced. filius.* I, 10, 3. potentiae Rom. viam aperuit. II, 1, 1. avus Gracchorum. II, 2, 1. 7, 1. (cf. Cornelia) aedilis una cum fratre. II, 8, 3.

P. Corn. Scipio Afr., *praeced. filius*, nominis specie et eloquentia solum patri similis. I, 10, 3. adoptat Aemilii Pauli filium (Scipionem Aemilianum Africanum min.) *ibid.* I, 12, 3.

P. Corn. Scipio Africanus Aemilianus, *Pauli fil.*, adoptatus a praecedente. I, 12, 3. eius virtus, ingenium et mores *ibid.* Carthaginem diruit. *ibid.* 5. II, 4, 2. 38, 2. Africani nomen meruit. II, 13, 2. eius doctrina et studia. *ibid.* 3. orator. I, 17, 3. II, 9, 1. luxuriae Rom. viam aperuit. II, 1, 1. iterum consul factus Numantiam excidit. II, 4, 2. eius iudicium de Ti. Gracchi caede. *ibid.* 4. bis triumphavit. *ibid.* 5. eius mors. *ibid.* 5 sqq. Africano avo et Paulo patri simillimus. I, 12, 3. II, 4, 6. Africam provinciam fecit. II, 38, 2.

P. Corn. Scipio Nasica *(Cn. Scipionis Calvi fil.)* vir optimus a senatu iudicatus. II, 3, 1.

P. Corn, Scipio Nasica *(Corculum) praec. fil.*, consul a. U. 599. restitit Cassio censori theatrum molienti. I, 15, 3. censor porticus fecit in Capitolio. II, 1, 2. 3, 1.

P. Corn. Scipio Nasica Serapio, *praeced. fil.* II, 3, 1 sqq.

P. Corn. Scipio Nasica, consularis, Pompeii M. socer. II, 54, 2.

P. Corn. Scipio *(Asiaticus, abnepos primi, qui hoc cognomen gessit)* consul cum Norbano, desertus ab exercitu, superatus a Sulla et dimissus. II, 25, 2.

Scipio, Iuliae adulter. II, 100, 5.

Scipiones duo Laeliis amicis et adiutoribus usi. II, 127, 1. fortissimi ducum Rom. habiti. II, 80, 3.

Scordisci a Minucio victi. II, 8, 3. a Tiberio imperio Rom. subiecti. II, 39, 3.

Scribonia, *Iuliae mater*, filiam voluntaria in exilium comitatur. II, 100, 5.

Scylacium, colonia deducta. I, 15, 4.

Sedendo coenabatur more antiquo et militari. II, 114, 3.

Seditio exercitus Cn. Pompeii in Q. Pompeium. II, 10, 1. in Octavium discussa. II, 81, 1. legionum Germanicarum et Illyricarum. II, 125. M. Caelii in Iul. Caesarem. II, 68, 2. Galliarum. II, 121. 1. seditiones forenses et theatrales a Tiberio suppressae. II, 126, 2.

Segestes, Germanus, fidelis Romanis, Arminii consilia clandestina Varo indicat. II, 118, 4.

L. Aelius Seianus, eius genus. II, 127, 3. eius ingenium et

mores. *ibid.* 3 sq. adiutor principalium operum a Tiberio assumptus. *ibid.* II, 128, 4.
Seleucia a M. Crasso petita. II, 46, 4.
Semiramis Babylonem condidit. I, 6, 2.
Semnonum fines Albis praeterfluit. II, 106, 2.
P. Sempronius Sophus, consul. I, 14, 7.
Cn. Sempronius (Blaesus), consul (iterum). I, 14. 8.
Ti. Sempronius Longus, consul anno primo belli Punici secundi. II, 90, 2.
Ti. Sempronius Gracchus, Iuliae adulter. II, 100, 5.
Senatorum filiis ordinis iura, oneribus relictis, a Sulla adempta. II, 28, 4. senatorum operae ad bellum Pannonicum et Delmaticum exactae. II, 111, 1. eorum census a Tiberio expletus. II, 129, 3.
Senatus a Romulo lectus I, 8, 6. iudicia senatui adempta. vid. Iudicia. Senatus adversatur Livio Druso. II, 13, 2. Cinnae consulatum abrogat. II, 20, 3. maior eius pars Ciceronem domum prosequitur. II, 35, 4. senatus caussae Pompeii summam imperii detulit. II, 49, 3. comprobat rerum praeteritarum oblivionem a Cicerone propositam. II, 58, 4. honorat Octavianum statua equestri et bellum contra Antonium ei mandat. II, 61, 3. paene totus e Pompeianis constans decretis favet occisorum Caesaris, et spernit Octavianum. II, 62. 73, 2. senatui maiestas ab Augusto restituta. II, 89, 3. a Tiberio. II, 126, 2. senatus novus ab eodem sine severitate lectus. *ibid.* 4.
Sentius Saturninus per Sex. Pompeium pace Misenensi restitus reip. II, 77, 3. absente Augusto consul solus. II, 92, 1 sq. severitate prisca consulatum laudabiliter gessit. *ibid.* 2 sq. consul iterum. II, 103, 3. legatus Caesaris in Germania. II, 105, 1. a Tiberio adversus Maroboduum exercitum ducere iussus. II, 109, 5. 110, 1.
Q. Sertorius a Sulla dimissus. II, 25, 3. laudat Metellum, timet Pompeium. II, 29 extr. per quinquennium gravis Romanorum hostis in Hispania. II, 90, 3. a M. Perperna interficitur. II, 30, 1.
Servilia, *Lepidi*, Augusto insidiantis, uxor, igne vivo devorato se interimit. II, 88, 3.
P. Servilius *(Vatia Isauricus)*, consul cum Iul. Caesare. II, 53, 3.
C. Servilius Glaucia, praetor seditiosus, a Mario morte multatus. II, 12, 6.
Servilius, praetor (proconsul) ab Asculanis interfectus. II, 15, 2.
Setia, colonia deducta. I, 14, 2.

Sextius Calvinus Sallues devicit, et Aquas Sextias condidit. I, 15, 4.
Sicilia, provincia facta. II, 38, 2.
Sigimerus, princeps Germanorum, Arminii pater. II, 118, 2.
Signa Romana Crasso et Antonio a Parthis adempta. II, 91, 1. ad Augustum remissa. *ibid.*
Silanus, a Cimbris fusus. II, 12, 2.
M. Silanus per Sext. Pompeium pace Misenensi reip. restitutus. II, 77, 3.
Silianus, vid. Licinius.
P. Silius, legatus Augusti in Hispania. II, 90, 4. sub eo Velleius tribunatum militum auspicatus est in Thracia et Macedonia. II, 101, 3. eius socer Coponius. II, 83, 3. eius filius A. Licinius Nerva Silianus. II, 116, 4.
C. Silius, *praeced. fil.*, scelus in Tiberium molitus. II, 130, 3.
Silo Poppaedius, vid. Poppaedius.
Silvanus Plautius, vid. Plautius.
Sinuessa, colonia deducta. I, 14, 2.
Siscia, ubi Tiberii castra hiberna bello Pannonico et Delmatico. II, 113, 3.
Sisenna, historiae belli civilis et Sullani auctor. II, 9, 5.
Smyrna ab Aeoliis condita. I, 4, 4. ibi Trebonius a Dolabella occisus. II, 69, 1.
Socratici philosophi sibi aetate proximi. I, 16, 4.
Solis orbis supra Octaviani in Urbem ingressi capite visus. II, 59, 6.
Somnium Calpurniae, Caesaris coniugis, de eius caede. II, 57, 2. Artorii medici de Octaviani fato acie Philippensi. II, 70, 1.
Sophocles tragicus. I, 16, 3.
Sora, colonia deducta. I, 14, 5.
Sosius dux classis Antonianae apud Actium. II, 85, 2. L. Arruntii fide et Octaviani clementia servatus. II, 86, 2.
Sparta Lycurgi legibus florens. I, 6, 3.
Spartacus bellum gladiatorium movet. II, 30, 5.
Spoletium, colonia deducta. I, 14, 8.
Statianus, Antonii legatus, contra Parthos cum impedimentis et tormentis perit. II, 82, 2.
Statilius Taurus terrestres copias Octaviani apud Actium regit. II, 85, 3. evectus ab Augusto eiusque operum adiutor. II, 127, 1.
Statius Murcus, praetorius, Cassio legiones in Syria tradit. II, 69, 2. post aciem Philippensem cum classe ad Sex. Pom-

peium transit. II, 72, 4. 77, 3. ab eodem in Sicilia interfectus II, 77, 3.

Statua equestris, rarus honos, quibusnam posita sit. II, 61, 3. statuae equestres a Lysippo factae, et a Metello Macedonico Romam translatae. I, 11, 3 sq. statuae e Corintho Romam a Mummio transportatae. I, 13, 4.

Strato Aegeates M. Brutum interficit. II, 70, 4 sq.

Suessa Aurunca, colonia deducta. I, 14, 4.

Sulla, vid. Cornelius.

P. Sulpicius, tribunus plebis seditiosus. II, 18, 5 sq. C. Mario bellum Mithridaticum Sullae abrogatum lege addixit. II, 18, 6. Q. Pompeii filium, Sullae generum, interficit. *ibid.* a Sulla Urbe expulsus et occisus. II, 19, 1. intemperans. II, 20, 2. orator. II, 9, 2. 18, 5. 36, 2.

Supplementum legionum prudenter a Tiberio provisum. II, 130, 3.

Sutrium, colonia deducta. I, 14, 2.

Syracusae, Corinthia colonia, matre potentior. II, 7, 7. a Marcello captae. II, 38, 2.

Syria, provincia facta. II, 37, 5. 38, 6.

T.

Tarentum, colonia deducta. I, 15, 4.

Tarracina, colonia deducta. I, 14, 4.

Tauromenium, Siciliae urbs, clade Octaviani nobilis. II, 79, 4.

Taurus, vid. Statilius.

Tegea ab Agamemnone in Creta condita. I, 1, 2.

Telamo, Teucri pater, rex Salaminis. I, 1, 1.

Telesinus, vid. Pontius.

Temenus, abnepos Herculis, Heraclidarum in Peloponnesum dux. I, 2, 1.

Templum in Samothracia insula asylo nobile. I, 9, 4. Dianae Tifatinae a Sulla honoratum. II, 25, 4. Martis ab Augusto dedicatum. II, 100, 2.

Tenus insula ab Ionibus occupata. I, 4, 3.

Terentius, comicus. I, 17, 1.

Tergeste in confinio Italiae et Pannoniae. II, 110, 4.

Testudo in apparatu triumphi Alexandrini Iul. Caesaris adhibita. II, 56, 2.

Tetrarchae Asiae Pompeio contra Caesarem auxilia mittunt. II, 51, 1.

Teucer, Telamonis filius, a patre non receptus. I, 1, 1. Salamina in Cypro condit. *ibid.*

Teus, Ionum colonia. I, 4, 3.
Teutoni Rhenum transcendunt. II, 8, 3. clades inferunt Romanis. II, 12, 2. eorum gens a Mario in Gallia excisa. II, 12, 4.
Theatrales seditiones a Tiberio Imp. compressae. II, 126, 2.
Theatrum Pompeii. II, 48, 2. Titius in eo ludos edens a populo exsecratus expellitur. II, 79, 6. a Tiberio restitutum. II, 130, 1.
Thebae nullo oratore celebres. I, 18, 2. a Pindaro illustratae. *ibid.* 3.
Theodotus, Ptolemaei pueri consiliarius, Pompeium interficiendi auctor. II, 53, 2. poenas Caesari dedit. II, 54, 1.
Theophanes, Pompeii familiaris, libertatis Mytilenaeis restitutae auctor. II, 18, 3.
Thesprotia a Phidippo occupata. I, 1, 1.
Thessalia, olim Myrmidonum civitas vocitata. I, 3, 2. a Thessalo Thesprotio ita dicta. *ibid.*
Thraces a Pisone victi. II, 98, 1 sq. auxilium ferunt Romanis bello Pannonico et Delmatico. II, 112, 4.
Thucydides Sallustii exemplum. II, 36, 2.
Thurii, ubi M. Caelius oppressus est. II, 68, 2.
Thyrsus ab Antonio Bacchum aemulante gestatus. II, 82, 4.
Tiberius Imp. vid. Claudius.
Tibullus perfectissimus in operis sui forma. II, 36, 3.
Tifata mons, ad quem Sulla cum C. Norbano conflixit. II, 25, 4.
Tigranes, Armeniae rex, a L. Lucullo victus. II, 33, 1. Mithridatis socius. II, 37, 2. se Pompeio dedit. *ibid.* 3. sqq.
Tisamenus, Orestis filius, regnavit triennio. I, 1, 4. exclusus ab Heraclidis e Peloponneso. I, 2, 3.
Titius a Sex. Pompeio pace Misenensi reip. restitutus. II, 77, 3. iugulavit iussu M. Antonii Sex. Pompeium. II, 79, 5. ob id in theatro Pompeii M. ludos edens exsecratus. *ibid.* 6. Planci avunculi exemplo ab Antonio ad Octavianum transfugit. II, 83, 2.
Togatae Afranii excellentes. II, 9, 3.
Tragici Graecorum praestantissimi aetate sibi proximi. I, 16, 3. sic et Romanorum. I, 17, 1. II, 9, 3. Tragicorum quoddam peccatum. I, 3, 2.
C. Trebonius inter Caesaris percussores est. II, 56, 3. a Dolabella in Asia fraudulenter occisus. II, 69, 1. 87, 3.
Tribunicia potestas a Sulla imminuta, a Pompeio restituta. II, 30, 4. tribuniciae potestatis collega Agrippa ab Augusto assumptus. II, 90, 2. et Tiberius. II, 99, 1. 103, 3.
Tribuno plebis a collega imperium abrogatum. II, 2, 3. tribuni seditiosi occisi, vid. *Gracchus, Apuleius, Saturninus, Dru-*

sus, *Sulpicius*, *Clodius*. Tribunicius vir de saxo Tarpeio deiectus. II, 24, 2.
Triumphi insignia. II, 10, 3.
Triumphus Aemilii Pauli. I, 9, 3 et 5. Octavii et Anicii. *ibid.* 6. Metelli Macedonici. I, 11, 6. duorum Metellorum uno die. II, 8, 2. Metelli Numidici. II, 11, 2. C. Marii. II, 12, 1. Metelli (Pii) et Pompeii ex Hispaniis. II, 30, 2. Luculli et Metelli Cretici. II, 34, 2. Pompei ex Asia per biduum. II, 40, 3. Iul. Caesaris quinque triumphi. II, 56, 2. Augusti triumphus. II, 89, 1. Tiberii II, 96, 3. 98, 4. 121, 2. triumphi meriti, sed non acti. II, 122. Germanici. II, 129, 2.
Triumviratus Iul. Caesaris, Pompeii et M. Crassi. II, 44, 1. Octaviani, Lepidi et Antonii. II, 65, 1 sq. 88, 1.
Troiae excidium. I, 2, 1. 8, 4.
Tyrii Gades condiderunt. I, 2, 6. Carthaginem. II, 15, 1.
Tyrrheni demigratio in Italiam. I, 1, 4.

U.

Uxorum fides in maritos proscriptos summa. II, 67, 1.

V.

Vala, vid. Numonius.
Valentia, colonia deducta. I, 14, 8.
Valerius Antias, historicus. II, 9, 6.
Valerius Flaccus, auctor legis de quadrante creditoribus solvendo. II, 23, 2. consularis a C. Flavio Fimbria interemptus. II, 24, 1.
Varro, (Atacinus), poëta. II, 36, 2.
Varro, ad Philippos interfectus. II, 71, 2.
Varus, e Pompeianis, acie Mundensi occisus. II, 55, 4.
Sex. Quinctilius Varus post aciem Philippensem liberto se iugulandum praebet. II, 71, 3.
P. Quinctilius Varus, *praeced. fil.*, Germaniae praefectus. II, 117, 1. Segestis fidem et insidiarum Germanorum indicium contemnit. II, 118, 4 sq. clades exercitus eius contumeliosa. II, 119, 2 sq. vir bonae voluntatis, sed nullius virtutis imperatoriae. II, 120, 3.
Vatinius a M. Bruto legionibus privatus. II, 69, 3.
Veientes, Romae recens conditae infensi. I, 8, 5.
Velia, circa quam Octaviani classis vento lacerata. II, 79, 3.
Velleius, historiae Rom. auctor, a Decio Magio oriundus. II, 16, 2. eius atavus Minatius Magius, *ibid.* eius avus C. Vel-

leius. II, 76, 1. eius pater. II, 104, 3. eius patruus Capito. II, 69, 5. eius frater. II, 115, 1. 121, 3. 124, 3. tribunus militum sub M. Vinicio et P. Silio. II, 101, 3. deinde in agmine C. Caesaris. *ibid.* 2 sq. successor patris in praefectura equitum. II, 104, 3. Tiberii praefectus aut legatus per novennium. *ibid.* — 107. quaestor designatus. II, 111, 3. Tiberio exercitum in Pannoniam adducit. *ibid.* legatus Tiberii in bello Delmatico et Pannonico. *ibid.* 4. 113, 3. triumphum Tiberii, donis adornatus, comitatur. II, 121, 3. ab Augusto et Tiberio ad praeturam commendatus. II, 124, 3. brevitatem operis propositi declarat. I, 16, 1. II, 29, 2. 38, 1. 49, 1. 52, 2. 55, 1. 66, 3. 86, 1. 89, 1. 96, 3. 124, 1. opus historicum iustum promittit. II, 48, 5. 66, 3. 89, 1. 99, 3. 103, 4. 114, 4. 119, 1.

C. Velleius, avus Velleii. II, 76, 1.

Venetia ab Asinio Pollione in potestate Antonii retenta. II. 76, 2.

Ventidius inter captivos Picentium triumpho ductus. II, 65, 3. praetor et consul deinde factus. *ibid.* post ipse triumphat. *ibid.* Parthos fundit. II, 78, 1.

Venus, a qua Iul. Caesar deducebat genus. II, 41, 1.

Venusia, colonia deducta. I, 14, 6.

Vesta, perpetuorum ignium custos, a Velleio pro imperio Rom. implorata. II, 131.

Vesuvius mons, a gladiatoribus Spartaco duce petitus. II, 30, 5.

Veterani ad arma revocati contra Antonium. II, 61, 2. contra Pannonios et Delmatas rebelles. II, 111, 1.

Veterum ducum Rom. severitas revocata a Domitio Calvino. II, 78, 3. a Druso, Tiberii fil. II, 125, 4. veterum consulum severitas adhibita a Sentio Saturnino consule. II, 92, 2. sq.

Vibillius, centurio, ob fugam ex acie fusti percussus. II. 78, 3.

Vibius Postumus, consularis, Delmatiae praepositus, ornamenta triumphalia meruit. II, 116, 1.

Viennensium seditio. II, 121, 1.

Vindelici, a Tiberio et Druso victi. II, 95, 2. 122, 2. provincia facti. II, 39, 3.

M. Vinicius, consul, sub quo inchoatum bellum Pannonicum ab Agrippa. II, 96, 2. bellum Germanicum gestum ab eo. II, 104, 2.

P. Vinicius, *praeced. fil.*, quo consule Tiberius Rhodo reversus. II, 103, 1.

M. Vinicius, *praeced. fil.*, consul U. c. 781. ad quem Velleius historiam suam conscripsit. I, 13, 5. II, 113, 1. annos rerum gestarum ex eius consulatu retro numerat. I, 6, 1. 7, 2. 8, 1 et 5. 12, 5. 6. 14, 2. 6. 15, 2. 3. 5. II, 2, 2. 4, 5. 7, 5. 10, 1. 12, 1. 15, 2. 21, 5. 27, 1. 29, 1. 38, 4. 49, 2. 65, 3. 90, 4. 100, 2. 103, 3. 128, 1.

Virgilius, princeps carminum. II, 36, 3.

Viriathus, latronum dux, contumeliosum Romanis intulit bellum. II, 1, 3. 90, 3. fraude Servilii interemptus. II, 1, 3.

Visurgis, amnis, a Tiberio transitus. II, 105, 1.

X.

Xerxes togatus L. Lucullus a Pompeio Magno dictus est. II, 33, 4.

II. INDEX

IN ANNOTATIONES.

A.

A vitiose scriptum pro *e*, *i*, *o*, *u* Prolegg. p. LXXXVI sq.
a depravatum in *e* I, 4, 1.
a depravatum in *o* Prolegg. p. XC.
a vitiose scriptum pro *ac* I, 14, 1. II, 32, 4.
a cum *d* confusum II, 5, 1. 30, 5. 65, 2.
a compendium vocis *annus* II, 90, 2.
a cum *cc* confusum II, 33, 1.
a in fine vocabuli omissum Prolegg. p. XCIII.
ab et *ad* confusum I, 18, 1. II, 19, 4.
abavus cum *atavus* confusum I, 2, 1.
abdere et *addere* confusum II, 110, 3.
abire vita et *e vita* II, 35, 5.
ablativus pendens ex *suspectus* II, 35, 3.
ablativus legitimus in dictione *acie vincere* II, 11, 2.
ablativus legitimus in formula *animo moliri, volvere, agitare* II, 46, 2.
ablativus personae non sine *a* ponitur II, 39, 1. 96, 2.
ablativus sine *in*, in formula *agminibus pugnare* II, 47, 1.
ablativus pendens ex *iungere* et *coniungere* II, 65, 3.
ablativi elliptica ratio in verbis *Tusculo urbis inquilinus* II, 128, 2.
ablativo verbi notio accuratius definitur II, 111, 4.
ablativo continuitas temporis significatur II, 47, 2.
ablativi forma oblitterata in urbium nominibus quum quaeritur *ubi* II, 129, 3.
ablativi duo diversae rectionis iuxta positi II, 111, 4. 92, 2.
ablativi absoluti substantivi et adiectivi II, 68, 3.

ablativi absoluti male tentati I, 1, 3. — male intellecti I, 7, 3.
ablativus absolutus solius participii II, 80, 3.
ablativus absolutus solius substantivi falso habitus II, 106, 3.
abscisus confusum cum *abscissus* II, 27, 3.
absolute posita verba II, 57, 1.
absorptae litterae, syllabae aut *voces* similitudine proximarum Prolegg. p. CVII sqq.
absurdo falsa adverbii forma pro *absurde* II, 77, 1.
abuti aliqua re sensu bono dictum II, 105, 3.
ac non ponitur ante *h* litteram II, 105, 3.
ac confusum cum *at* II, 37, 2. 125, 5.
ac confusum cum *et* II, 131, 1.
ac depravatum in *a* I, 14, 4.
ac depravatum ex voce *acie* II, 25, 3.
accedendi notio cum *distantiae* notione coniuncta II, 110, 1.
accensae contentiones i. q. *acres* II, 121, 1.
accersere non mutandum in *arcessere* II, 123, 2.
accidere graviorem sententiam efficit dativo adiuncto II, 118, 4.
accire mortem non sollicitandum II, 38, 6.
acclamare et *acclamatio* de strepitu indignantium dicitur II, 4, 4.
accusativus singul. nominum propriorum in *es* desinentium et *em* et *en* habet II, 33, 1. 73, 3.
accusativus plur. III decl. vocabulorum, qui genitivum in *ium* terminant, in *is* exit, Prolegg. p. CXXIII sq.
accusativus terrarum nominum quando *in* poscat II, 38, 2.
accusativus subiecti omissus II, 125, 2.
accusativus coniunctus cum verbis, quae *motum ex aliquo loco* designant II, 25, 4.
accusativus c. inf. pendens ex declarandi verbo cogitatione supplendo II, 15, 2.
accusativus c. inf. pendens ex *decernere* verbo II, 49, 5.
acer cum genitivo substantivi coniunctum I, 3, 1.
Achillas genitivum non habet Achilli II, 53, 2.
acie vincere legitimum, non *in acie vincere* II, 11, 2. 25, 3.
actus confusum cum *iactus* II, 80, 3.
ad aliquid i. q. *respectu* alicuius rei II, 23, 6.
ad cum terrarum nominibus iunctum II, 120, 5.
ad pro *in* cum accusativo II, 82, 1.
ad confusum cum *ante* II, 23, 6.
ad vitio ortum ex *con* II, 77, 2.
ad corruptum in *at* II, 86, 2.
addicere aliquid alicui, i. q. permittere II, 18, 6.

addicere deo aliquid, i. q. donare II, 25, 4.
adducere ad aliquid, i. q. sollicitando permovere II, 110, 2.
adeo non habet copulae vim I, 14, 8.
adeo positum praegressis particulis *ne — quidem* II, 67, 1.
adicere scriptum pro *adiicere* I, 2, 1.
adiectivum, substantivo regenti iungendum, cum suspenso iunctum II, 91, 3.
adiectivum duobus substantivis diversae notionis iunctum II, 27, 1.
adiectivum ad praedicatum pertinens cum subiecto coniunctum II, 33, 3.
adiectivum pro adverbio positum II, 102, 4. 106, 1.
adiectivum neutr. plur. cum genitivo coniunctum II, 63, 1.
adiectivi attributivi circumscriptio per *ex* et substantivum II, 83, 3.
adiectivi accusativus obiectum indefinitum designat II, 126, 3.
adiectiva duo comparata non ambo comparativum requirunt II, 49, 4.
adiectiva duplicis formae ab eodem nomine ducta I, 5, 3.
adiectiva genitivum regentia I, 3, 1.
adiectiva genitivum et dativum regentia I, 7, 1.
adiectum mendose scriptum pro *ad ictum* II, 69, 3.
adigere tela duplici sensu dictum II, 80, 3.
adire hereditatem, nomen, explic. II, 60, 1.
admonitio a castigatione gradu diversa II, 114, 3.
admovere exercitum i. q. progredi II, 110, 1.
adoptati nomen mutabant II, 115, 1.
adoptio per testamentum II, 60, 1.
adornare triumphum, quo sensu dictum II, 122, 2.
adulescens scriptura Velleiana, non *adolescens*, Prolegg. p. CXXII.
adulescens corruptum in *ad* voculam II, 120, 4.
adultus viribus II, 99, 2.
adverbii loco positum *ex* cum adiectivo vel participio II, 109, 3.
adverbium simul cum obiecto per copulam ad verbum relatum II, 26, 1.
adversus cum genitivo constructum II, 32, 3.
ae diphthongus scribebatur simplici *e* II, 28, 3.
ae compendium vocis *animae* II, 82, 1.
Aeculum confusum cum *Asculo* II, 16, 2.
aedes nomen omissum ad genitivum II, 60, 4.
Aegypti stipendia annua II, 39, 2.
Aelius confusum cum *Aemilius* II, 10, 1.
Aemiliae gentis erant Lepidi II, 10, 1.
aequalis cum genitivo et dativo constructum I, 7, 1.
aequalitas structurae in bimembri oratione interdum norma emendationis II, 28, 2. 41, 1. 60, 4. 73, 1. 84, 1.

aequus — quam non sollicitandum II, 121, 1.
aequus confusum cum *equus* II, 121, 1.
aereae tabulae anaglyphae nullae erant II, 25, 4.
aestimare aliquid ex merito explic. II, 118, 4.
aevum dictum pro hominibus alicuius aetatis II, 31, 1.
affectare aliquam rem, explicatum II, 39, 1.
afferre manum alicui rei II, 100, 1.
Afranius confusum cum *Africanus* II, 48, 1.
agere telum, explicatum II, 80, 3.
agere annos latine non dicitur II, 4, 7.
agere annum et *natum esse annos* diversum est II, 61, 4.
agere consulem i. e. se gerere consulem II, 92, 2.
agitur cum temperamento, absolute dictum II, 111, 4.
agminibus pugnare, et *in agmine pugnare* quomodo differat II, 47, 1.
agnoscere crimen i. e. a se commissum fateri II, 95, 3.
agrestis confusum cum *equestris* II, 11, 1.
alae i. q. equitatus II, 119, 4.
Alexandrea et *Alexandria* II, 87, 2.
aliena arma, i. q. inimicorum arma II, 50, 2.
alioqui Velleius dicit, non *alioquin* II, 7, 3.
aliquis non valet *alius quis* I, 17, 7.
aliquid, i. q. aliqua hominum pars II, 84, 2.
alius quando pro *alter* dici possit I, 4, 2.
alii in oppositione II, 52, 1.
alii confusum cum *illi* I, 4, 2.
alter in geminatione interdum excidit II, 114, 4.
altissime i. q. *maxime* II, 35, 1.
ambiguitas non semper studiose a veteribus evitata I, 1, 3. II, 59, 2. 87, 2.
Amerbachius quomodo Velleii codicem Murb. descripserit. Prolegg. p. LXXXIV sq. CXXI.
Amerbachio minor fides, quam editioni pr. Prolegg. p. CXVI sq.
amittere confusum cum *omittere* II, 39, 1.
amnestia Atheniensium II, 58, 4.
amplius cum ablativo iunctum, *quam* particulâ non omissâ II, 110, 3.
Anacolutha apud Velleium II, 4, 1. 6, 3. 24, 4. 26, 1. 39, 2. 80, 2. 109, 5. 125, 3.
analogia plus valet quam *elegantia* in iudicanda veritate II, 21, 2.
anastrophe praepositionum ubi admitti nequeat II, 91, 2.
ἡ *ἀνδρία* sive τὸ *ἀνδρεῖον* Lacedaemoniorum propria laus I, 6, 3.
angustus clavus insigne equitum II, 88, 2.

anima dictus *homo dilectus* II, 120, 3.
animo par dictus *qui eodem est animo* II, 33, 3.
animo moliri, volvere, agitare, non in *animo* II, 46, 2.
annorum ratio saepe fluctuans uno anno II, 61, 1.
ante adverbium confusum cum *antea* I, 3, 1.
ante confusum cum *ad* II, 23, 6.
Antiochinus proba forma II, 39, 2.
antiqua gravitas Romanorum quando et quibus caussis exstincta. Prolegg. p. XXV sq.
antiquus et *priscus* coniuncta I, 16, 3.
Antistius confusum cum *Aristius* II, 90, 4.
aperire coniurationem i. q. patefacere II, 34, 3.
apparatus corruptum in *praeparatus* II, 76, 3.
appellare, faciendo oppositum, i. q. inane nomen dare II, 126, 1.
appellativum nomen cum proprio confusum II, 131, 1.
appositio enunciationum I, 17, 4.
apud pro *in* c. ablat. II, 82, 1.
Apuleius et *Appuleius* II, 123, 3.
Aquilius et *Aquillius* II, 4, 1.
Arbaces confusum cum *Pharnace* I, 6, 2.
arcessere et *accersere* II, 123, 2.
arcuit confusum cum *arguit* II, 120, 6.
arcus i. q. iris II, 59, 6.
area confusum cum *atrio* II, 14, 1.
area interna in templis, quid II, 25, 4.
arena melior forma quam *harena* I, 10, 2.
argentariorum tabernae in foro erant II, 126, 2.
arguere i. q. crimari et convincere II, 33, 2.
argumentatio compendiaria in facete dictis II, 83, 3.
argutae sententiae a Velleio studiose quaesitae. Prolegg. p. L sqq.
arma inferre et *arcere* opposita II, 120, 6.
Arruntius rectius scribitur quam *Aruntius* II, 77, 3.
Artagerá, ae, et — *orum* II, 102, 2.
a se pro *sponte*, barbarum II, 114, 4.
assentari i. q. *assentire* II, 48, 1.
assentatio i. q. assensio II, 128, 3.
assentator et *assectator* II, 83, 1.
asserere aliquem sine dativo dictum II, 60, 1.
assimilatio litterarum in vocabulis cum praepositione compositis retinenda. Prolegg. p. CXXIV sq.
assuetus aliqua re, i. q. assidue utens II, 29, 5.
assurgere alicui II, 99, 4.

asyndeton non intellectum II, 47, 4. 72, 5.
asyndeton particulâ *nam* omissâ II, 57, 3.
at positum in transitu II, 110, 1. 86, 2.
at diversum ab *sed* II, 9, 6.
at confusum cum *ac* II, 37, 2. 125, 5.
at confusum cum *haut* et *aut* II, 68, 2. 105, 3.
at confusum cum *ad* II, 86, 2.
atavus confusum cum *abavus* I, 2, 1.
Atia dicta Octaviani mater, non *Attia* II, 59, 2.
atque corruptum in *que* II, 16, 4.
atrium confusum cum *area* II, 14, 1.
Atticus inter Velleii fontes fuit. Prolegg. p. XXXIX sq.
Attius rectior nominis forma quam *Accius* I, 17, 1.
Attii ingenium et virtutes II, 9, 3.
attractio casus praecedentis II, 108, 2.
attractio pronominis, quod in antecedentibus nomen non habet, quo pertineat II, 94, 4.
attractio pronominis demonstrativi et relativi II, 60, 3.
attractio nominis ex secundaria enunciatione ad primariam II, 89, 5.
attractio nominis ex primaria enunciatione ad secundariam II, 18, 6. 39, 3. 80, 3.
attractione adiectivum attributivum genitivo partitivo sociatur II, 115, 1.
attractione mutatur constructio II, 115, 3.
attractionis genus liberius II, 17, 1.
auctor doctrinae, i. e. qui doctrinae auctoritatem dat. I, 13, 3.
Augustus varie a Romanis ipsis iudicatur. Prolegg. p. XXVI sq.
aurea confusum cum *laurea* II, 40, 4.
aut duplex, ubi tripartita exspectatur oratio I, 12, 3.
aut depravatum ex *ut* II, 28, 2.
autem transitui inservit. II, 15, 3.
aversa castrorum II, 63, 1.
avulsae syllabae in novum vocabulum depravatae. Prolegg. p. CIV.

B.

B confusum cum *s* II, 119, 2.
Bagienni etiam *Vagienni* dicti I, 15, 5.
Balbi duo a Velleio confusi II, 51, 3.
bellum piraticum finitum ante bellum Mithridaticum Pompeio demandatum II, 33, 1.
bellum vox nunquam omittitur II, 90, 2.
bene meriti divisim scribendum II, 40, 5.

bilingues erant populi Magnae Graeciae I, 4, 2.
Bithynia non ad Asiam provinciam pertinebat II, 42, 3.
bn̄ compendium vocis *bellum* II, 82, 1.
bn̄a compendium vocis *beneficia* II, 82, 1.
brevi legitimum, non *in brevi* II, 61, 2.
brevitas argumentationis in facete dictis II, 83, 3.
brevitas dicendi Velleio perperam tribuitur. Prolegg. p. LIX.
Brutus Caesaris interfector quando sine praenomine dicatur II, 58, 1.
Brutus confusum cum *Drusus* II, 125, 4.
Burerii collatio codicis Murbacensis. Prolegg. p. LXXXI sq.
Burerii fides temere impugnata. Prolegg. p. LXXXII.
Burerii silentium testimonii loco est. Prolegg. p. LXXXIII.
Burerio plus tribuendum, quam Amerbachio. Prolegg. p. CXVII.

C.

C litterâ nomen *Ciceronis* interceptum II, 66, 5.
C compendium nominis *Caius* confusum cum *cos.* II, 8, 1.
C, i. e. *Caius*, excidit post *e* II, 102, 2.
c compendium vocis *civis* II, 7, 7.
c compendium syllabae *cir* excidit II, 3, 1.
c confusum cum *t* I, 6, 4. Prolegg. p. LXXXVII.
c confusum cum *g* II, 120, 6.
c numerus ex *V* depravatus II, 38, 2.
cā compendium vocis *causa* II, 82, 1.
Cacophonia frustra molesta I, 3, 2.
cadere confusum cum *cedere* II, 14, 1.
Caelius et *Coelius* II, 9, 6.
Caesares i. q. domus Caesarea II, 114, 5.
Caesaris locus in B. C. III, 22. emendatus II, 68, 3.
Calatia confusum cum *Galatia* II, 61, 2.
Camillus nomen corruptum in *Camelus* II, 64, 1.
canina rabies dictio Velleio falso obtrusa II, 64, 3.
Cannutius non minus recta nominis forma, quam *Canutius* II, 64, 3.
capere aliquid res dicitur, quae aliquid patitur II, 68, 1.
capsus quid sit explicatur I, 16, 2.
Capuae adempta civitas II, 44, 4.
Carani genus I, 6, 5.
carcer num ablativum habeat *carceri* II, 91, 4.
castigatio verbis facta II, 114, 3.
casus i. q. malum II, 30, 5.
Cato confusum cum *Cicero* II, 35, 5.

Cato inter Velleii fontes fuit. Prolegg. p. XXXIX.
Catonianam aeram sequitur Velleius. Prolegg. p. XLI — XLVI.
causa praegnanti sensu i. q. iusta caussa II, 3, 3.
causa opposita personae II, 49, 3.
cc vel *ce* confusum cum *a* II, 33, 1.
cedere de eventu fortunae dictum II, 14, 1.
cedere mundo i. q. evanescere II, 66, 4.
cedere rem i. q. concedere II, 85, 5.
celer cogitatione explic. II, 73, 1.
celetes navium genus velocium II, 73, 3.
censura confusum cum *censu* II, 8, 1.
ceterum i. q. *sed* II, 114, 2.
chiasmus II, 119, 2.
chronologia Velleii. I, 8, 1. 14, 3. 15, 2. 15, 3. 15, 5. II, 2, 2. 4, 5. 4, 7. 10, 1. 12, 1. 15, 1. 21, 5. 27, 1. 29, 1. 36, 1. 38, 2. 49, 2. 103, 3. cf. Prolegg. p. XLI—XLVI. ac v. etiam *numeri.*
Ciceronis locus in Verr. IV, 10, 22. ex Velleio emendandus II, 8, 1.
ciere pugnam, non *ciere viros ad pugnam* II, 6, 6.
circa duplici potestate positum I, 2, 3.
circa confusum cum *contra* II, 76, 3.
circumfundi i. q. *cingere* II, 46, 4.
civile bellum de *sociali bello* dictum II, 9, 5.
civilitas vocabulum falso Velleio tributum II, 22, 2.
civis Romani dignitas II, 28, 3.
civitas a populo dabatur I, 14, 3. II, 44, 4.
clarus celeberque coniuncte dictum II, 105, 3.
classis ablativum habet *classi* et *classe* II, 79, 2.
Claudianus depravatum in *Calidianus* II, 75, 3.
codex Velleii Murbacensis. Prolegg. p. LXXVI sqq. LXXXV.
coelestis i. q. divinus seu egregius II, 24, 3. v. Prolegg. p. XLIX.
Coelius etiam *Caelius* scribitur II, 36, 2.
coepta confusum cum *incepta* II, 14, 1.
coeptum opponitur *operis exsecutioni* II, 45, 2.
cogitatio i. q. deliberatio I, 10, 2.
cogitator idonea auctoritate carens vocabulum II, 73, 1.
cognomini saepe postpositum nomen II, 26, 2.
cohortes dicuntur *auxiliorum pedites* II, 113, 1.
colere artem alicui rei II, 29, 5.
collidi dicuntur pugnantes II, 52, 3.
colloquia facta per internuncios. II, 63, 1.
collocatio verborum. Prolegg. p. LXXIII sqq.
oppositae voces certum locum poscunt II, 101, 1.

oppositae voces in confinio positae I, 2, 1.
vocabulum cum vi in fine positum I, 2, 1.
pronomen relativ. a suo nomine remotum II, 50, 1.
colonia deducitur Suessa et *Suessam* I, 14, 1.
coloniae militares, quae, I, 14, 1.
colonias deducere et *colonos deducere* diversum II, 2, 3.
colonis confusum cum *coloniis* II, 74, 2.
comes in aliqua re non dicitur II, 80, 2.
committere se alicuius potestati non minus bonum quam *permittere* II, 37, 4.
communio i. q. instituta communicatio I, 14, 1.
comoediae notio circumscripta I, 17, 1.
comparatio imperfecta II, 17, 1.
comparatio duorum adiectivorum non duos comparativos exigit II, 49, 4.
comparatur res cum rei *attributo* I, 12, 3.
compendia scribendi perperam lecta. Prolegg. p. XCVII — C.
composita cum praepositionibus vocabula quam orthographiae rationem sequantur. Prolegg p. CXXIV.
comprendere non sollicitandum II, 62, 4.
Compsa confusum cum *Cosa* II, 16, 2. 68, 3.
con depravatum in *ad* II, 77, 2.
concilium diversum ab *consilio* II, 76, 2.
concinnitatis studium orationem interdum insolentem reddit II, 7, 6. 112, 3.
concipere praegnanti sensu i. q. animum inducere II, 117, 3.
concupiscere cum infinitivo perf. pass. iunctum II, 2, 3.
concordia oppositum *bellis civilibus* II, 90, 1.
concutere gentem i. q. *frangere* II, 121, 1.
condere insulam explicatum I, 2, 3.
condere aetatem Velleius non dixit I, 3, 3.
condicio scribit Velleius, non *conditio*. Prolegg. p. CXXI.
condicionibus bellum finire explic. II, 50, 1.
conferre in aerarium i. q. *inferre* I, 9, 6.
conferre confusum cum *non ferre* II, 114, 4.
confusio duarum locutionum II, 6, 3.
coniunctivus in futurum depravatus II, 7, 4.
coniunctivus perfecti. v. *perfect.*
coniungere cum ablativo construct. II, 65, 3.
conscientia mersus explic. II, 91, 3.
consequi aliquid i. q. consectari II, 61, 1.
consilii depravatum in *constitit* II, 110, 2.

constantia formae explicat II, 29, 2.
constare aliqua re, i. q. *valere* II, 62, 3.
constructio ad sensum. v. synesis.
constructio falsa a librariis instituta corruptelarum caussa fuit. Prolegg. p. CV — CVII.
constructio durior non statim emendanda I, 8, 1.
constructio non intellecta coniecturas genuit II, 79, 2. 80, 1. 82, 2. 107, 3. 5, 3. 7, 2.
consuetudo scriptoris res incerta II, 65, 2. 116, 3.
consul per synesin intelligendum ex praegresso *consulatus* II, 17, 3.
consulare imperium quale II, 34, 4.
consularis non semper is dictus, qui consul fuit II, 57, 3.
consules dicti, qui proconsules erant II, 12, 2.
consulum nominibus quando praenomina addenda sint II, 103, 3.
contentum esse aliqua re, explic. II, 103, 5.
contentus cum re falsa constructio II, 49, 5.
contentus confusum cum *contemptus* II, 68, 5.
continens substantivum confusum cum participio I, 3, 3.
continuo temporis perpetuitatem non designat II, 16, 4.
continuare aliquid alicui rei II, 91, 3.
contio rectius scribitur quam *concio* I, 10, 4. v. Prolegg. p. CXXI.
contra confusum cum *circa* II, 76, 3.
contribuere oppositum *distribuendo* II, 20, 3.
conveniens sine dativo non dicitur I, 6, 3.
convenire ad aliquem temere sollicitatum II, 99, 4.
convenit absolute i. q. licet I, 3, 2.
conventus i. q. *congressus* II, 77, 2.
copiae i. q. *commeatus* II, 111, 4.
copula non potest diversi generis praedicata coniungere II, 124, 4.
copula non ponitur inter ablativos abss. et participium II, 107, 2.
copula inter duo nomina propria omitti nequit I, 4, 1. II, 20, 2. 39, 1. 103, 3.
copula inter duo adiectiva nomini praemissa quando omitti possit I, 8, 5.
copula pro *aut* posita in oratione bimembri, quae trimembris esse poterat I, 12, 3.
copula inter duo substantiva quando recte omittatur II, 20, 5. 100, 3.
copula consulum nominibus non additur I, 15, 2.
copula inter duas enunciationes ubi deesse nequeat II, 56, 1.
cora compendium vocis *concordia* II, 90, 1.
Corfinium Italica dictum II, 16, 4.
Corinthus falso pro masculino habita I, 3, 3.
Corinthi situs I, 3, 3.

corpus imperii i. q. universum imperium II, 109, 1.
correlativa inter se mutata II, 39, 2.
correlativorum demonstrativa omissa ante relativum II, 72, 2.
cos. compendium vocis *consulatus* II, 8, 2. 22, 2. 32, 1.
cos. compendium vocis *consularis* II, 12, 2. 96, 2.
Cosa confusum cum *Compsa* II, 16, 2.
cotidie scriptura Velleiana II, 60, 4. Prolegg. p. CXXII.
Cotta confusum cum *Cato* II, 36, 2.
cothurnus non succingitur II, 82, 4.
Crassus orator cum M. Crasso divite confusus II, 36, 2.
creare aliquam rem i. q. excitare II, 20, 1.
creari in consulatum barbarum II, 4, 7.
creber sensibus laus poetae II, 9, 6.
cri compendium vocis *crimen* II, 82, 1.
crocota vestis Baccho propria II, 82, 4.
κτίζειν νῆσον, χώραν, explicatum I, 2, 3.
cui corruptum in *qui* II, 118, 4.
cuiusque depravatum in *omnisque* I, 8, 2.
cum in apodosi indicativo iunctum II, 110, 2.
cum pro *quamvis* positum coniunctivum regit II, 122, 1.
cum actionis modum declarat II, 46, 3.
cum — tum particulae cum verbis iunctae I, 3, 2.
cum quomodo differat ab *et* copula in coniungendis nominibus II, 19, 1.
cum simul cum adiectivo non postponitur substantivo II, 46, 3.
cum non additur ablativo instrumenti II, 46, 3.
cum exercitu adire terram II, 107, 3.
cum substantivo et adiectivo praemissum II, 129, 2.
cum aliquo queri explic. II, 130, 3.
cum excidit ante *c* litteram II, 86, 2.
cum et *ut* particulae confusae II, 112, 3.
cupiditates diversae a *libidinibus* II, 48, 3.
cura intenta quid sit explic. II, 45, 2.
custodita res i. q. firmata, tuta, II, 109, 1.

D.

D in *a* depravatum II, 5, 1. 30, 5.
damnati differunt ab iis, quibus aqua et igni interdicitur II, 69, 5.
dativus commodi praepositioni *contra* opponitur II, 124, 1.
dativi loco *praeficere* construitur cum *in* et ablat. II, 105, 1.
dativi loco nominativus positus in dictione *esse alicui praesidio* et *praesidium* II, 110, 4.
dativo ponitur is, in cuius honorificam salutationem aliquid fit II, 99, 4.

disciplina civilis qualis II, 109, 1.
dativus pendens ex *colere* verbo II, 29, 5.
dativus cum passivo constructus, pro *a* cum ablat. II, 39, 1.
dativus ex verbo pendens non potest alii substantivo et adiectivo interponi II, 60, 1.
dativus pro genitivo positus II, 74, 3.
dativus omissus ad verbum *offerre* II, 57, 1.
dativus omissus ad verbum *praeponere* II, 122, 1.
dativus cum ablativo confusus II, 35, 5.
decernere constructum cum accusat. et infinit. II, 49, 4.
declarare quomodo differat ab *ostendere* II, 109, 1.
deducere coloniam proprie dicitur I, 14, 8.
deducitur colonia duplici structura dicitur I, 14, 4.
defici aliqua re diversum a destitui II, 120, 3.
deficere absolute respondet verbo *sufficere* II, 127, 2.
deflere rem i. q. cum fletu narrare II, 119, 1.
defluere ore Socratis dicuntur discipuli I, 16, 4.
deiici, eiici, reiici quo sensus discrimine navigantes dicantur I, 1, 2.
deinde i. q. *postea* II, 89, 2.
deinde post non sollicitandum II, 23, 3.
deinde confusum cum *denique* II, 25, 2.
delectus dicitur de conscribendis militibus, non *dilectus* II, 111, 1.
Dellius rectior nominis forma, quam *Deillius* II, 84, 3.
Delmatae et *Delmatia* forma Velleio probata, non *Dalmatae* II, 39, 3. 90, 1.
deponens. v. *verbum.*
deprecari i. q. precibus contendere II, 86, 2.
descendere equo alicui explic. II, 99, 4.
descendere montem defensum II, 25, 4.
desperare aliqua re i. q. ea in desperationem adigi II, 82, 2.
destituere aliquam rem i. q. irritam facere II, 42, 1.
detractus corruptum in *detrectatus* II, 85, 4.
dicio scriptura Velleiana, non *ditio.* Prolegg. p. CXXI.
dies feminino genere non sollicitandum II, 104, 1.
differre i. q. vi dispellere et in varias partes agere II, 79, 3.
dignatio partium quid sit II, 52, 1.
dignum aliqua re i. e. ei congruum II, 80, 4.
digredi aliquem locum non sollicitandum II, 25, 4.
dilectus falsa forma pro *delectus* II, 111, 1.
dim͡ compendium vocis *dimidium* II, 82, 1.
dimittere in omnes partes, detachiren, vocabulum militare II, 52, 4.
dirae i. q. devotiones II, 46, 3.
directa acies qualis II, 47, 1.

discernere confusum cum *decernere* II, 118, 1.
dispungere i. q. *distinguere* I, 13, 3.
dissimillimus confusum cum *dignissimus* II, 80, 4.
non dissimilis — quam voces sibi respondent II, 55, 2.
dissidere absolute dictum II, 80, 2.
divulsae syllabae et voces cohaerentes in cod. Murb. Prolegg. p. C sqq.
dō compendium vocis *dona* II, 82, 1.
doctrina et industria opposita *naturae* II, 97, 2.
Dolabella minus recte dicitur *Dolobella* II, 43, 3. 58, 3.
donare aliquem honore i. q. *dono* II, 115, 1.
Drusus confusum cum *Brutus* II, 125, 4.
dum cum praesenti iunctum II, 44, 5.
duo accusativus plur. pro *duos* I, 8, 4.
duos confusum cum *duces* II, 40, 5.

E.

e signum diphthongi *ae* II, 28, 3. 36, 2. 70, 1.
e depravatum in *a*. Prolegg. p. LXXXVI.
e confusum cum *t* II, 116, 4.
e depravatum in *u*. Prolegg. p. XCI.
e confusum cum *i* I, 2, 1. 8, 5. Prolegg. p. LXXXVII.
e absorpsit proximum *c* II, 102, 2.
eam depravatum in *iam* I, 8, 5.
ecquandone non mutandum in *ecquando* II, 14, 1.
effluvium confusum cum *influvio* II, 120, 4.
effodi dicuntur *oculi* II, 52, 3.
effundere se in aliquam terram dicuntur hostes II, 110, 4.
egredi vocabulum militare II, 119, 2.
egredi alicui falsa constructio II, 45, 5.
egredi i. q. latebris relictis aliquo se conferre II, 129, 1.
ei excidit inter *e — i* II, 37, 4.
ei depravatum in *et* II, 37, 5.
eiici dicuntur naufragi I, 1, 2.
eiici i. q. civitate expelli II, 86, 2.
εως graeca terminatio latine fit *eus* et *ius* II, 69, 2. 86, 2, 87, 1.
el compendium nominis *Aelius* II, 116, 3.
elanguescere viribus i. q. defici viribus II, 111, 4.
elegantia fallax verae scripturae indicium II, 21, 2.
eludere in re militari est *dolo frangere* II, 111, 4.
eludere confusum cum *evadere* II, 111, 4.
eminens, eminentissimus, eminere, vocabula Velleio valde frequentata. Prolegg. p. XLIX.

emolumentum diversum ab *emolimento* I, 17, 5.
emolumentum facere alicuius rei explic. II, 105, 3.
Ennius cur a Velleio non inter poetas nominetur II, 9, 3.
eo confusum cum *est* II, 35, 3.
eo omissum ante *quo* II, 72, 2.
eoque confusum cum *atque eo* et *quod* II, 103, 3.
ere terminatio confusa cum *ens* II, 125, 4.
epexegesis appositionis formam habens II, 124, 2.
epistula scriptura Velleiana, non *epistola*. Prolegg. p. CXXII.
equites non habebant ius triumphandi II, 30, 2.
equitum insigne angusticlavium II, 88, 2.
equo confusum cum *e quo* II, 76, 4.
equus corruptum ex *aequus* II, 121, 1.
erudire indolem recte dicitur II, 59, 4.
Erythrae non *Erythra* urbis nomen I, 4, 3.
esse praesidio et *esse praesidium alicui* II, 110, 4.
est omissum II, 55, 1. 127, 2.
et non interpositum numeralibus II, 123, 3.
et iungendis membris orationis quater repetitum II, 92, 4. 128, 1.
et inter duo nomina propria omitti nequit I, 4, 1.
et positum in transitu ad novam rem II, 4, 2.
et i. q. *et quidem* II, 7, 6. 55, 4. 111, 1.
et quando nequeat adversativam sententiam nectere II, 9, 6.
et falso positum pro *etiam* I, 17, 2.
et — *et* particulae paria eiusdem vocis attributa comprehendunt II, 42, 2.
et — *neque* sibi respondent II, 33, 4. 129, 3.
et confusum cum syllaba finali *tur* II, 109, 1.
et confusum cum *est* II, 35, 3. 38, 6.
et confusum cum *ex* I, 14, 1. II, 52, 4.
et confusum cum *ei* II, 37, 5. 118, 4.
et confusum cum *ut* II, 90, 1.
et confusum cum *id* II, 104, 2.
et absorptum praegressa syllaba *it* vel *et* II, 56, 1.
etenim parenthesin infert II, 102, 3.
etiam omissum post *non tantum* II, 28, 3.
etiam praedicata iungit II, 19, 1.
etiam eum comparativo iunctum II, 112, 1.
etiam confusum cum *aciem* II, 112, 3.
etiam confusum cum *et* I, 17, 1.
eum corruptum in *quem* II, 99, 4.
ex caussam designat II, 29, 2.
ex dissimulato i. q. dissimulanter II, 109, 2.

ex cum substantivo inservit circumscribendo adiectivo attributivo II, 83, 3.
ex depravatum in *et* II, 52, 4.
exarmatus i. q. infirmus factus II, 17, 1.
excedit ira in hoc explic. II, 68, 5.
excelse i. q. plurimum I, 6, 4. II, 35, 1.
exciderunt vocabula in cod. Murb. Amerb. Ed. pr. Prolegg. p. CIX — CXI.
exercere vim consulatus explic. II, 47, 2.
exercitia de usu rerum civilium dictum II, 109, 1.
exire de vita defensum I, 11, 7.
exoleti histriones dicti II, 28, 3.
explosio histrionum frequens II, 28, 3.
exponere milites, sc. e navibus in terram, absolute dictum II, 79, 4.
exponere in terra ubi dici nequeat II, 79, 4.
expugnare fortunam dici non potest II, 55, 1.
exserere verbi potestas II, 47, 2.
exserere confusum cum *exercere* II, 47, 2.
exstruere confusum cum *obstruere* II, 105, 3.
extentum confusum cum *extenuatum* I, 11, 6.
evehi in consulatum vel *honores* II, 4, 7. 30, 4.
evocare aliquem absolute dictum, i. q. iubere aliquem praesto esse II, 129, 1.
evocati confusum cum *revocati* II, 111, 1.

F.

F depravatum in *st* II, 2, 3.
facilis confusum cum *felix* II, 53, 4.
facta societas, non *pacta* II, 65, 1.
factum confusum cum *pactum* II, 2, 2. 65, 2.
factus confusum cum *fractus* II, 39, 2.
Falernum confusum cum *Salernum* I, 15, 3.
familiaris sermonis negligentia II, 17, 1. 33, 1. 55, 1, 60, 2. 65, 1. 79, 4.
fastigium i. q. summae opes II, 15, 2.
fatalis mors i. q. naturalis II, 49, 1.
fecit confusum cum *facti* II, 72, 1.
ferme numerum rotundum indicat I, 15, 2. II, 11, 3. 12, 1.
ferre i. q. *afferre* II, 27, 3.
festinationis Velleii in scribendo opere suo quae caussa fuerit. Prolegg. p. XXII.
fidelis i. q. bona fide agens II, 29, 3.
fides in foro quid II, 126, 2.

fieri absolute dictum de obtinendis honoribus II, 17, 3.
filius vocabulum suppletur interdum II, 5, 3.
finalium syllabarum corruptiones frequentes. Prolegom. p. XCII sqq.
firmare confusum cum *formare* I, 8, 5.
firmatus sensu cognatum cum *formatus* II, 110, 6.
firmare terram pace explic. II, 123, 1.
fluere mollitiis male tentatum I, 6, 2.
fontes quibus Velleius usus est. Prolegg. p. XXXVIII—XLI.
foret corruptum ex *fuerat* II, 95, 3.
forma operis a Velleio saepius memoratur I, 16, 1.
forma praegnanti sensu dictum II, 110, 6.
formare i. q. perfectum reddere II, 110, 6.
fortis pugna i. e. in qua fortiter dimicatur II, 24, 1.
fortis opponitur *temerario* II, 24, 5.
fortis animi bellique defensa constructio II, 27, 1.
fortuna comes dea non est II, 69, 6.
forum argentariorum sedes II, 126, 2.
fracta confusum cum *tracta* I, 12, 1.
fractus confusum cum *factus* II, 39, 2.
fratres praenomine discernuntur II, 2, 3.
fraudare aliquem aliqua re dictio Velleiana II, 45, 3.
Fregenae confusum cum *Fregellae* I, 14, 8.
fructus verbi *fruor* participium est, non *fruitus* II, 104, 3.
fuerat corruptum in *foret* II, 95, 3.
fugitivi i. q. servi viliores II, 30, 5.
fui cum particip. perfecti coniunctum II, 27, 4.
fulgentissimus, fulgere, fulgor vocabulis Velleius saepe utitur ad rem *eximiam* significandam. Prolegg. p. XLIX.
fulgere et *fulgor* de armis proprie dictum II, 106, 1.
fungi aliqua re i. q. eam praebere, praestare II, 15, 2.
furentes vires populi, explic. II, 111, 4.
fustis ablativum habet *fusti* II, 78, 3.
futurum in enunciatione condicionali quomodo differat a *coniunctivo* II, 4, 7.

G.

G, i. e. *Gaius*, falso acceptum pro *Gracchus* II, 2, 3.
g nunquam cum *s* confusum II, 112, 4.
g confusum cum *c* littera II, 120, 6.
Gades urbs et insula I, 2, 3.
Gallaeci falso scribitur *Gallaeci* II, 5, 2.
Galliae stipendia annua II, 39, 2.

Galliae et *Gallia* quid differant II, 39, 2.
geminandae particulae semel tantum positae II, 110, 1.
geminandae voces interdum corruptae omissa altera II, 114, 4.
geminatae falso litterae in cod. Murb. et Amerb. Prolegg. p. CXI sqq.
generali sententiae subiicitur illustratio per partes II, 115, 2.
genitivus pluralis nominum in *ens* habet *um* et *ium* II, 108, 2.
genitivus vocabulorum in *ius* et *ium* simplici *i* terminatus. Prolegg. p. CXXII sqq.
genitivus nominum populorum II declinationis in *orum* et *um* terminatur II, 12, 4.
genitivus vocis *plebs*, *plebei* II, 111, 3.
genitivus nominis *Orestes* duplex I, 1, 3.
genitivus in *i* non est nominum in *as* desinentium II, 53, 2.
genitivus ex adiectivo indefinitae potestatis pendens I, 3, 1.
genitivus cum nomine ex altero genitivo pendens II, 5, 3.
genitivus caussae potestate positus II, 20, 5.
genitivus subiectivus II, 49, 4. 54, 3.
genitivus qualitatis cum nomine concreto coniunctus II, 79, 1.
genitivus pendens ex *adversarius* II, 32, 2.
genitivus pendens ex *proximus* II, 36, 3.
genitivus pendens ex *laetus* II, 42, 3.
genitivi duo, alter ex altero pendens II, 50, 4. 89, 1. 100, 4.
genitivis duobus interpositum vocabulum II, 16, 3.
genitus alicui rei II, 27, 1.
genitus confusum cum *penitus* II, 27, 1.
gens quomodo differat a *natione* II, 96, 3.
genus praedicati, ubi *millia* praecedit, interdum rem numeratam spectat II, 12, 4.
genus praedicati neutrum ad res et personas simul relatum II, 52, 3.
genus praedicati femininum, ubi praecedit viri et feminae subiectum II, 111, 1.
genus neutrum relatum ad duo feminina II, 118, 1.
gerundium cum accusativo constructum II, 59, 4.
glossae in textu, Prolegg. p. CXIII.
glossemata quanta cautione statuenda sint II, 94, 1.
$\widehat{gr}$ compendium vocis *gratia* II, 82, 1.
gradatio duplex, recta et inversa II, 114, 3.
graeca in codicibus alia manu scribi solita I, 5, 3.
grammaticorum aetas I, 17, 4.
gratia cum *auctoritate* coniuncta, quomodo II, 20, 5.
gravis volnere explic. II, 55, 4.
gurges dici nequit *pronus* I, 16, 1.

H.

Habere aliquid i. e. nunc ipsum agere II, 109, 2.
habere aliquam rem i. e. coniunctum esse cum aliq. re II, 35, 2.
habere in animo expl. II. 46, 2.
habere mentionem alicuius rei probum II, 62, 5.
habeo dicere rectum, at non *habeo dixisse* II, 124, 1.
hac — illa voces sibi respondent II, 84, 1.
hedera cinctus Bacchus humeros II, 82, 4.
ἥμισυ quo sensu numeralibus addatur II, 56, 2.
ἓν διὰ δυοῖν figura II, 29, 2.
hereditate relinquitur res II, 4, 1.
hic quomodo differat ab *is* I, 2, 2.
hic pronomen de eo usurpatur, quod praesenti tempore est vel fit I, 11, 5. II, 8, 1.
hic cum *idem* iunctum II, 65, 1.
hic de remotiore, *ille* de proximo dictum II, 92, 5.
hic depravatum in *hinc* II, 103, 4.
hieme ab armis cessabatur II, 114, 4.
hilaritas prisca qualis II, 127, 4.
hinc — illinc quando pro *hic — illic* dictum videri possit II, 84, 1.
Hispania ubi singulari numero dicendum sit II, 38, 4.
histriones explosi vel eiecti II, 28, 3.
hodieque i. e. *hodie quoque* I, 11, 3.
homo confusum cum *non* II, 35, 2.
homines confusum cum *omnes* II, 130, 2.
homoeoteleuton iniuria suspectum II, 22, 2.
honor i. q. donum vel praemium II, 115, 1.
Hortensius inter Velleii fontes fuit. Prolegg. p. XL.
horum confusum cum *honorum* II, 116, 5.
τὸ ὕπαιθρον in templis, quid II, 25, 4.
hyperbolica dicendi ratio Velleio perfamiliaris. Prolegg. p. XLVIII.

I.

I numerus corruptum in X II, 38, 2.
i depravatum in *e* I, 1, 3. Prolegg. p. LXXXVII.
i depravatum in *t* Prolegg. p. XCI.
i depravatum in *c* I, 2, 2.
i depravatum in *o* Prolegg. p. XC.
iacere mentionem non commutandum in *facere ment.* II, 65, 1.
iactus depravatum in *actus* II, 80, 3.
iam rem miram addit prioribus II, 52, 5.
iam transitum parat ad nova II, 112, 6.

iam confusum cum *tum* II, 105, 1.
iam nunquam ponitur pro *etiam* I, 8, 6.
iam non, quid differat a *non iam* II, 31, 2.
Ianus geminus II, 38, 3.
Iberi melior scriptura quam *Hiberi* II, 40, 1.
idem hic pronomina coniuncta II, 65, 3.
idem — quantum voces sibi respondent II, 39, 2.
igitur effectui notando inservit II, 65, 2.
igitur primo loco positum II, 65, 2.
igitur reditum parat ad id, unde digressio facta II, 90, 3.
ignavus confusum cum *ingratus* II, 39, 1.
ignovit confusum cum *ignave* II, 125, 4.
illa vi adverbii dictum, sc. *parte* II, 84, 2.
illata in textum falsa vocabula. Prolegg. p. CXII sq.
ille de antiquo tempore dicitur II, 8, 1.
ille de proximo, *hic* de remotiore dictum II, 92, 5.
ille id, quod statim sequitur, monstrat II, 42, 1.
illi confusum cum *alii* I, 4, 2.
illis confusum cum *aliis* I, 4, 2. II, 13, 3.
illicere aliquem consiliis, i. q. conciliare sibi II, 76, 2.
illucescere ingenia quo sensu dicta I, 5, 1.
illuminare i. q. illustrem reddere II, 35, 1. v. Prolegg. p. XLIX.
illustris familia dicta, quia patricia fuit II, 117, 2.
imagine confusum cum *magnitudine* II, 27, 5.
imago quatenus *rei* opponatur II, 30, 4.
imagines positae in porticibus templorum II, 25, 4.
imitatio confusum cum *incitatio* I, 17, 6.
immanis i. q. *nefandus* II, 88, 3.
immediocris barbara vox II, 22, 2.
immobilis, qui animo et corpore torpet II, 117, 2.
immunis occasio i. e. libera potestas sine damno II, 119, 2.
imperare confusum cum *impetrare* I, 11, 4.
imperator Augusti titulus II, 89, 6.
imperfecti coniunctivus ex perfecto aptus quid differat a praesente I, 5, 2.
impetus opponitur *consiliis* II, 42, 1.
imponere praesidium in oppido II, 105, 1.
importare rem, quo sensu dictum II, 114, 2.
in depravatum ex *e* II, 120, 4.
in natum ex *m* II, 46, 2. 66, 4.
in absorptum littera *m* II, 28, 2.
in' compendium vocis *inter* II, 32, 3.
in compendium vocis *inde* II, 22, 5.

in natum ex avulso *i* II, 86, 2.
in quando terrarum nominibus addi debeat II, 38, 2.
in c. accus. similitudinem indicat II, 59, 6.
in hoc i. q. *huc* II, 68, 5.
in quantum quis vult i. q. pro arbitrio II, 120, 1.
in terram et *in terra milites exponere* quomodo differat II, 79, 4.
in omnia et *in omnibus venalis* quid differat II, 83, 2.
in omnibus esse i. q. per omnes diffusum esse II, 110, 5.
in c. ablat. vim habet enunciationis caussalis I, 16, 2.
in omittitur in dictionibus *acie*, vel *proelio vincere, fugare* etc. II, 11, 2.
in ablativo temporis additum II, 24, 2.
in c. ablat. pendens ex adiectivis qualitatem designantibus II, 25, 4.
in ablativo personae additum significat *quod attinet ad* I, 12, 7. II, 31, 3. 43, 3.
in aequalitatem temporis duarum rerum designat II, 87, 1.
in c. ablat. iunctum pendens ex vocabulo qualitatis *(multiplex in virtutibus)* II, 105, 2.
in c. ablat. pendens ex *praeficere* II, 105, 1.
in partibus eloqui pro *partibus* eloq. II, 126, 1.
in non additur in formula *animo moliri, volvere, agitare* II, 46, 2.
in non additur formulae *agminibus pugnare* II, 47, 1.
in brevi non probum II, 61, 2.
in excidit II, 72, 1. 45, 1.
inclinare sensu intransitivo dictum II, 82, 1.
inconditus confusum cum *incognitus* II, 14, 1.
incutere voluntatem, amorem, odium, quo sensu dictum II, 126, 2.
inde vi caussali dictum II, 22, 5.
indemnatus vocabulum Velleio restitutum II, 45, 1.
indere cognomen alicui II, 11, 2.
indicativus per anacoluthiam positus praegresso *ut* II, 80, 2.
indicativus in generali sententia, qua vi positus II, 89, 6.
indicativus in oratione obliqua II, 27, 2.
indicativus in interrogatione obliqua II, 94, 2.
indicativus perfecti pro coniunctivo plusqf. II, 52, 2.
indignum aliqua re i. q. parum conveniens cum aliqua re II, 80, 4.
indolem erudire recte dicitur II, 59, 4.
inesse in aliquo quid dici non possit II, 40, 5.
inesse in aliquo ubi recte dicatur II, 128, 3.
infacetus aliud, quam *inficetus* II, 33, 4.
infamia pecuniae quo sensu dictum II, 33, 2.
infractus, i. q. *valde fractus* II, 39, 1.
infinitivus consilium indicans, pro *ut*, vel *ad* I, 9, 6.

infinitivus perfecti non ponitur pro infinit. praesentis II, 124, 1.
ingratus confusum cum *ingnavus* II, 39, 1.
inhaerere oculis i. q. praesentem esse II, 126, 1.
inicere antiqua scriptura pro *iniicere* I, 2, 1.
iniicere rixam, contentionem I, 2, 1.
initum scelus oppositum *perpetrato* II, 45, 1.
innocens contentio qualis I, 11, 6.
inquit abundanter positum praegresso dicendi verbo II, 104, 1.
inscitia quomodo differat ab *inscientia* II, 1, 4.
insigne equitum angusticlavium II, 88, 2.
instaurare i. q. *repetere* II, 66, 1.
Insteia gens II, 16, 1.
instituta corruptum in *iusta* II, 74, 2.
instrumentum salubritatis quid II, 81, 2.
intellego Velleiana forma, non *intelligo* I, 9, 3. v. Prolegg. p. CXXI.
intentus confusum c. *interritus* II, 45, 2.
inter cum relativo non sollicitandum I, 17, 5.
inter loci ac temporis potestate positum II, 67, 4.
inter confusum cum *in* II, 32, 3.
interdicere alicui aqua et igni II, 45, 1.
interdum semel positum, ubi geminandum est II, 110, 1.
interdum corruptum in *inerat* II, 114, 3.
interemo antique pro *interimo* II, 18, 2.
interiora confusum cum *inferiora* II, 108, 1.
interpunctione emendatus Velleius I, 12, 4. 12, 7. 14, 4. II, 1, 5. 6, 6. 20, 5. 18, 3. 25, 4. 30, 2. 31, 2. 39, 1. 42, 1. 49, 1. 57, 3. 70, 5. 83, 2. 87, 1. 89, 1. 98, 2. 102, 3. 103, 5. 105, 3. 110, 2. 111, 1. 113, 3. 122, 2. 128, 2. 130, 4.
interrogatio duplex per *ne* in secundo membro II, 90, 3.
interrogationes duae in eadem enunciatione iunctae II, 86, 1.
intra se furere i. q. inter suos II, 111, 4.
inventum i. q. rei novitas I, 17, 1.
invidia invisum esse quomodo dicatur I, 12, 5.
invitare mercede i. q. pellicere II, 66, 3.
Ioniae duodecim urbes I, 4, 3.
ipse confusum cum *iste* II, 7, 3.
ipse quomodo cum subiecto congruat II, 26, 3.
ipse non opus est in oppositione personarum II, 62, 5.
irritare confusum cum *invitare* II, 66, 3.
ironica sententia ab inteprr. non animadversa II, 112, 3.
is quomodo differat ab *hic* I, 2, 2.
is depravatum in *hic* II, 41, 2.

is obiectum conspicuum reddit II, 40, 4. 45, 5.
is tum confusum cum *istum* II, 73, 2.
ita praegnanti sensu positum II, 50, 1.
ita — ut in restringente sententia II, 56, 4.
ita — ut falso explicatum *etsi — tamen* II, 112, 3.
Italica novum *Corfinii* nomen II, 16, 4.
iu et *ui* syllabae confusae II, 91, 1. 100, 3.
iubere cum infinitivo activi iunctum omisso accusativo subiecti II, 70, 2.
Iulus confusum cum *Iulius* II, 100, 4.
iunctus depravatum in *victus* II, 46, 1.
iunctum vehiculum, pro *equis iunctum* II, 114, 2.
iungere cum ablativo constructum II, 65, 3.
iungere non dicitur pro *se iungere* II, 110, 2.
iure confusum cum *viro* II, 91, 1.
ius non simpliciter dictum *ius civitatis* II, 44, 4.
iussu quae fiunt de *absentibus* intelligenda sunt II, 87, 2.
iuste vel *iusta* confusum cum *instituta* II, 74, 2.

L.

L confusum cum *d* I, 1, 1.
L, i. e. *Lucius*, confusum cum *quinquagesimus* et *quinquaginta* II, 102, 4.
L maiusculum corruptum in *al* II, 86, 2.
Lacedaemonii prae ceteris *viri* esse studebant I, 6, 3.
lacunae in textu II, 84, 3. 117, 1. 129, 2. 130, 3. 131, extr. Prolegg. p. CXI.
lacunae falso admissae II, 109, 1.
laeta severitas qualis II, 127, 4.
laetus iunctum cum genitivo II, 42, 3.
Laodicia et *Laodicea* II, 69, 2.
laurea corona triumphantium fuit, non *aurea* II, 40, 4.
legatus Caesaris consularis qualis II, 105, 1.
legati militares ex senatoribus sumpti II, 111, 3.
legere senatum i. q. ordinare purgando II, 89, 4.
lenitas opposita *vigori* II, 98, 3.
Lepidi fuerunt *Aemiliae* gentis II, 10, 1.
lex frumentaria Gracchi II, 6, 3.
lex Roscia theatralis II, 32, 3.
libertinus miles qualis II, 111, 1.
libidines diversae a *cupiditatibus* II, 48, 3.
lineola temere versui imposita corruptelas genuit I, 6, 2. II, 63, 1. 95, 1.

lineola omissa vel *neglecta* corruptelas genuit II, 28, 2. 36, 2. 52, 4. 84, 1. 116, 4.
litem aestimare *alicui* et *alicuius* II, 8, 1.
littera finalis saepe omissa. Prolegg. p. XCII sq.
littera finalis, eademque initialis sequentis vocis semel tantum exarata II, 22, 2.
litterae temere geminatae. Prolegg. p. CXI.
liturae metu vitiosae scripturae in textu relictae II, 80, 2.
Livia adoptione Augusti *filia* facta II, 75, 3.
locativus casus in urbium nominibus aliisque II, 129, 3.
locus sensu praegnanti i. q. *idoneus locus* II, 3, 3.
lū compendium vocis *lumen* II, 82, 1.
luctari cum aliqua re II, 86, 2.
ludicrum certamen, non *ludicrum certaminis* II, 123, 1.
Lucius corruptum in *Larius* II, 85, 2.

M.

M in fine vocabulorum oblitteratum I, 1, 1. Prolegg. p. XCII.
m in fine vocabulorum vitiose adiectum. Prolegg. p. XCIII.
m ortum ex numerali nota II. II, 8, 2.
m ortum ex *in* II, 68, 2.
M', i. e. *Manius*, confusum cum *M*, i. e. *Marcus* I, 13, 1. 14, 6.
m et *s* in fine confusum II, 23, 6. 24, 5. Prolegg. p. XCIV sq.
m confusum cum *ut* II, 52, 4.
m confusum cum *pr* II, 110, 4.
m̂a compendium vocis *materia* II, 82, 1.
Magiorum gens ex Campania in Hirpinos migravit II, 16, 2.
magis corruptum ex *in agris* II, 68, 1.
magistratibus depravatum in *militibus* II, 126, 2.
Magnae Graeciae populi bilingues I, 4, 2.
magni notio a Velleio hyperbolice aucta. Prolegg. p. XLVIII.
magnitudine depravatum in *imagine* II, 27, 5.
Manlius confusum cum *Mallius* II, 12, 2.
manus dictum de exercitu non iusto II, 32, 3.
Mars dictus *stator nominis Romani* II, 131, 1.
matura virtus qualis II, 79, 5.
mature confusum cum *natura* I, 17, 5.
mature confusum cum *matura* II, 79, 5.
maturus viribus quo sensu quis dictus II, 99, 2.
maxime confusum cum *proxime* II, 36, 3. 110, 4.
Megara, ae et *—orum* I, 2, 2.
Menandrus recta nominis forma I, 16, 3.
mentionem habere alicuius probum II, 62, 5.

mergi aliqua re i. q. opprimi II, 91, 3.
meridianus sc. circulus, i. q. meridies II, 126, 3.
meritum virtute cognomen quomodo II, 11, 2.
ex merito aestimare aliquid explic. II, 118, 4.
metus i. q. bellum II, 28, 2.
migrare de vita recte dicitur I, 11, 7.
militaria vocabula II, 52, 4. 119, 2. 129, 1. 111, 4.
mille indicatur lineola numeri signo imposita II, 1, 4.
millia interdum praedicatum habet *masculini generis* II, 12, 4.
ministerium i. q. munus honorificum II, 111, 3.
minuendi sensus demonstrativorum II, 68, 1. 56, 4.
minus corruptum in *usus* II, 125, 4.
mixtissimus forma non sollicitanda II, 98, 3.
modo omissum in formula *non — sed etiam* II, 22, 2.
modo semel positum pro *modo — modo* II, 110, 1.
modum facere vel statuere rei II, 86, 2.
moles saepe de *belli negotiis* dicitur II, 114, 1.
molimentum i. q. rei gravioris conatus II, 78, 1.
moliri verbi usus et constructio I, 15, 3. II, 78, 1.
momentum quomodo differat a *motu* II, 78, 1.
monimentum non minus proba forma quam *monumentum* I, 12, 5.
motu suo agere, germ. auf eigene Hand II, 42, 1.
motus differt a *momento* II, 78, 1.
mox respondet voci *primo* II, 55, 1.
mulcari de fuso exercitu dictum II, 70, 2.
multiplex in aliqua re explic. II, 105, 2.
multus cum alio adiectivo per copulam iunctum II, 90, 1. 116, 1.
Murbacensis Velleii codex. Prolegg. p. LXXVI sqq.
Mutilus, non *Mutilius* II, 16, 1.
Mytilene non mutandum in *Mitylene* I, 4, 4.

N.

Nam in iungendis sententiis omissum II, 57, 3.
nam relatum ad supplendam sententiam II, 71, 2. 84, 3.
narrare aliquem non dicitur II, 29, 2.
natio quomodo differat a *gente* II, 96, 3.
natura confusum cum *mature* II, 10, 1.
natura opponitur *doctrinae* et *industriae* II, 97, 2.
natus alicui rei II, 27, 1.
navus rectius scribitur quam *gnavus* II, 105, 2.
ne in interrogatione duplici secundo membro additum II, 90, 3.
ne aliis vocabulis interrogativis additum II, 14, 1.
ne confusum cum *ut* II, 116, 4.

ne — quidem compositum cum *adeo* II, 67, 1.
Neapolis urbs Graecorum morum I, 4, 2.
nec confusum cum *ne* II, 95, 3.
nec ita positum, ut negatio non pertineat ad verbum II, 88, 2. 101, 1.
nectendae orationis negligens Velleius I, 1, 4. II, 61, 4. 110, 1. 118, 4. 123, 2. 130, 3.
negationes duae non pro *una* positae II, 116, 4.
negligentior oratio II, 30, 6.
negligentia sermonis familiaris II, 50, 1.
negotio corruptum in *genitio* II, 114, 1.
nemo cum plurali numero verbi iunctum I, 16, 5.
Nepe et *Nepet* urbis nomen I, 14, 2.
Nepos inter fontes Velleii fuit. Prolegg. p. XXXIX.
neque — et sibi respondent, non *neque — ac* II, 109, 1.
neque — neque voces parem oppositionis formam poscunt II, 112, 3.
neque i. q. *nam — non* II, 127, 2.
Nicomedea et *Nicomedia* II, 42, 3.
nimirum i. q. *profecto* II, 23, 4.
nimius alicui i. q. *periculosus* II, 32, 1.
nisi valet *excepto eo, quod* I, 18, 3.
nisi vi participii exceptionem significantis II, 17, 1.
nobilis familia ea, in qua multi honores gesserunt II, 117, 2.
nocte et die pariter dicitur atque *die et nocte* II, 41, 1.
nomen confusum cum *numen* II, 25, 4. 124, 3.
nomen opponitur *rei* II, 6, 4.
nomen i. q. rei alicuius vis et dignitas II, 26, 1.
nomen saepe postponitur *cognomini* II, 26, 2.
nomen testatoris assumptum quando II, 60, 1.
nomina propria saepe una tantum littera scribebantur II, 66, 4.
nomina propria saepe foedissime corrupta. Prolegg. p. C sq.
nomine nullo non i. e. quavis ratione II, 69, 3.
nominare colonias i. q. destinare II, 74, 2.
non — sed, non modo — sed etiam, et *non — sed quoque* quomodo differant II, 22, 2. 126, 1.
non — neque — neque II, 108, 2.
non confusum cum *homo* II, 35, 2.
non in abiit in simplex *non* II, 51, 3.
nonnunquam semel positum pro geminato II, 110, 1.
novam rem reficere quomodo dictum II, 37, 1.
noxii i. e. qui culpam admiserunt II, 125, 3.
noxiorum confusum cum *nostrorum* II, 125, 3.

nt litterae finales corruptae in *tet* II, 118, 4.
numen confusum cum *nomen* II, 124, 3.
numerales notae abierunt in vitiosa vocabula. Prolegg. p. XCII.
numeralia in *ies* exeuntia quomodo differant a numeralibus in *um* terminatis I, 15, 5.
numeralia adverbia in *ies* et *iens* exeuntia I, 9, 6.
numerandi ratio *post* aliquam rem factam II, 38, 2.
numeri saepe corrupti I, 6, 1. 6, 2. 6, 5. 8, 1. 8, 4. 12, 5. 14, 3. 14, 6. 14, 8. 15, 3. *bis.* 15, 4. 15, 5. *bis.* II, 30, 6. 31, 3. 38, 2.
numeri falsi unde saepe orti I, 12, 5. II, 10, 1. 12, 1. 30, 6. 36, 1. 38, 1. 47, 2. 90, 3.
in numeris mutandis quae cautio adhibenda. Prolegg. p. XLIII.
in numeris quid ferri debeat II, 12, 5. 47, 1. 48, 4. 56, 2. 61, 1. 82, 1. 90, 3.
numerus rotundus II, 38, 4.
numero rotundo ferme vox additur I, 15, 2. II, 11, 3. 90, 3.
numerus vocabulum vim habet numeralis indefiniti II, 5, 1.
numerus grammaticus mutatus II, 90, 3. 111, 3.
nupta alicuius et *alicui* I, 1, 3.

O.

O littera *que et quo* voces intercipiuntur II, 28, 2.
ob confusum cum *po* II, 118, 4.
obiectum grammaticum supplendum II, 50, 1.
obiectus dictum id, quod oculis offertur II, 107, 1.
obiici i. q. repente offerri II, 107, 1.
obire confusum cum *abire* II, 35, 5.
obniti cum infinitivo coniunctum I, 9, 6.
obnunciatio dirarum explic. II, 46, 3.
obsitus confusum cum *oppositus* II, 126, 2.
obstructae hieme Alpes II, 105, 3.
obtinere terram armis II, 51, 1.
obtinere provinciam, proprie dictum II, 42, 3.
occurrere alicui i. q. obviam ire II, 61, 2.
ocius i. q. celeriter II, 122, 2.
Octaviani natalicia II, 59, 3.
oculis confusum cum *sociis* II, 21, 3.
sub oculis esse explic. II, 21, 3.
oculorum errore vox ex alio versu falso illata II, 7, 3.
odio odisse quomodo dicatur I, 12, 5.
odium dictum id, quod odimus I, 12, 7.
offerre absolute positum II, 57, 1.
Olympieum dicebatur Iovis templum, non *Olympicum* I, 10, 6.

om̄ compendium vocum *obiectum* et *omnem* II, 107, 1.
omina confusum cum *omnia* II, 46, 3.
ominum varia nomina II, 46, 3.
omittere confusum cum *amittere* II, 39, 1.
omnia praegnanti sensu i. q. *omnia possibilia* II, 111, 2.
omnino confusum cum *animo* II, 48, 3.
omnino plura comprehendit in transitu II, 48, 3.
omnisque confusum cum *cuiusque* I, 8, 2.
onera confusum cum *opera* II, 114, 1. 127, 3.
opera i. q. *artis opera* I, 8, 1.
oppositae sententiae a Velleio studiose quaesitae. Prolegg. p. L sqq.
oppositio non semper propriis verbis indicatur II, 126, 1.
oppositio personarum pronomine *ipse* non indiget II, 62, 5. 105, 1.
oppositio verborum ordinem indicat II, 91, 2. 101, 1.
oppositorum aequalitas emendationem adiuvat II, 28, 2. 28, 3. 31, 2. 35, 2. 47, 3. 112, 3. 126, 2.
oppositio facta praepositionibus II, 126, 2.
oppressus depravatum in *pressus* II, 91, 1.
orbis confusum cum *urbis* II, 124, 1.
orbis solis duplici sensu dictum II, 59, 6.
ordo rei gestae, germ. der Hergang II, 59, 5.
ordo verborum talis, ut duobus substantivis interponatur adiectivum aut genitivus ad utrumque pertinens I, 17, 5. 18, 1.
ordo verborum interpositis nonnullis insolentior II, 100, 1.
ordo verborum naturalis inversus II, 41, 1.
ordo nominum II, 26, 2.
Orestes genit. habet *is* et *ae* I, 1, 3.
orthographiae quae ratio tenenda sit. Prolegg. p. CXX—CXXV.
Osca, Hispaniae urbs II, 30, 1.
ostendere differt a *declarare* II, 109, 1.
otium rectius scribitur quam *ocium* II, 1, 1.
otium opponitur *bello* II, 28, 2.

P.

P, nota *Publii*, depravatum in *Pompeius* II, 15, 1.
P, i. e. *Publius*, corruptum in *pater* II, 83, 3.
pacisci stipendium num victae gentes dicantur II, 38, 1.
pacta alicuius et *alicui* I, 1, 3.
paene confusum cum *poena* II, 64, 4.
paene confusum cum *plane* II, 39, 1.
palari et *palare* II, 97, 4.
par, ambigua relatione II, 62, 3.

par depravatum in *pars* II, 46, 1.
par animo i. e. qui eodem est animo II, 33, 3.
parenthesis pronomine demonstrativo infertur II, 3, 1. 18, 3.
parenthesis quippe particula infertur II, 15, 1. 98, 2.
parenthesis etenim particula infertur II, 102, 3.
pars omissum ad voces *dextra, sinistra, laeva* II, 63, 1.
pars confusum cum *parentis* II, 110, 4.
partes oppositae *universo* II, 38, 1. 111, 4.
particulae synonymae coniunctae, ut *deinde post* II, 117, 1.
participem esse alicui non dicitur II, 116, 3.
participia vi substantivorum usurpata I, 1, 3.
participii perf. pass. ablativus absolutus male intellectus I, 7, 1.
participium fut. pass. vim habet adiectivi in *bilis* exeuntis I, 16, 3.
partitio per *et—et*, vel *aut—aut* facta particularum locum mutat II, 65, 1.
parum i. q. non multum II, 7, 4.
pater et *Publius* vocabula confusa II, 83, 3.
patrare bellum frequens dictio II, 59, 4.
Paulus recte uno *l* scribitur I, 9, 3.
pelli i. q. *vinci* II, 33, 1.
pensare aliquid aliqua re explic. II, 88, 3.
per omnia formula Velleiana II, 30, 6.
per multa i. q. multis modis II, 32, 4.
peragro et *peragror* utrumque probum II, 97, 4.
perducere rem in aliquid, quomodo differat a *producere* II, 105, 3. 128, 4.
perfectum pass. compositum ex participio et *fui* verbo II, 27, 4.
perfectum coniunctivi cum imperfecto iunctum I, 9, 1.
perfectum coniunctivi ex perfecto pendet I, 13, 3.
perfectum coniunctivi in sententia subiectiva I, 13, 4.
perfectum cum praesenti historico iunctum II, 60, 3.
perfectum cum praesenti iunctum II, 118, 3.
perfectum quomodo in re usurpetur, quae mox dicetur II, 89, 6.
perfecti infinitivus non ponitur pro infinitivo praesentis II, 64, 2.
perfecti passivi infinit. pendens ex verbo *concupiscere* II, 2, 3.
perfecti coniunctivus confusus cum indicativo plusquampf. II, 86, 3.
perfecta duo iuxta posita, ubi plusquamperf. expectatur II, 1, 5.
perficere naturam i. q. excolere II, 97, 2.
perfugere confusum cum *profugere* I, 9, 4. II, 24, 2.
peritus cum ablativo constr. II, 29, 3.
Perperna rectius scribitnr quam *Perpenna* II, 4, 1.
perpolitus, de opere tectorio dictum II, 22, 4.
Persa rarior forma quam *Perses* I, 9, 4.
Persequi rem aliud est, quam *prosequi* II, 7, 3.
persequi absolute dictum, ita ut obiectum suppleatur II, 50, 1.
perspicuitas interdum certa quaedam vocabula requirit II, 129, 3.
perspicuitatis caussa adduntur voces per se non necessariae II, 126, 1.
petere iter recte dicitur II, 82, 2.
petere civitatem i. q. bello aggredi II, 15, 2.
petere rem i. p. repetere II, 68, 4.
Philemo rectius quam *Philemon* I, 16 3.
Phidippus confusum cum *Philippo* I, 1, 1.
Philippius proba adiectivi forma II, 86, 2.
plane confusum cum *paene* II, 39, 1.
Plautus cur a Velleio non memoretur I, 17, 1.

plebei genitivus probus II, 111, 3.
pleonasmus substantivo et verbo eiusdem notionis coniuncto II, 37, 1.
pluralis, ubi Germani singularem ponunt II, 128, 3.
pluralis verbi, ubi duo subiecta discreta praecesserunt II, 32, 3,
pluralis participii singularem diversi nominis respuit II, 40, 1.
plusquamperfectum respectu eventus positum II, 94, 2.
plusquamperfectum ubi imperfectum exspectatur II, 35, 2. 77, 3.
plusquamperfectum ubi perfectum exspectatur II, 87, 3,
plusquamperfecta duo iuncta II, 77, 3.
plusquamperfectum indicativi confusum cum perfecto coniunctivi II, 85, 6.
poena confusum cum *paene* II, 64, 4.
poenitet sine accusativo personae dictum II, 18, 4.
polire de opere tectorio dictum II, 22, 4.
pontem confusum cum *postem* II, 7, 2.
Popillius recte etiam scribitur *Popilius* I, 10, 1.
populus Romanus ex antiqua formula additur *reipublicae* voci II, 16, 4.
populi consensus sequitur senatus auctoritatem II, 14, 3.
portare dictum pro *apportare* II, 27, 3.
positivus in comparatione duorum adiectivorum ferendus II, 49, 4.
posse verbi plusquamperfectum pro imperfecto II, 35, 2.
posse fieri aliquid in re critica aliud esse quam *debere fieri* probe tenendum II, 94, 1.
post ordinis vel gradus vim habet II, 99, 1.
post annum aliquem numerandi ratio qualis II, 38, 2.
post confusum cum *posuit* II, 25, 4.
potestas confusum cum *societas* II, 37, 3.
P. R. i. e. populus Romanus, confusum cum PR. i. e. praetor II, 61, 3. 90, 2.
prae depravatum in *quin* II, 116, 2.
praecipitata mors i. q. violenta II, 49, 1.
praecipitia sunt *pravis* confinia II, 10, 1.
praecavere absolute dictum i. q. praemonere II, 12, 1.
praedicere de aliquo non minus verum, quam *praedicere aliquem* II, 15, 3.
praeferre aliquem visu explic. II, 94, 2.
praeficere aliquem *in aliqua re* II, 105, 1.
praefluere i. q. *praeterfluere* II, 106, 2.
praegnanti sensu posita vocabula II, 3, 3. 90, 3. 109, 3. 111, 2. 117, 3. 129, 1. 110, 6.
praenitere i. q. insignem esse II, 59, 1. cf. Prolegg. p. XLIX.
praenomina quando omitti non possint II, 103, 3.
praenominibus quando opus non sit II, 20, 1. 58, 1. 83, 2. 119, 4.
praeparatus substantivum, suspectum vocabulum II, 76, 3.
praepositiones geminandae omittuntur ad relativum I, 7, 1. II, 33, 2. 115, 3.
praepositionibus facta oppositio II, 126, 2.
praereptus confusum cum *praeferens* II, 116, 4.
praescribere i. q. supra scribere II, 21, 1.
praesens quando pro futuro ponatur II, 32, 1.
praesens historicum cum perfecto sociatum II, 60, 3.
praestringere oculos, mentem etc. II, 118, 4.
praeterquam i. q. excepto, si excipias II, 40, 3.

praetores et *proconsules* ab ipsis veteribus interdum confusi II, 15, 1.
prava opposita *rectis* II, 10, 1.
pressius i. q. *accuratius* II, 129, 1.
pridie non valet *antequam* II, 83, 3.
primit ordines i. q. primi centuriones II, 112, 6.
primo confusum cum *primus* II, 48, 2.
primo voci respondet *mox* II, 55, 1.
primus pilus dicitur, non *primilipus* II, 78, 3.
princeps reipublicae quo sensu dictur II, 30, 6.
principalis i. e. quod cum principatu coniunctum est II, 56, 3.
principem confusum cum *pacem* II, 131, 1.
prior i. q. proxime praecedens I, 9, 6.
priscus ac vetus coniuncte dictum I, 16, 3.
prisca hilaritas qualis II, 127, 4.
privata classis i. e. classis privatorum II, 42, 2.
proconsules interdum dicti consules II, 12, 2.
proditor corruptum in *praetor* II, 27, 6.
producere i. e. ex remotiore loco adducere II, 78, 1.
producere rem in aliquid quomodo differat a *perducere* II, 105, 3.
profecto generali sententiae additur II, 57, 3.
profugere confusum cum *perfugere* I, 9, 4. II, 24, 2.
prolepsis II, 119, 4.
promissa Campanis aqua, non *permissa* II, 81, 2.
pronomen personale in constructione accusativi cum infin. omissum II, 125, 2.
pronomen possessivum abundanter positum I, 10, 5.
pronomen possessivum qua vi positum II, 112, 5.
pronomen demonstrativum quando pro reflexivo positum I, 1, 3.
pronomen demonstrativum pro relativo II, 54, 2.
pronomina demonstrativa hic et *is* quomodo differant I, 2, 1.
pronomina demonstrativa et *relativum*, orationi nectendae inservientia, non semper ponuntur I, 1, 3.
pronomen demonstrativum in parenthesi pro relativo II, 3, 1. 18, 3.
pronomen demonstrativum supplendum ad verbum secundariae enunciationis II, 18, 6.
pronomen demonstr. tanto vel *eo* omissum ante relativum II, 72, 2.
pronomen demonstrativum cum relativo coniunctum II, 68, 5.
pronomen reflexivum pro *ipse* positum II, 100, 2.
pronomen relativum praepositionem geminandam respuit I, 7, 1.
pronomen relativum cum *quisque* coniunctum II, 38, 1.
pronomen relativum non semper ad proximum nomen refertur II, 50, 1.
pronus vocis propria vis I, 16, 1.
proponere absolute dictum i. q. *decernere* II, 53, 1.
proponere rem sibi, i. q. tanquam scopum petere II, 112, 3.
proposito sanctus recte dicitur II, 2, 2.
propraetor et *pro praetore* II, 61, 3.
proprie i. q. *praecipue*, *stricto sensu* II, 9, 2.
proruere vallum, militaris dictio II, 63, 1.
prosequi quid differat a *persequi* II, 7, 3.
protinus exspirare explic. II, 70, 5.
provocantes confusum cum *procaces* II, 118, 1.

proxime confusum cum *maxime* II, 36, 3. 110, 4.
proximus cum genitivo construct. II, 36, 3.
proximus et *proxime ab aliquo* II, 127, 1.
publice i. q. publica auctoritate II, 28, 3.
publicus oppositum *uni* II, 1, 5.
Publius confusum cum *pater* II, 83, 3.
Publius confusum cum *Pompeius* II, 15, 1.
pudet sine accusativo personae dictum II, 18, 4.
punior vi deponentis dictum II, 97, 4.

Q.

Q. nota *Quintus* praenominis, abiit in *que* II, 9, 2. 16, 2. 77, 3.
Q. excidit ante *que* II, 25, 3.
q' compendium vocis *qui* II, 45, 1.
qm̄ compendium particulae *quoniam* II, 14, 1.
qn̄ compendium particulae *quando* II, 14, 1.
qua i. e. *qua parte* II, 70, 5. 25, 4.
qua i. q. *quatenus* II, 37, 2.
qua confusum cum *quia* II, 37, 2.
quae interceptum proximo *que* II, 29, 2.
quaestores extraordinarii II, 45, 2.
quaestoris officia II, 37, 5.
quam corruptum ex *quanti* II, 103, 5.
quam relatum ad verba *non dissimilis* II, 55, 2.
quam relatum ad *aequus* II, 121, 1.
quam post *amplius* non omissum II, 110, 3.
quamlibet confusum cum *quemlibet* II, 41, 1.
quamquam in parenthesi positum II, 44, 1.
quamquam depravatum in *quam* I, 15, 3.
quamvis corruptum in *quibusdam* II, 116, 2.
quamvis praedicatum restringit II, 116, 2.
quanti confusum cum *quam* II, 103, 5.
quantum — eo sibi respondet II, 39, 2.
quantus minuendi sensu dictum I, 16, 4.
quattuor scribendum, non *quatuor* I, 10, 3. v. Prolegg. p. CXXI.
que in enunciatione disiunctiva pro *ve* positum II, 80, 3.
que i. q. *et quidem* II, 26, 1. 90, 1.
que non ponitur pro *quoque* I, 8, 2. 9, 1. II, 107, 1. 110, 2.
que eiusdem generis et sensus voces nectit II, 60, 4.
que disparatas notiones non iungit II, 112, 3.
que continuat structuram eandem II, 19, 2.
que — et sibi respondent II, 3, 1.
que ortum ex Q, i. e. *Quintus* II, 9, 2. 16, 3.
que ortum ex *atque* II, 51, 1.
que interceptum *o* littera II, 20, 2. 28, 2. 34, 3. 39, 1.
que absorpsit proximum *quae* II, 29, 2.
que corruptum in Q. i. e. *Quintus* II, 77, 3.
queri cum aliquo II, 130, 3.
qui excidit post *antiqui* II, 128, 1.
qui i. q. *quippe* qui II, 34, 2.
quia confusum cum *qui* II, 64, 2.
quia confusum cum *qui a* II, 119, 2.
quicquid scriptura Velleiana, non *quidquid*. Prolegg. p. CXXI.
quidam de minus notis dictum II, 64, 1.

quidem praecedentem vocem extollit II, 86, 2. 125, 4.
quies i. q. visum in somnio II, 70, 1.
quin depravatum in *qui* I, 1, 3.
quin depravatum in *quibus* I, 9, 2.
quin depravatum in *quia* II, 110, 6.
quin depravatum in *cuius* II, 94, 4.
quin etiam ubi dicatur I, 1, 3.
quinarius numerus, V, ex unitatis signo, I, corruptus I, 12, 5. II, 10, 1. 12, 1.
quippe in parenthesi frequens II, 15, 1.
quippe confusum cum *qui neque* II, 45, 1.
quis, pronomen indefinitum, obscuratum II, 113, 4.
quis pro *quibus* Velleius non dixit II, 108, 2.
quisque non coniungitur cum superlativo *plurali* II, 22, 2.
quisque cum relativo coniunctum II, 38, 1.
quo interceptum *o* littera II, 28, 2.
quo — tanto sibi respondent II, 39, 2.
quodsi coniunctim scribendum I, 3, 2.
quom pro *quum* non dixit Velleius II, 66, 1.
quum v. *cum*.

R.

Rabirius poeta II, 36, 3.
re litterae confusae cum *ns* I, 16, 2.
re syllaba absorpsit vocem *rem* II, 102, 2.
recipere gentem i. q. in fidem accipere II, 105, 1.
recipere non dicitur reflexivo sensu II, 70, 2.
recipere confusum cum *praecipere* II, 118, 3.
recte facienda i. q. quae *cum peritia* agenda sunt II, 129, 1.
redigere pecuniam ad quaestorem expl. II, 37, 5.
referre gratiam alicuius rei II, 16, 3.
reficere novum exercitum quomodo dictum II, 37, 1.
refrigerari ab aliquo i. e. alienari II, 83, 2.
reicere antiqua scriptura pro *reiicere* I, 2, 1.
reiicere bracchium i. q. reclinare II, 70, 5.
reiici duplici potestate de navigantibus dictum I, 1, 2.
reiici, eiici, deiici quo sensus discrimine navigantes dicantur I, 1, 2.
remiges confusum cum *reges* II, 84, 1.
repetitio eiusdem vocis frequens apud Vellelum I, 2, 3. 4, 4.
repetitur nomen praegressae enunciationis in sequente II, 110, 1.
repensare aliquid aliqua re explic. II, 12, 5.
replere urbem muneribus explic. II, 56, 1.
reponere aliquid in aliqua re i. q. multum ei tribuere II, 112, 3.
res opponitur *verbo* vel *nomini* II, 6, 4.
res geritur, non *agitur* in bello II, 111, 4.
respondere fortunae ubi dici non possit II, 4, 2.
respublica populi Romani antiqua formula II, 16, 4.
restinguere i. q. *opprimere* II, 88, 3.
revocati veterani, non *evocati* II, 111, 1.
Rhenanus quam rationem in edendo Velleio inierit. Prolegg. p. LXXVII sq.
Rhenani tacitae mutationes textus. Prolegg. p. LXXVIII sq.

Rhenanus falso accusatus Velleium interpolasse. Prolegg. p. LXXX sq. CXVI.
Rhenani epistola ad Spalatinum. Prolegg. p. LXXXII sq.
Rhenano plus tribuendum, quam Amerbachio. Prolegg. p. CXVII.
rigor non confundendus cum *vigore* II, 98, 3.
Roscius auctor legis theatralis II, 32, 3.
Rupilius confusus cum *Rutilio* II, 7, 4.
rursus denuo non sollicitandum II, 117, 1.

S.

S finale unius, atque initiale alterius vocis uno signo exaratum II, 22, 2.
s falso in fine vocabulorum additum. Prolegg. p. XCIV.
s finale obscuratum II, 28, 2. 49, 5. 122, 2. Prolegg. p. XCVIII.
s et *m* in fine confusa II, 23, 6. Prolegg. p. XCIV.
s et *x* confusa II, 33, 4.
Salernum confusum cum *Falernum* I, 15, 3.
Sallues, Sallyes, Salui et *Salvii* varia eiusdem gentis nomina I, 15, 4.
Sallustius, non *Salustius* II, 36, 2.
salubris cum solo ablat. et cum *in* et ablativo constructum II, 25, 4.
salubritas vocis propria vis II, 25, 4.
salutaris sine dativo dictum II, 60, 1.
saltem tantummodo coniunctae particulae non sollicitandae II, 117, 1.
sanctus proposito densa dictio II, 2, 2.
sane totam enunciationem confirmat II, 87, 1.
sanus i. q. bonus civis II, 25, 2.
satis habeo aliquid facere II, 124, 1.
secum corruptum in *fa* syllabam II, 40, 3.
sed correctioni inservit II, 4, 1.
sed confusum cum *et* II, 9, 6.
sed differt ab *at* II, 9, 6.
sed omissum in asyndeto II, 47, 4. 72, 5.
sedes belli, germ. Kriegsschauplatz II, 74, 3.
semel positae particulae, quae geminandae erant II, 110, 1.
senatusconsultum quando etiam de *plebiscito* dicatur II, 31, 3. 38, 6.
senatus nimis numero depravatus II, 89, 4.
sensus i. q. sententia II, 9, 6.
sententiam in senatu iuniores ultimo loco rogabantur II, 35, 3.
septenarius numerus (VII) depravatus in *uti* (VTI) II, 10, 2.
septennium depravatum in *biennium* II, 31, 3.
sestertii vocabulum numeris additur II, 8, 1.
sestertii vocabulum excidit II, 10, 1.
severitas laetissima qualis II, 127, 4.
si non potest significare *nisi* II, 41, 2.
si inservit correctioni praecedentis sententiae II, 99, 4.
sic rerum condicionem vivide designat II, 86, 2.
similis alicui aliqua re, constructio obscurata I, 12, 3.
simul falso pro *simulac* habitum II, 37, 2.
singulari numero vox *tragoedia* totum genus indicat I, 16, 3.
singularis numerus ex *plurali* supplendus II, 89, 2. 114, 2.
singularis numerus praedicati, ubi subiectum duas personas continet, non vitiosus II, 9, 6. 54, 2.

singularis numerus in sententia generali II, 49, 4.
singularis numerus incuria scriptoris c. plurali mutatus II, 90, 3.
singuli vocabulum non opus est bis poni II, 10, 2.
sociale bellum a Velleio *civile* dictum II, 9, 5.
societas confusum cum *potestas* II, 37, 3.
socium confusum cum *socerum* II, 37, 2.
Sosii nomen obscuratum II, 85, 2.
solvere corruptum in *servari* II, 68, 1.
species confusum cum *spes* II, 118, 4.
species rei i. q. res quae apparet II, 118, 4.
speciosus de personis dictum significat *formosus* II, 111, 3.
spiritum reddere i. q. animam efflare II, 35, 5.
spiritus dictus homo dilectus II, 123, 3.
sponsa alicuius et *alicui* I, 1, 3.
st confusum cum *f* II, 2, 3.
stator non est attributum Martis perpetuum II, 131, 1.
stator i. q. *stabilitor* II, 131, 1.
status i. q. certa vitae condicio II, 2, 3.
in studia aliquem mittere II, 59, 4.
sub cum ablativo temporis I, 17, 1.
sub nomine alicuius quo sensu dictum II, 27, 6.
subiectum primariae enunciationis vitiose in secundariam translatum II, 111, 4.
subiecta duo diversa non satis discreta I, 1, 3.
subiecta tacite mutata I, 13, 3. II, 79, 4.
subniti cothurno, non *succingi* II, 82, 4.
substantivum cum verbo eiusdem radicis coniunctum I, 12, 5.
subtrahere aliquid alicui rei, non *aliqua re* II, 86, 3.
succedere de eo dictum, qui alterius provinciam illegitime occupat II, 69, 1.
succingi de quibus vestibus proprie dicatur II, 82, 4.
Sulpicius orator saepissime cum Cotta memoratus II, 36, 2.
Sulpicius orator cum Sulpicio iurisconsulto confusus II, 36, 2.
summa, ae, quomodo differat a *summa, orum* II, 76, 4.
summittere fasces alicui expl. II, 99, 4.
supervacaneus et *supervacuus* idem I, 16, 1.
suppleri verba quae nequeant, obstante nexu II, 92, 4.
supplex praesens et absens II, 37, 3.
Sura, Aemilius, auctor deperditus I, 6, 5.
suspectus cum ablativo constructum II, 35, 3.
suspectus i. q. admirandus II, 36, 2.
Sutrium confusum cum *Satricum* I, 14, 2.
suus i. q. consuetus et insignis II, 55, 1.
syllabae temere geminatae. Prolegg. p. CXII.
synesis illustrata I, 4, 2. II, 15, 2. 17, 3. 115, 1.

T.

T confusum cum *d*. Prolegg. p. LXXXVII.
T., i. e. *Titus*, confusum cum *Ti.*, i. e. *Tiberius* II, 75, 1.
tabulae poni solitae in templorum particibus II, 25, 4.
tabularum novarum caussae II, 68, 1.
tamen excusationi inserviens i. q. quamquam II, 40, 5.
tamen relatum ad omissam sententiam concessivam II, 119, 5.
tamen confusum cum *tantum* II, 28, 3.

tamen confusum cum *tum* II, 32, 6.
tanquam verbo non proprie usurpato additum II, 42, 3.
tanto comparativo non additum, sequente *quanto* II, 72, 2.
tantum — quam sibi respondent II, 39, 2.
tantum confusum cum *tamen* II, 28, 3. 68, 5.
tantummodo contentus sine pleonasmo dicitur II, 49, 5.
tantum quod, i. e. vix, modo II, 117, 1.
tautologiae falso creditae II, 105, 3.
tautologiae non ubique vitatae II, 118, 1.
temperamentum duarum rerum quid sit II, 111, 4.
temperare animum ab aliqua re ita dicitur, ut non sequatur *quin* II, 34, 2.
temperare rempublicam i. q. gerere II, 60, 4.
tempora diversa iuncta I, 9, 1.
temporum consecutio male intellecta I, 5, 2.
temporum ordo male turbatus II, 6, 3. 6, 5.
tempus praegnanti sensu i. q. *iustum tempus* II, 3, 3.
tendere cursu non *tendere cursus* II, 70, 2.
terminatio proximi vocabuli alteri vitiose addita. Prolegg. p. XCV.
terminationes duorum vocabulorum inter se permutatae II, 12, 5. 13, 5. 34, 1.
terrae rariore modo dictum pro *in terra* II, 129, 3.
terrarum nomina quando accusativo *in* additum poscant II, 38, 2.
tertio et *tertium* II, 38, 3.
Tiberius quibus virtutibus fuerit instructus. Prolegg. p. XXXI sq.
Tigranes gener Mithridatis II, 37, 2.
Tironis corruptum ex *Ti. Neronis* II, 76, 1.
titulus provinciae quid II, 49, 5.
totam confusum cum *tutam* II, 80, 2.
totus aliquid agere i. q. unice, vel summo studio II, 109, 2.
tractatus i. q. tractatio II, 94, 3.
trahere secum aliquem de comitatu dictum II, 40, 3.
traiectae in vocabulo medio litterae. Prolegg. p. XCVI.
transpositione verborum Velleius sanatus I, 16, 1. II, 38, 1. 68, 2. cf. Prolegg. p. CXIV sq.
pro tribunali agere dictio solennis II, 117, 3.
tribunatus confusum cum *senatu* II, 45, 2.
triumphalia i. q. ornamenta triumphalia II, 116, 3.
triumphus non concedebatur equitibus II, 30, 2.
triumphantium ornatus II, 40, 4.
Trogus Pompeius inter fontes Velleii fuit. Prolegg. p. XXXIX.
Troiae captae annus I, 8, 4.
troicus et *troius* I, 5, 3.
tropicus verborum usus liberior II, 88, 3.
truncatae initio voces II, 65, 2. Prolegg. p. LIX.
tu cum affectu positum in allocutione II, 66, 4.
tueri verbi propria vis II, 80, 4.
Tullius corruptum in *Fulvius* II, 128, 3.
tum non potest omitti, si praecessit *cum* cum coniunctivo I, 3, 2.
tum confusum cum *tamen* II, 32, 6.
tum confusum cum *iam* II, 105, 1.
tumulus confusum cum *tumultus* II, 70, 4.
tur syllaba confusa cum *et* II, 109, 1.

U.

Ultimum, in ultimum, ad ultimum, vi substantivi dictum II, 125, 2.
ultio differt a *vindicta* II, 7, 6.
ultra cum accusativo *personae* II, 68, 3.
ultro i. q. *adeo* II, 120, 5.
ultro cum *ultra* confusum II, 120, 5.
umbra rei i. q. obscuratio II, 68, 1.
umus superlativi terminatio incerta apud Velleium II, 18, 5.
unitatis signum, I, in quinarium numerum, V, depravatum I, 12, 5. II, 10, 1. 12, 1.
universa opponuntur *partibus* II, 38, 1. 111, 4.
unus, i. q. *privatus*, opponitur *publico* II, 1, 5.
urbis confusum cum *orbis* II, 124, 1.
urbium nomina in *a* duplicis generis et declinationis I, 2, 2.
urbium nomina, quum quaeritur *ubi*, genitivo non sunt posita II, 129, 3.
urere de rebus molestis dicitur II, 77, 1.
usquam i. e. in ulla re II, 26, 2.
ut pendens ex formula *nihil habere antiquius, quam* II, 52, 4.
ut valens *ita ut* II, 7, 7.
ut — ita i. q. *quamquam — tamen* II, 28, 2. 31, 4.
ut — ita particulis contrariae sententiae componuntur II, 125, 4.
ut — et nunquam dictum est pro *ut — ita*, vel *et — et* II, 117, 2. 129. 3.
ut qui i. q. *quippe qui* II, 33, 3.
ut ob longiorem enunciationem interpositam neglectum II, 80, 2.
ut per anacoluthiam sine verbo positum II, 109, 5.
ut confusum cum *aut* II, 28, 2.
ut corruptum in *m* litteram II, 52, 4.
ut corruptum in *et* II, 90, 1.
ut corruptum in *ne* II, 116, 4.
ut corruptum in *ui* II, 85, 6.
ut ortum ex *cum* II, 112, 3.
ut absorptum syllaba *nt* II, 91, 4.
uti providentia, consilio, impetu expl. II, 120, 2.
uti aliqua re in aliquid expl. II, 28, 2.
utilitas confusum cum *voluntas* II, 112, 3.
utinam in parenthesi II, 105, 1.
utique i. q. profecto, praecipue II, 11, 2.
utique confusum cum *cuique* II, 113, 2.
utrique de duobus dictum II, 54, 1.

V.

V numerus in *C* depravatus II, 38, 2.
V numerus ex I ortus I, 12, 6.
V numerus ex II ortus II, 47, 2.
vagari et *vagare* utrumque rectum II, 97, 4.
velari corona recte dicitur II, 82, 4.
Velleii praenomen *Marcus* non *Publius*. Prolegg. p. I sq.
Velleii maiores. Prolegg. p. III sq.
Velleii stipendia et honores. Prolegg. p. IV—X.
Velleii doctum otium atque studia. Prolegg. p. X—XVII. LX sqq.

Velleii mors incerta. Prolegg. p. XVII sq.
Velleius quomodo opus suum inscripserit. Prolegg. p. XIX sq.
Velleius quo consilio opus suum scripserit. Prolegg. p. XX—XXIV.
Velleius immerito vilis Tiberii adulator habitus. Prolegg. p. XXIV—XXXIV.
Velleii levitas in rebus iudicandis. Prolegg. p. XXVII—XXX.
Velleius rhetoricum dicendi genus sectatur. Prolegg. p. XXXIII sq.
Velleius festinanter scripsit. Prolegg. p. XXII. XXXVII. XLV. LXV sq.
Velleii fontes. Prolegg. p. XXXVIII—XL.
Velleii dicendi genus. Prolegg. p. XLVI—LXXV.
Velleius hyperbolice loqui amat. Prolegg. p. XLVIII sq.
Velleius argutas sententias et oppositiones sectatur. Prolegg. p. L—LIV.
Velleius eandem sententiam pluribus modis effert ac variat. Prolegg. p. LV—LVIII.
Velleius tautologiis non abstinet. Prolegg. p. LVIII sqq.
Velleius artis periodorum struendarum imperitus. Prolegg. p. LXI sqq.
Velleius impeditam orationem non satis cavit. Prolegg. p. LXIV sq.
Velleius repetitionibus eiusdem vocabuli non abstinuit. Prolegg. p. LXVII sqq.
Velleius easdem sententias repetit. Prolegg. p. LXX sq.
Velleius familiaris sermonis negligentiae indulget. Prolegg. p. LXXI—LXXV.
Velleii codex Murbacensis. Prolegg. p. LXXVI sq. LXXXV. CXV sq.
Velleii editio princeps. Prolegg. p. CXXIX sq.
Velleius in rebus tradendis interdum parum accuratus I, 4, 3. 9, 3. 9, 6. 11, 6. 15, 3. 17, 1. II, 9, 3. 11, 3. 23, 3. 36, 2. 36, 3. 51, 3. 89, 5. 94, 4.
Velleii exigua stili ars I, 4, 4. 8, 1. 13, 3. II, 8, 2. 37, 5. Prolegg. p. XXXVII. XLVII sqq. LIV. LXXV.
velut depravatum in *vel* II, 64, 4.
venalis in omnia et *in omnibus* quid differat II, 83, 2.
verba activa eademque *deponentia* II, 97, 4.
verbi eiusdem alia forma ex sequentibus ad praecedentia supplenda II, 35, 5.
verbum cum substantivo eiusdem *radicis* coniunctum I, 12, 5.
verbum cum substantivo eiusdem *notionis* coniunctum II, 37, 1.
verbum idem bis, sed duplici sensu positum II, 33, 2.
verbum oppositum *rei* II, 6, 4.
vertex i. q. rei summitas I, 16, 1.
vetus ac priscus coniunctum I, 16, 3.
vi et *iu* syllabae confusae II, 91, 1. 100, 3.
Victoriae ludi a Sulla instituti II, 27, 6.
videre hostes i. q. *habere* II, 111, 3.
videor i. q. *mihi videor* II, 60, 2.
vigor oppositus *lenitati* II, 98, 3.
vindicare aliquid aliqua re II, 28, 2.
vindicare aliquam rem, omisso *sibi* pronomine II, 34, 2. 100, 3.
vindicare damna i. q. *resarcire* II, 126. 4.
vindicta diversa a *castigatione* II, 114, 3.
vindicta diversa ab *ultione* II, 7, 6.

Vinicii consulatus, cui anno a Velleio assignatus Prolegg. p. XLII sq.
Vinicio Velleius dedicavit opus suum. Prolegg. p. XXI sq.
vir i. q. *fortis* II, 24, 5.
vir ille ieiuna significatio, quae laudem non potest habere II, 91, 1.
vir non potest apponi *substantivo*, ut *consul*, *sacerdos* etc. II, 124, 2.
viri sibi videbantur *Lacedaemonii* prae ceteris I, 6, 3.
viris corruptum ex *viribus* II, 99, 2.
vires i. q. iuventutis suboles I, 4, 3.
viribus confusum cum *virtutibus* II, 104, 4.
viritim i. q. peculiariter II, 16, 3.
visere provinciam solennis dictio II, 101, 1.
visus i. q. *species* II, 94, 2.
vita confusum cum *voto* II, 35, 5.
vita dictus *homo dilectus* II, 123, 3.
vix ullus non male intellectum II, 47, 1.
vocabula duo truncata in unum conflata II, 11, 2. 45, 2. 90, 2. 103, 5. 130, 3.
vocabula male vel *divulsa* vel *conflata*. Prolegg. p. C sqq.
voluntas confusum cum *utilitas* II, 112, 3.
voltus Velleius dixit et *vultus* II, 27, 3.

X.

X numerus vitiose pro V I, 14, 8.
X numerus vitiose pro I II, 38, 2.
x confusum cum *s* II, 33, 4.
x confusum cum *t* II, 51, 3.

Z.

Zeugmatis exempla II, 85, 6. 100, 3. 112, 3. 128, 4.
Zeugma in quantum licet II, 51, 3.
Zmyrna et *Smyrna* II, 69, 1.

Altenburgi, in typographeo aulico.

173305
LL
V 439Kr
Velleius Paterculus, Caius
Quae supersunt ex Historiae Romanae.
ed. by Kritz.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU



UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 12 22 25 04 006 9